This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

3 2044 097 729 859

Digitized by Google

Bd Jan. 1922

HARVARD LAW LIBRARY

Received JUN 27 1921

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA

EX IIS DECERPTA

QUAE APUD SANCTAM SEDEM

GERUNTUR

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA

ET ILLUSTRATA

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen IV.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTAE OFFICINAE S. C. DE PROPAGANDA FIDE

EQ. PETRO MARIETTI EIUSDEM S. C. SOCIO ADMINISTRO EDENTE

MDCCCLXVIII

Ius proprietatis ad legum vigentium normam vindicabitur.

Digitized by Google

6/27/21

JUN 27 1921

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

QUIBUS

INDICITUR OECUMENICUM CONCILIUM

ROMAE HABENDUM
ET DIE IMMACULATAE CONCEPTIONI
DEIPARAE VIRGINIS SACRO AN. MDCCCLXIX.
INCIPIENDUM.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

« Aeterni Patris Unigenitus Filius propter nimiam, qua nos dilexit, charitatem, ut universum humanum genus a peccati iugo, ac daemonis captivitate, et errorum tenebris, quibus primi parentis culpa iamdiu misere premebatur, in plenitudine temporum vindicaret, de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, mortalibus ex Immaculata Sanctissimaque Virgine Maria indutus exuviis doctrinam ac vivendi disciplinam e coelo delatam manifestavit eamdemque tot admirandis operibus testatam fecit, ac semetipsum tradidit pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Antequam vero, devicta morte, triumphans in caelum consessurus ad dexteram Patris conscenderet, misit Apostolos in mundum universum, ut praedicarent evangelium omni creaturae, eisque potestatem dedit regendi Ecclesiam suo sanguine acquisitam, et constitutam, quae est *columna et firmamentum veritatis,* ac caelestibus ditata thesauris tutum salutis iter, ac verae doctrinae lucem omnibus po-

Digitized by Google

pulis ostendit, et instar *navis in altum saeculi huius ita natat, ut, pereunte mundo, omnes quos suscipit, servet illaesos* (1). Ut autem eiusdem Ecclesiae regimen recte semper, atque ex ordine procederet, et omnis christianus populus in una semper fide, doctrina, charitate, et communione persisteret, tum semetipsum perpetuo affuturum usque ad consummationem saeculi promisit, tum etiam ex omnibus unum selegit Petrum, quem Apostolorum principem suumque hic in terris Vicarium, Ecclesiaeque caput, fundamentum ac centrum constituit, ut cum ordinis et honoris gradu, tum praecipuae, plenissimaeque auctoritatis, potestatis, ac iurisdictionis amplitudine pasceret agnos, et oves, confirmaret fratres, universamque regeret Ecclesiam, et esset *caeli ianitor, ac ligandorum, solvendorumque arbiter, mansura etiam in caelis iudiciorum suorum definitione* (2). Et quoniam Ecclesiae unitas, et integritas, eiusque regimen ab eodem Christo institutum perpetuo stabile permanere debet, iccirco in Romanis Pontificibus Petri successoribus, qui in hac eadem Romana Petri Cathedra sunt collocati ipsissima suprema Petri in omnem Ecclesiam potestas, iurisdictio, Primatus plenissime perseverat, ac viget.

»Itaque Romani Pontifices omnem Dominicum gregem pascendi potestate et cura ab ipso Christo Domino in persona Beati Petri divinitus sibi commissa utentes, nunquam intermiserunt omnes perferre labores, omnia suscipere consilia, ut a solis ortu usque ad occasum omnes populi, gentes, nationes evangelicam doctrinam agnoscerent, et in veritatis, ac iustitiae viis ambulantes vitam assequerentur aeternam. Omnes autem norunt quibus indefessis curis iidem Romani Pontifices fidei depositum, Cleri disciplinam, eiusque sanctam, doctamque institutionem, ac matrimonii sanctitatem dignitatemque tutari, et christianam utriusque sexus iuventutis educationem quotidie magis promovere, et populorum religionem, pietatem morumque honestatem fovere, ac iustitiam defendere, et ipsius civilis societatis tranquillitati, ordini, prosperitati, rationibus consulere studuerint.

» Neque omiserunt ipsi Pontifices, ubi opportunum existimarunt, in gravissimis praesertim temporum perturbationibus, ac

(1) S. Max. Serm. 89.
(2) S. Leo Serm. II.

Digitized by Google

sanctissimae nostrae religionis, civilisque societatis calamitatibus generalia convocare Concilia, ut cum totius catholici orbis Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, collatis consiliis, coniunctisque viribus ea omnia provide, sapienterque constituerent, quae ad fidei potissimum dogmata definienda, ad grassantes errores profligandos, ad catholicam propugnandam, illustrandam et evolvendam doctrinam, ad ecclesiasticam tuendam ac reparandam disciplinam, ad corruptos populorum mores corrigendos possent conducere.

» Iam vero omnibus compertum, exploratumque est qua horribili tempestate nunc iactetur Ecclesia, et quibus quantisque malis civilis ipsa affligatur societas. Etenim ab acerrimis Dei hominumque hostibus catholica Ecclesia, eiusque salutaris doctrina et veneranda potestas, ac suprema huius Apostolicae Sedis auctoritas oppugnata, proculcata, et sacra omnia despecta, et ecclesiastica bona direpta, ac Sacrorum Antistites, et spectatissimi viri divino ministerio addicti, hominesque catholicis sensibus praestantes modis omnibus divexati, et Religiosae Familiae extinctae, et impii omnis generis libri, ac pestiferae ephemerides, et multiformes perniciosissimae sectae undique diffusae, et miserae iuventutis institutio ubique fere a Clero amota, et quod peius est, non paucis in locis iniquitatis, et erroris magistris commissa. Hinc cum summo Nostro, et bonorum omnium moerore, et nunquam satis deplorando animarum damno ubique adeo propagata est impietas, morumque corruptio, et effrenata licentia, ac pravarum cuiusque generis opinionum, omniumque vitiorum, et scelerum contagio, divinarum, humanarumque legum violatio ut non solum sanctissima nostra religio, verum etiam humana societas miserandum in modum perturbetur, ac divexetur.

» In tanta igitur calamitatum, quibus cor Nostrum obruitur, mole supremum Pastorale ministerium Nobis divinitus commissum exigit, ut omnes Nostras magis magisque exeramus vires ad Ecclesiae reparandas ruinas, ad universi Dominici gregis salutem curandam, ad exitiales eorum impetus conatusque reprimendos, qui ipsam Ecclesiam, si fieri unquam posset, et civilem societatem funditus evertere connituntur. Nos quidem, Deo auxiliante, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio nunquam pro gravissimi Nostri officii debito destitimus pluribus

Digitized by Google

Nostris Consistorialibus Allocutionibus, et Apostolicis Litteris Nostram attollere vocem, ac Dei, eiusque sanctae Ecclesiae causam Nobis a Christo Domino concreditam omni studio constanter defendere, atque huius Apostolicae Sedis, et iustitiae, veritatisque iura propugnare, et inimicorum hominum insidias detegere, errores, falsasque doctrinas damnare, et impietatis sectas proscribere, ac universi Dominici gregis saluti advigilare et consulere.

» Verum illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes opportunum propterea esse existimavimus, in Generale Concilium, quod iamdiu Nostris erat in votis, cogere omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati sunt. Qui quidem Venerabiles Fratres singulari in catholicam Ecclesiam amore incensi, eximiaque erga Nos, et Apostolicam hanc Sedem pietate et observantia spectati, ac de animarum salute anxii, et sapientia, doctrina, eruditione praestantes, et una Nobiscum tristissimam rei cum sacrae tum publicae conditionem maxime dolentes nihil antiquius habent, quam sua Nobiscum communicare, et conferre consilia, ac salutaria tot calamitatibus adhibere remedia. In Oecumenico enim hoc Concilio ea omnia accuratissime examine sunt perpendenda, ac statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus maiorem Dei gloriam, et fidei integritatem, divinique cultus decorem, sempiternamque hominum salutem, et utriusque Cleri disciplinam, eiusque salutarem, solidamque culturam, atque ecclesiasticarum legum observantiam, morumque emendationem, et christianam iuventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt. Atque etiam intentissimo studio curandum est, ut, Deo bene iuvante, omnia ab Ecclesia, et civili societate amoveantur mala, ut miseri errantes ad rectum veritatis, iustitiae, salutisque tramitem reducantur, ut vitiis erroribusque eliminatis, augusta nostra religio eiusque salutifera doctrina ubique terrarum reviviscat, et quotidie magis propagetur, et dominetur, atque ita pietas, honestas, probitas, iustitia, charitas omnesque christianae virtutes cum maxima humanae societatis utilitate vigeant, et efflorescant. Nemo enim inficiari unquam poterit, catholicae Ecclesiae, eiusque doctrinae vim non solum aeternam hominum

Digitized by Google

salutem spectare, verum etiam prodesse temporali populorum bono, eorumque verae prosperitati, ordini, ac tranquillitati, et humanarum quoque scientiarum progressui ac soliditati, veluti sacrae ac profanae historiae annales splendidissimis factis clare aperteque ostendunt, et constanter, evidenterque demonstrant. Et quoniam Christus Dominus illis verbis Nos mirifice recreat, reficit, et consolatur « *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum* (3), » iccirco dubitare non possumus, quin Ipse in hoc Concilio Nobis in abundantia divinae suae gratiae praesto esse velit, quo ea omnia statuere possimus, quae ad maiorem Ecclesiae suae sanctae utilitatem quovis modo pertinent. Ferventissimis igitur ad Deum luminum Patrem in humilitate cordis Nostri dies noctesque fusis precibus hoc Concilium omnino cogendum esse censuimus.

» Quamobrem Dei ipsius omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac beatorum eius Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua Nos quoque in terris fungimur, freti et innixi, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, et assensu sacrum Oecumenicum et Generale Concilium in hac alma Urbe Nostra Roma futuro anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono, in Basilica Vaticana habendum, ac die octava mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacra incipiendum, prosequendum, ac Domino adiuvante, ad ipsius gloriam, ad universi Christiani populi salutem absolvendum, et perficiendum hisce Litteris indicimus, annuntiamus, convocamus et statuimus. Ac proinde volumus, iubemus, omnes ex omnibus locis tam Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, quam Dilectos Filios Abbates, omnesque alios, quibus iure, aut privilegio in Conciliis Generalibus residendi, et sententias in eis dicendi facta est potestas, ad hoc Oecumenicum Concilium a Nobis indictum venire debere, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi iurisiurandi, quod Nobis, et huic Sanctae Sedi praestiterunt, ac sanctae obedientiae virtute, et sub poenis iure, aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri, et proponi solitis, mandantes, arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, quod tamen per legitimos procuratores Sy-

(1) Matth. c. 18 v. 20.

Digitized by Google

nodo probare debebunt, Sacro huic Concilio omnino adesse, et interesse teneantur.

» In eam autem spem erigimur fore, ut Deus, in cuius manu sunt hominum corda, Nostris votis propitius annuens ineffabili sua misericordia et gratia efficiat, ut omnes supremi omnium populorum Principes, et Moderatores praesertim catholici quotidie magis noscentes maxima bona in humanam societatem ex catholica Ecclesia redundare, ipsamque firmissimum esse Imperiorum, Regnorumque fundamentum, non solum minime impediant, quominus Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites, aliique omnes supra commemorati ad hoc Concilium veniant, verum etiam ipsis libenter faveant, opemque ferant, et studiosissime, ut decet Catholicos Principes, iis cooperentur, quae in maiorem Dei gloriam, eiusdemque Concilii bonum cedere queant.

» Ut vero Nostrae hae Litterae, et quae in eis continentur ad notitiam omnium, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, cum praesertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illae essent intimandae, tutus forsitan pateat accessus, volumus, et mandamus, ut in Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana, et Liberiana, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per Curiae Nostrae cursores, aut aliquos publicos notarios legantur, lectaeque in valvis dictarum Ecclesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae portis, et Campi Florae solito loco, et in aliis consuetis locis affigantur, ubi ad lectionem, et notitiam cunctorum aliquandiu expositae pendeant, cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per huiusmodi lectionem, publicationem affixionemque omnes, et quoscumque, quos praedictae Nostrae Litterae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die Litterarum publicationis et affixionis ita volumus obligatos esse et adstrictos, ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent, transumptis quidem earum, quae manu publici notarii scripta, aut subscripta, et sigillo personae alicuius Ecclesiasticae in dignitate constitutae munita fuerint, ut fides certa, et indubitata habeatur mandamus ac decernimus.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, annuntiationis, convocationis, statuti, decreti, mandati,

Digitized by Google

praecepti, et obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Octavo Tertio Kalendas Iulias.

» Pontificatus Nostri Anno Vicesimotertio.

✠ EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Loco ✠ Signi

† Ego Marius Episc. Ostiensis et Veliternus Card. Decanus Mattei Pro-Datarius.

† Ego Constantinus Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi.

† Ego Aloisius Episc. Praenestinus Card. Amat S. R. E. Vice-Cancellarius.

† Ego Nicolaus Episc. Tusculanus Card. Paracciani Clarelli a Secretis Brevium.

† Ego Camillus Episc. Albanus Card. Di Pietro.

† Ego Carolus Augustus Episc. Sabinensis Card. de Reisach.

† Ego Philippus Tit. Sancti Laurentii in Lucina Proto-Presb. Card. De Angelis Archiep. Firmanus, et S. R. C. Camerarius.

† Ego Fabius Maria Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presb. Card. Asquini.

† Ego Alexander Tit. S. Susannae Presb. Card. Barnabò.

† Ego Ioseph Tit. S. Mariae in Ara Coeli Presb. Card. Milesi.

† Ego Petrus Tit. S. Marci Presb. Card. de Silvestri.

† Ego Carolus Tit. S. Mariae de Populo presb. Card. Sacconi.

† Ego Angelus Tit. SS. Andreae et Georgii in Monte Coelio Presb. Card. Quaglia.

† Ego Fr. Antonius Maria Tit. SS. XII Apost. Presb. Card. Panebianco Poenitentiarius Maior.

† Ego Antoninus Tit. SS. Quatuor Coronator. Presb. Cardinalis de Luca.

† Ego Ioseph Andreas Tit. Sancti Hieronymi Illiricorum Presb. Card. Bizzarri.

† Ego Ioannes Bapt. Tit. S. Callixti Presb. Card. Pitra.

Digitized by Google

† Ego Fr. Philippus Maria Tit. S. Xysti Presb. Card. Guidi Archiep. Bononiensis.
† Ego Gustavus Tit. S. Mariae in Transpontina Presb. Card. d'Hohenlohe.
† Ego Aloisius Tit. S. Laurentii in Pane Perna Presb. Card. Bilio.
† Ego Lucianus Tit. S. Pudentianae Presb. Card. Bonaparte.
† Ego Ioseph Tit. S. Marcellini et Petri Presb. Card. Berardi.
† Ego Raphael Tit. S. Crucis in Hierusalem Presb. Card. Monaco.
† Ego Iacobus S. Mariae in Via Lata Proto-Diac. Card. Antonelli.
† Ego Prosper S. Mariae Scalaris Diac. Card. Caterini.
† Ego Theodulphus S. Eustachii Diac. Card. Mertel.
† Ego Dominicus S. Mariae in Dominica Diac. Card. Consolini.
† Ego Eduardus SS. Viti et Modesti Diac. Card. Borromeo.
† Ego Hannibal S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Capalti.

M. Card. Mattei *Pro-Datarius* — N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco ✠ Plumbi *Visa de Curia D. Bruti.*
Reg. in Secretaria Brevium *I. Cugnionius.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXII. IUNII MDCCCLXVIII.

Venerabiles Fratres.

»Nunquam certe fore putavissemus, Venerabiles Fratres, ut post Conventionem a Nobis cum Austriae Imperatore et Rege Apostolico, bonis omnibus exsultantibus, tredecim fere ab hinc annis initam cogeremur hodierno die gravissimas deplorare aerumnas, et calamitates, quibus inimicorum hominum opera

Digitized by Google

nunc in Austriaco Imperio catholica Ecclesia miserandum in modum affligitur ac divexatur. Siquidem divinae nostrae religionis hostes non destitêrunt omnia conari, ut eamdem Conventionem destruerent, et maximas Ecclesiae, Nobis, et Apostolicae huic Sedi inferrent iniurias. Etenim die vicesima prima mensis Decembris superiore anno infanda sane ab Austriaco Gubernio veluti Status fundamentum lata lex est, quae in omnibus Imperii regionibus etiam catholicae religioni unice addictis valere, et vigere omnino debet. Hac lege omnis omnium opinionum, et librariae artis libertas, omnis tum fidei, tum conscientiae, ac doctrinae libertas statuitur, et civibus cuiusque cultus facultas tribuitur excitandi educationis, doctrinaeque instituta, et omnes cuiusque generis religiosae Societates aequiparantur, et a Statu recognoscuntur. Equidem ubi primum id dolenter agnovimus, Nostram vocem statim attollere optavissemus, sed longanimitate utentes tunc silendum censuimus, ea praesertim spe sustentati fore ut Austriacum Gubernium iustissimis Venerabilium Fratrum Sacrorum in Austria Antistitum expostulationibus dociles praebens aures vellet saniorem induere mentem, et meliora suscipere consilia. Sed inanes Nostrae fuere spes. Namque idem Gubernium die vicesima quinta Maii hoc anno aliam edidit legem, quae omnes illius Imperii populos etiam catholicos obligat, et iubet, filios ex mixtis coniugiis natos sequi debere patris religionem, si masculi sint, si vero foeminae religionem matris, et septennio minores debere parentum a recta fide defectionem sectari. Insuper eadem lege plane omnis deletur vis promissionum, quas merito, atque optimo iure catholica Ecclesia omnino exigit, ac praescribit antequam mixta contrahantur matrimonia, et ipsa apostasia tum a catholica, tum a christiana religione ad civile ius elevatur, et omnis Ecclesiae auctoritas in sacra coemeteria de medio tollitur, et catholici coguntur humare in suis coemeteriis haereticorum cadavera, quando iidem haeretici propria non habeant. Ipsum praeterea Gubernium eadem die vicesima quinta Maii huius anni non dubitavit de Matrimonio quoque legem promulgare, qua leges ad commemoratae Nostrae Conventionis normam editas plane abolevit, et in pristinum vigorem restituit veteres Austriacas leges Ecclesiae legibus vehementer adversas, et matrimonium etiam, uti dicunt,

Digitized by Google

civile omnino improbandum asseruit, confirmavit, quando cuiusque cultus auctoritas deneget matrimonii celebrationem ob causam, quae nec valida, nec legalis a civili auctoritate recognoscatur. Atque hac lege Gubernium idem omnem Ecclesiae auctoritatem, et iurisdictionem circa matrimoniales causas, omniaque tribunalia de medio sustulit. Legem quoque de scholis promulgavit, qua omnis Ecclesiae vis destruitur, ac decernitur supremam omnem litterarum, disciplinarumque institutionem, et in scholis inspectionem, ac vigilantiam ad Statum pertinere, ac statuitur, ut religiosa dumtaxat institutio in popularibus scholis a cuiusque cultus auctoritate dirigatur, utque variae cuiusque religionis Societates aperire possint peculiares, et proprias scholas pro iuventute, quae illam credendi normam profitetur, utque eiusmodi quoque scholae supremae Status inspectioni subiiciantur, ac doctrinae libri ab auctoritate civili approbentur, iis tantum libris exceptis, qui religiosae institutioni inservire debent, quique ab auctoritate cuiusque cultus approbandi sunt.

» Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quam vehementer reprobandae, et damnandae sint eiusmodi abominabiles leges ab Austriaco Gubernio latae, quae catholicae Ecclesiae doctrinae, eiusque venerandis iuribus, auctoritati, divinaeque constitutioni, ac Nostrae et Apostolicae huius sedis potestati et memoratae Nostrae Conventioni, ac vel ipsi naturali iuri vel maxime adversantur. Nos igitur pro omnium Ecclesiarum sollicitudine Nobis ab ipso Christo Domino commissa Apostolicam vocem in amplissimo hoc vestro consessu attollimus, et commemoratas leges, ac omnia, et singula, quae sive in his, sive aliis in rebus ad Ecclesiae ius pertinentibus ab Austriaco Gubernio seu ab inferioribus quibusque Magistratibus decreta, gesta, et quomodolibet attentata sunt, Auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, damnamus, et decreta ipsa cum omnibus inde consecutis eadem Auctoritate Nostra irrita prorsus, nulliusque roboris fuisse, ac fore declaramus. Ipsos autem illorum auctores, qui se catholicos esse praesertim gloriantur, quique memoratas leges, acta vel proponere, vel condere, vel approbare, et exsequi non dubitarunt, obtestamur, et obsecramus, ut meminerint Censurarum, poenarumque spiritualium, quas Apostolicae Constitutiones, et

Digitized by Google

Oecumenicorum Conciliorum decreta contra invasores iurium Ecclesiae ipso facto incurrendas infligunt.

» Interim vero summopere in Domino gratulamur, meritasque tribuimus laudes Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Austriaci Imperii, qui episcopali robore tum voce, tum scriptis Ecclesiae causam, et praedictam Nostram Conventionem impavide tueri, ac defendere, et gregem officii sui admonere non destiterunt. Atque vel maxime optamus, ut Venerabiles Fratres Hungariae Archiepiscopi, et Episcopi egregia eorum Collegarum exempla imitantes, velint pari studio et alacritate omnem in Ecclesiae iuribus tutandis, et in eadem Conventione propugnanda impendere operam.

» In tantis autem, quibus Ecclesia luctuosissimis hisce temporibus ubique affligitur, calamitatibus, non desinamus, Venerabiles Fratres, ardentiori usque studio in humilitate cordis nostri Deum exorare, ut omnipotenti sua virtute velit nefaria omnia suorum, et Ecclesiae suae sanctae inimicorum consilia disperdere, impiosque eorum conatus reprimere, impetus frangere, et illos ad iustitiae, salutisque semitas sua miseratione reducere.»

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

TRANSLATIONIS ET SUSPENSIONIS.

Die 3 Iulii 1868.

Praesens quaestio lucem affert quaestionibus non infrequentibus quae in Galliis excitantur inter eos Parochos, qui in illis regionibus appellantur *Desservants,* et inter Episcopos.

Compendium facti. In quodam pago Archidioecesis N. Galliarum, quem pagum inhabitant 250 circiter Fideles, extat paroecia succursalis, quae celebris est ratione prodigiosae Imaginis Mariae Virginis ad quam veneratione ducti accurrunt peregrini.

Digitized by Google

Ab anno 1835 huius paroeciae Rector amovibilis ad nutum iuxta morem earum regionum erat in ea paroecia Sacerdos Philippus, qui peregrinationes illas suo zelo maximopere promovit.

Verum mense Augusto anno 1863 Archiepiscopus eidem Parocho significavit se audivisse ipsum persistere in consilio constituendi quamdam mulierum communitatem, quae curam peregrinorum susciperet contra suam patefactam voluntatem: atque insuper eumdem Parochum certiorem idem Archiepiscopus faciebat, ad suam curiam pervenire pluribus abhinc annis relationes non admodum prosperas circa modum agendi solemnes novendiales preces in ea paroeciali ecclesia, atque interea eidem prohibuit quominus celebraret novendiales preces atque committeret praedicationis munus cuivis Sacerdoti absque sua speciali auctoritate, significans simul se e paroecia illa esse Philippum dimissurum quavis etiam minima difficultate insurgente.

In quo autem consisterent relationes haud prosperae, quae archiepiscopali curiae deferrentur ex sequentibus apparet.

Disponebantur a Parocho mense Maio et Septembri nonnullae sacrae Missiones sive preces novendiales solemnes causa advenientis peregrinationis. Haec omnia publice singillatim annunciabantur, determinatis scilicet diebus, functionibus, concionatoribus. Conductores viarum ferrearum hisce publicationibus iuvabantur, atque imminuto pretio cursibus, quos delectationis appellant, promovebant transitum. Quare eveniebat ut plurima hominum millia ad illum pagum accurrerent, ubi cum satis hospitii reperiri ibidem non possent, maxime pro spatio plurium dierum, aperiri facile poterat aditus confusioni: eo vel magis quod omne personarum genus accurreret, quarum multae non ratione pietatis accedebant, uti erant nominatim nundinatores et saltatrices.

Parochus interea animo recolens consilium instituendi mulierum communitatem, quae hospitum curam susciperent, curabat hospitio peregrinorum prospicere; quo sese immiscebat facile accidentibus rerum ordinisque perturbationibus. Erogabat insuper in profanas pompas proventus peregrinationum, quamvis pluries Archiepiscopus insisteret, ut provideret domui paroeciali qua ecclesia carebat, muniret Sacristiam sacris supellectilibus, quae indecentes erant, templum augeret, quod au-

Digitized by Google

gustius erat populi concursui, coemeterium muro vallaret, quod profanationibus patebat. Parochus denique munus praedicandi committebat nonnullis Presbysteris, nominatim vero cuidam Livio, qui censura afficiebant dioecesanam administrationem, atque in suis concionibus divulgabant prodigia ac gratias, quae a curia recognitae non erant.

Non est opus intelligenti lectori omnia contexere quae deinde evenerint per mutuas epistolas inter Parochum et Curiam. Parochus enim ab initio plus vel minus obedire visus est praescriptionibus episcopalibus: sed deinde eo persistente in sua ratione agendi, quae nonnisi imprudentiam initio praeseferebat, deinde vero pertinacem inobedientiam: Archiepiscopo e contrario lente quidem sed animo firmissimo in eo quod eidem praescripserat, ut omnia rite procederent in publicis illis solemnitatibus, atque etiam observaretur dioecesanum statutum, quod exigebat in eventu missionum vel piorum exercitiorum Parochos, tres vel quatuor ante menses, cancionatorem petere debere a curia, dispositio denique prodiit, die 30 Aprilis 1864, qua Parochus Philippus ad aliam paroeciam destinatus est.

Parochus, decreto recepto, praefracte renuit novam recipere paroeciam; atque hanc translationem consideravit tanquam remotionem iniustam et sacris canonibus contrariam. Archiepiscopus contra, emisso decreto persistens, spatium circiter mensis assignavit, ut Parochus sub poena suspensionis ad novam paroeciam accederet, eumdemque Parochum simul monuit, se aliam paroeciam ab illa designata esse illum translaturum quoties ipse maluisset.

Nullo interea praetermisso prudenti medio ab Archiepiscopo, ut Parochus pareret, denique die 18 Iulii 1864 suspensionem inflixit, adiungens in hoc decreto, suspensionis causam publicam et notoriam esse, atque inde comprehenderet Parochus se non posse ad sacram synaxim accedere *quin reiectionem experiretur:* quae quidem conclusio considerata est tanquam *interdictum* ad sacram synaxim accendendi.

Nihilominus haec verba non protulit Archiepiscopus ac si novam poenam adiungeret, ut idem declaravit per pastoralem epistolam die 1 Maii 1865, sed ut Parochus intelligeret, suam publicam inobedientiam ipsum retrahere debere a sacra synaxi.

Digitized by Google

Parochus itaque ad Sedem Apostolicam appellavit, ut, rebus districte perpensis, absolveretur a censuris, liberaretur a poenis, et ei restitueretur cura parochialis.

Eiusmodi appellationem idem Parochus communivit quodam libello typis mandato, sed nondum publicato.

Remissis precibus ad Archiepiscopum pro informatione et voto, hic rescripsit: « Vera causa, quae impulit ad aliam dicto » (Philippo) parochiam assignandam, fuit probata illius inscitia » gerendae ac dirigendae piae peregrinationis modo menti San- » ctae Ecclesiae consentaneo, quia occasione festorum B. Mariae » Virginis, conventus profanos magis, quam religiosos concitaret. » Et quidem ad extremam huiusmodi consilii rationem devenire » nolui, nisi post iteratas monitiones paternas, et regulas agendi » praescriptas, quas omnes parvi aestimavit. »

Eodem fere tempore Archiepiscopus suas animi amaritudines patefaciebat SSmo Patri, quod inter suum Clerum religioso zelo praestantem duo Sacerdotes, supra nominatus scilicet Livius, et Parochus Philippus, a vero Ecclesiae spiritu abscederent; ille denigrando Episcopatum et nominatim Archiepiscopum, tanquam si arbitraria ratione agerent; hic sese opponendo auctoritati et clam evulgando per dioecesim, sub obtentu appellationis ad S. Sedem, libellum cuius titulus *Memoire a consulter*, cuius substantia et forma reprobanda esset.

Dum haec in Gallia eveniebant, S. Congregatio hortata est Parochum, qui Romam venerat, ut desisteret ab appellatione et Archiepiscopo se submitteret. Promisit Parochus haec; unde et commendationis epistolas eius favore S. Congregatio dedit Archiepiscopo. At vero Parochus se non stitit coram Archiepiscopo prout debuisset; nihilominus idem Praesul certiorem Parochum fecit se eum a censuris esse absoluturum pro exercitio sacrarum functionum in tota dioecesi, excepta paroecia a qua fuit remotus, ac alteram paroeciam eidem se esse collaturum, dummodo suis scriptis reprobaret, 1° suam actam inobedientiam ac agendi rationem, qua remotionem tanquam iniustam et sacris canonibus contrariam affirmaverat: 2° Ut reprobaret libellum *Memoire a consulter* scatentem propositionibus erroneis, temerariis, falsis, iniuriosis Episcopatui Gallico et S. Sedi circa disciplinam in Galliis vigentem de amovibilitate Parochorum, qui *Desservants* ap-

Digitized by Google

pellantur: 3.° ut revocare et destruere curaret eiusdem libelli exemplaria quae ope aliorum evulgaverat.

Parochus respondit, praesentem quaestionem remittendam esse Arbitris statuendis, et simul alterum libellum ad Archiepiscopum misit, cuius titulus: *Supplement au Memoire,* quo, *insolenti stylo ac deplorabili,* iuxta Curiae iudicium, ipse exposuerat, primum libellum Romae iudicatum fuisse bono spiritu informatum, se consensum praestitisse conciliationi propositae a S. C., ita tamen ut Parochus remaneret in prima sua paroecia, ac posset erigere ibidem nosocomium, et uti Sacerdote Livio, ut antea fecerat.

Archiepiscopus arbitratum propositum reiiciens, Parochum monuit, ut nisi bonis animi sui dispositionibus uteretur, intra designatum spatium, literis pastoralibus damnavisset utrumque libellum. At vero Parochus declaravit se appellationem Romae prosequi velle, et simul epistolam typis tradidit inscriptam titulo *suit au supplement,* quae iudicio Curiae, *renferme des expressions fort regrettables et vivement blumé.*

Archiepiscopus de his omnibus certiorem reddens S. Congregationem, ac etiam mandatum suum plene submittens SSmo Patri, hoc obtinuit Rescriptum: *Sanctitas Sua, dum improbavit memorati Sacerdotis agendi rationem, praesertim quia veritus non est duos typis edere libellos, quorum uni titulus* Memoire a consulter, *alteri vero* Supplement au Memoire a consulter, *mandavit etiam, ut Eminentiae Tuae transmittatur exemplar responsi, quod per hanc S. C. ab eadem Sanctitate Sua datum fuit die 5 Octobris 1864 ad Episcopum Ebroicensem in Galliis, nec non alterius responsi a Sa. Mem. Gregorio XVI, per S. C. Concilii sub die 5 Maii 1845 dati ad Episcopum Leodiensem in Belgio, quoad Parochos amovibiles, vulgo Desservants muncupatos, ut noscas, quaenam in huiusmodi quaestionibus alias sibi propositis Apostolicae Sedis mens et sententia fuerit. Spem autem fovet Sanctissimus D. N. fore ut Sacerdos* (Philippus), *statim ac per Eminentiam Tuam memorata noverit Sanctae Sedis responsa, non amplius in sua persistat contumacia; quin imo per debitam submissionem, quam in suo in Urbem adventu se praestiturum spoponderat; ita paternam Eminentiae Tuae promereatur veniam, ut ad Missae celebrationem rehabilitetur.*

Digitized by Google

Post huiusmodi Rescriptum Parocho ab Archiepiscopo denunciatum, epistolam idem Parochus rescripsit submissionis plenam, nominatim vero pro duobus publicatis opusculis, reprobans quidquid in illis reperiretur, quod displicuerit Archiepiscopo: fassus est sese non posse inniti inamovibilitati paroeciae ut Parochus remaneret, nihilominus affirmabat se removeri non posse a dicta paroecia, quin sua fama periclitaretur: atque denique quaerebat, ut non tanquam Parochus, sed tanquam civis seu Presbyter desertus et derelictus remanere posset in ea paroecia, atque inde celebrare Missam in altari B. Mariae Virginis.

Sed neque hoc permisit Archiepiscopus praesertim ob duos libellos, qui a S. Sede fuerant reprobati, ac alteram paroeciam eidem proponens, earum conditionum observantiam de quibus supra exegit. Cui epistolae non respondit Parochus; sed cum ab Archiepiscopo assimilarentur errores illis reprobatis in libro scripto ab André, indici librorum prohibitorum inserto, Parochus alia duo opuscula in lucem edidit, quorum uno, titulo *Double replique,* Archiepiscopus insimulabatur tanquam si non recte traduxisset sensum Apostolicarum Literarum; in altero opusculo Parochus suo favore interpretatus est responsum Gregorii XVI. Episcopo Leodiensi, quo opusculo, Curiae iudicio, plures iniuriae continebantur.

Decessit interea ex hac vita Archiepiscopus, et Parochus iterum S. Sedi preces admovit, iustitiam implorans ac, pendente lite, rehabilitationem ad Missam celebrandam.

Audito novo Archiepiscopo, S. C. rescripsit die 15 Iulii 1867: *Orator rem agat cum proprio Ordinario, ac eius iudicio se dirigat, et quatenus opus fuerit, deinde ab eo commendatus recurrat.* At Parochus tanquam suspectam recusavit auctoritatem novi Archiepiscopi, ac institit, ut quaestio *prout de iure* definiretur in S. Congregatione, quam quidem definitionem ipsemet novus Archiepiscopus necessariam existimavit.

Quare servatis de more servandis causa proposita est iuridice definienda in plena Congregatione.

Disceptatio synoptica.

Defensio Parochi. Parochus in Urbe Defensorem constituit, qui praeclara oratione eius causam dixit, cuius orationis substantia in causae merito brevissime ad haec revocari potest.

Digitized by Google

Initio adducebat Orator sententiam S. Augustini ad Ausilium *epis.* 250 *n.* 3. « Nec arbitreris, ideo nobis non posse su» brepere iniustam commotionem, quia Episcopi sumus; sed po» tius cogitemus inter laqueos tentationum nos periculosissime » vivere, quia homines sumus. » Atque in lib. *de Verà religione c.* 6, conquestum esse inquiebat Augustinum de aliquo bono Presbytero censuris affecto, atque edixisse: « Horum plura esse » exempla, quam credi potest. »

Admissa autem exceptione in Gallia ubi plurimae ac fere omnes paroeciae sunt amovibiles contra communem Ecclesiae disciplinam, observandas saltem esse, inquiebat, leges amovibilitatis, quae a communi iure sunt praescriptae. Inter huiusmodi leges in amovendis Vicariis sic dictis manualibus aut Beficiariis amovibilibus, requiri iustam et legitimam causam, ob quam appareat intervenisse in remotione saltem *arbitrium boni viri,* Lotter. *de re Benef. l.* 1 *q.* 33 *n.* 31 *et seqq.* aliique plurimi; de qua re sic Giraldi in adnotationibus ad Barbosam *de off. parochi pag.* 341. « Etsi Parochi amovibiles valeant toties quo» ties opus est amoveri, *attendere tamen oportet, ut de facto* » *non amoveantur absque legitimà causa* (S. C. Concilii 11 Iulii 1628; S. C. Episc. in Sulmonensi die 24 Maii 1645 et 16 » Maii 1653 ac alibi pluries.). Regulares nihilominus ad nutum » suorum Superiorum et Ordinarii quoque amoveri possunt etiam » sine causa. Quamobrem edicere potest Episcopus, quod Paro» chi amovibiles, qui a laicis vel collegio sive societate laicali » nominantur, absque sua licentia et auctoritate non valeant amo» veri (Rota decis. 53 n. 20 coram Peutinger, Card. De Luca de » Benef. disc. 80 n. 20). Omnes vero amovibiles Curati amoveri » possunt arbitrio Episcopi dioecesani (cap. 1 de Capell. mo» nach.); sed non debent amoveri nisi ex causa rationabili et iu» sta... Nam et in hoc habenda ratio iustitiae, ac amovendorum » honori consulendum est. Verumtamen Episcopus nec illis, ne» que ipsorum nominatoribus allegare tenetur causas remotionis » (S. Cong. Concilii in Camerinen. 18 Septem. 1627) (1).

Item ostendebat ex praxi SS. Congregationum nonnulla indicans exempla (2) et nominatim, quod ad Galliam spectat, ad-

(1) Confer Constitutionem Benedicti XIV. quam adduxi in *Vol. III. pag.* 454.
(2) Haec exempla retuli in *Vol. III. pag.* 511 *et seq.*

Digitized by Google

ducebat epistolam Card. Praefecti S. Congregationis Epis. et Reg. in *Ebroicen.* diei 5 Octobris 1864, qua ex mandato SSmi reprobatum fuit Opusculum Presbiteri Dagomer his verbis: *mandavit, opusculum a Sacerdote Dagomer redactum, ac in lucem editum, cui titulus* « Réhabilitation du Desservant » *esse reprobandum, tum quia praememoratus Sacerdos ne quidem legibus dioecesanis et concilii provincialis Rothomagensis in illo edendo obtemperavit, tum quia Episcopos incusare veritus non sit, ac si absque probabili causa Parochos amovibiles vulgo* Desservants *transferre incaute soleant, tum demum, quia iudicis sibi partes occupaverit in quaestione Sanctae Sedi reservata.* Idemque eruebat ex nota responsione Gregorii XVI. qua solitum servandum esse edixit anno 1845 per S. C. Concilii, interpellatus ab Episcopo Leodiensi, qui exposuerat: *Episcopi hos Rectores revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter, et nonnisi prudenter ac paterne uti solent.*

Hanc autem causae necessitatem locum habere subiungebat Orator, non solum in remotione et destitutione, sed etiam in translatione, quae fiat in Parochi detrimentum; namque ut docet Paris *de Resignat. Benef. l.* 3 *quaes.* 18 *n.* 2 « nemo cogitur » ad permutandum Beneficium quod obtinet... et invitus nemo » transfertur de una ecclesia ad aliam, ut fuit statutum in con- » cilio Constantiensi... » Hoc autem vigere ostendebat in ipsa Gallia, et in provincia Rehemensi, cum in provinciali Synodo Rehemensi habito anno 1849, *sub tit.* 17 *c.* 3 *de Appellationibus* legatur: « Idem dicendum de revocatione Vicariorum, qui apud » nos omnes sunt ad tempus; ac eorum Presbyterorum, qui sunt » amovibiles animarum Rectores; licet profecto non debeant ab » Episcopo revocari, nec ad aliam Parochiam transferri nisi iu- » sta de causa; » idque etiam apparere ex duobus responsis mox indicatis S. Sedis, in quibus eadem ratio habetur sive remotionis, sive translationis.

Tanto autem magis requiri causae existentiam Orator ostendebat, quanto magis ipsa translatio aut remotio cedat in detrimentum honoris illius, qui removeatur vel transferatur, prout demonstrat Card. de Luca *disc.* 97 *de Benef. n.* 11 *et seqq.* in qua re conveniunt Auctores.

Neque eiusmodi causam esse debere in removentis mente: nunquam enim in Superiore aliquod deesse potest removendi

Digitized by Google

motivum: sed realem requiri causam, eamque probandam et sufficientem recognoscendam aestimatione iudicis iuxta communes amovibilitatis leges, Pignatel. *t.* 1 *Consul,* 133 *n.* 19 *et seqq.* et s. Rota passim.

Post haec deveniebat Orator ad reiiciendas rationes ob quas Parochus fuerat amotus: quarum prima erat, quod elegerat Sacerdotem Livium ad concionem habendam, qui asserebatur, neque scientia sacra praestare neque prudentia. Cui respondebat Orator id, si verum fuisset, suppeditare potuisse causam alicuius canonicae animadversionis, non autem remotionis: verum ipsum Livium fuisse iamdiu ab Ordinario adprobatum; non esse autem Parocho prohibitum seligere concionatorem ex adprobatis, Ferraris *Biblioth. verb. Parochus art.* 2 *n.* 80: at denique Parochum utili tempore invitationem conciondandi factam Livio post Curiae prohibitionem revocasse.

Altera remotionis causa esse dicebatur defectus idoneitatis ad regendam paroeciam: cui respondebat Orator, eiusmodi defectum excludi ex ipso ministerio paroeciali, quod per spatium triginta annorum, laude ab ipsa Curia promerita, Parochus, exercuerat: quam quidem laudem quammaximam innumeri clarique viri testarentur, verbisque amplissimis efferrent tum quoad animarum curam, tum quoad peregrinationem quae antea fere ignoraretur, et Parochum Philippum suo zelo eam adeo promovisse, ut nunc concursus haberetur quinquaginta circiter millium peregrinorum: quare concludebat, cum nulla prorsus extarét remotionis causa frustra Curiam eam quaeritasse in reclamationibus atque conatibus, quibus Parochus agebatur, ut a se removeret falsas imputationes.

At vero, praecisione facta a quaestione translationis, contendebat Orator, suspensionem Parochi esse revocandam: hanc enim, cum gravissima sit poena, non debere infligi sine gravi culpa, *Cap.* 4 *de Iudic.* et Benedictus XIV. *de Syn. dioec. lib.* 10 *c.* 1. *n.* 3. Curiam autem non aliam designasse culpam, quam inobedientiam et repulsam translationi factam, et epistolam Parochi, in qua hic scripsit translationem esse iniustam et sacris canonibus contrariam: verum si interdum non obedire sit licitum, Reiffenst. *l.* 1. *Decret. tit.* 33 *n.* 21., non fuisse illicitum Parocho reiicere translationem, quae suam possessionem laederet suumque

Digitized by Google

honorem: et S. Congregationem Concilii in *Neritonen. Suspensionis* diei 22 Decemb. 1860 declarasse nullam suspensionem ab Episcopo inflictam, causa protestationis, quam Canonici nonnulli fecerunt qui se laesos in suis iuribus existimabant ex quadam Episcopi dispositione: eo autem magis causam suspensionis nempe inobedientiam, in praesentia cessare inquiebat Orator, quod nemo cogi potest ad recipiendum aliquod Beneficium: quod si Parochus translationem appellaverit iniustam et ss. canonibus contrariam, nil aliud fecisse, quam motivum suae appellationis indicare, quod videmus quotidie in quaestionibus fieri.

Nonnulla denique adducebat Orator circa interdictum accedendi ad sacram Synaxim, de quo non est cur dicamus, cum neque Archiepiscopus tanquam interdictum illud habuerit.

Ea quae ex officio favore curiae adducebantur. — Adnotabatur initio, si comparari deberent ecclesiae succursales in Galliis cum Vicariis paroecialibus, et Cappellaniis amovibilibus, quemadmodum Orator fecerat, non esse difficile plures adducere Auctores canonica doctrina praestantes, qui sustinent, in huiusmodi Vicariis et Cappellaniis necessariam non esse causam, ut Rectores legitime amoveantur. Atque nominabantur Fagnanus in *Cap. ad Monasterium, de statu Monachor. n.* 23, Reiffenst. *Ius. Can. tit. de Praeb. n.* 45, Lauren. *For. Benef. p.* 1 *q.* 72 *Card.* De Luca ex adverso citatus favore Parochi *disc.* 97 *n.* 6 etc. Cuius opinionis rationem reddere dicebatur Pyrrus Corradus in *Prax. Benef. lib.* 1 *c.* 6 *n.* 276 his verbis: « Illud verbum *ad nutum*, » ut ex sua significatione patet, accipitur pro voluntate; et verbum voluntas importat liberam et absolutam voluntatem non » autem regulatam, et propterea, qui facultatem habet amovendi » non tenetur ad observantiam iuris, et sic absque causa potest » amovere Cappellanum (1).»

At vero in praesenti themate disputandum superesse animadvertebatur, an ecclesiae succursales Galliarum possint considerari tanquam Beneficia manualia: haec enim Beneficia manualia aliquo sensu dici posse perpetua; cum e contra Rectoria ecclesiarum succursalium in Galliis soleat considerari tanquam officium, quod exer-

(1) Admodum levis mihi videtur haec ratio, quam reddit Corrado, si ita intelligatur, ut quamvis causam excludat; de qua re recoli possunt ea, quae in Appendice X. disserui in *Vol. III. pag.* 506 *et seqq.*

Digitized by Google

cetur *ex concessione Episcoporum,* iuxta verba, quibus utitur Concilium Avenionense *tit.* 11 *cap.* 11 §. 1, Rehemense anni 1849, Burdigalense *tit.* 9. *Cap.* 10, Tolosanum et caetera, quae circa idem tempus celebrata sunt: haec autem invaluisse in Galliis, non quidem ex aliquo principio communis iuris, quod in Vicariis-Curatis invocari soleat, sed ob adiuncta omnino specialia loci et temporis: quare cum ratio administrandi eiusmodi paroecias formam acceperit a peculiaribus loci temporisque conditionibus, videri procedi non posse iuxta principia communis iuris, nisi in ea parte, quae consona fortasse reperiatur cum iure communi.

Principia autem, quae vigere debeant in tali rerum conditione, erui posse videbantur ex duobus S. Sedis responsis, quae pro causa Parochi Orator attulerat, videlicet ex responso dato in *Ebroicen.* quo reprobatum fuit opusculum Sacerdotis Dagomer, *Quia Episcopos incusare veritus non sit, ac si absque probabili causa Parochos amovibiles, vulgo* Desservants *transferre incaute solеant,* et ex expositione facta Gregorio XVI anno 1845 ab Episcopo Leodiensi, qui asseruit: *Episcopi hos Rectores revocandi et transferendi auctoritate haud frequenter et nonnisi prudenter ac paterne uti solent.* Ex quibus deduci posse videri, sufficere prudentem paternamque agendi rationem ad removendos et transferendos Parochos *Desservants* appellatos, quae quidem ratio agendi iuxta plurium Auctorum sententiam non sufficeret in Beneficiis manualibus.

Haec autem observabatur esse ratio agendi in Galliis ex plurium Episcoporum testatione, ita ut eiusmodi Rectores removeantur rebus adiunctisque omnibus serio consideratis, ex quo examine appareat revocationem unius alteriusque Rectoris necessariam esse aut utilem spirituali bono Rectoris, aut paroeciae, sive illius a qua removetur, sive illius ad quam transfertur.

Quare hisce positis iuxta disciplinam in Galliis satis vigentem, remotionem seu translationem non considerari tanquam privationem, quae habet rationem poenae, sed tanquam actum prudentis regiminis, uti de Beneficiis manualibus docet Laurenius *For. Benef. p.* 1 *q.* 74.

Cum itaque remotio tali modo fiat, concludebatur, non posse haberi rationem Parochi reclamantis, nisi hic ostenderet, Ordinarium ex odio aut malitia egisse aut in damnum ecclesiae,

Digitized by Google

ut docet Card. de Luc. *loc. cit.* Quoties autem id non ostendatur praesumendum esse Episcopum recto iudicio egisse, nec teneri rationem reddere subditis sic administratis sine gravi impedimento in iurisdictionis exercitio.

At vero in praesenti themate remotionem Parochi factam non fuisse in poenam eiusdem Parochi, sed in maiorem utilitatem paroeciae, prout Archiepiscopus eidem Parocho per literas non semel patefecerat, eidem assignans ditiorem etiam paroeciam: quaerebat enim Archiepiscopus Presbyterum magis idoneum ad illam regendam paroeciam, praesertim ratione ingentis peregrinationis, quae spiritu pietatis non amplius fieret.

Praeterea, praecisione facta ab hac speciali ratione administrandi Paroecias, quae in Galliis viget, non defuisse animadvertebatur sufficientem causam removendi Parochum. Namque uti docet Berardi cum caeteris in *Append. de Benef. impropriis* « non sane, quod eaedem causae ad removendum Cappellanum » in proposito requirantur quales requiruntur ad removendum » Beneficiarum; sed quod certas saltem causas, ut ut leviores, » subesse necesse sit. »

In facto autem constare a pluribus annis Archiepiscopum iniunxisse Parocho ampliandi templum, instaurandi coemeterium, erigendi paroecialem domum: constare pariter in facto ad declinandam probabilem confusionem et perturbationem in confluentia quinquaginta fere hominum millium, qui plures dies morabantur in eo parvo pago, quique alia de causa multi accurrebant, quam pietatis causa, Archiepiscopum prius per epistolas, dein per determinatum et circumscriptum ordinem servandum, eidem Parocho prohibuisse, quominus annuntiaret consuetas solemnesque novendiales preces peregrinationis et quominus sine sua speciali auctoritate Parochus concionatorem invitaret; nominatim vero Sacerdotem Livium, qui communi sententia renunciabatur Consiliarius Parochi et auctor opusculorum, in quibus sustinetur doctrina iam a S. Sede reprobata in opusculo Sacerdotis Dagomer etc.

Atqui Parochum morem non gessisse his iniunctionibus, quamvis erogarentur copiosae peregrinationis oblationes in inania ornamenta et pompas sine modo et prudenti iudicio: et inde perstitisse in proposito solemnitates peragendi in consueta re-

Digitized by Google

collectione, quae fiebat mense septembri, ac maiori studio celebrandi solemniter missiones mense Maio.

Quoad suspensionis causam adnotabatur, eam non esse reponendam in reiectione paroeciae ab Archiepiscopo eidem Parocho propositae, sed in pertinacia eiusdem Parochi, qui licet a sua paroecia per decretum remotus, tamen persistisse se Parochum eiusdem paroeciae nominare atque habere, tanquam in Beneficio perpetuo institutum, et invocantem Tridentinum Concilium: in publica inobedientia, qua nolebat admittere in paroecia successorem, a qua recedere nolebat: in scandalo fidelibus exhibito, quo periculum divisionis inter paroecianos merito timebatur.

Porro similibus in adiunctis in *Bergomen. Suspensionis irregularitatis* agitata in S. Congregatione Concilii die 5 Decembris 1863, proposito dubio: « An et quomodo Decreta episcopalia su» stineantur in casu.» S. C. respondit: *Affirmative in omnibus* (1).

His aliisque utrinque adductis cum ampla documentorum serie, propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo sustineantur dispositiones Archiepiscopi *(N.)* » in Presbyterum (Philippum) per epistolas diei 30 Aprilis et 18 » Iulii 1864 in casu. »

Resolutio. — S. C. Episc. et Reg. causa discussa die 3 Iulii 1868 respondere censuit: *affimative in omnibus quoad translationem et suspensionem: quoad vero Interdictum standum declarationi factae a cl. mem. Archiepiscopi* (N.) *per epistolam diei* 1 *Maii* 1865.

Ex quibus colliges:

I. S. Congregationem iudicasse, sustineri translationem, quae quidem a remotione habente rationem poenae maximopere differt (2).

(1) Hanc causam retuli in *V. II. p.* 276.

(2) In praesenti casu sufficientes causae *translationis* iudicatae sunt, prout eruitur ex responsione S. C. non tamen videntur iudicatae fuisse sufficientes pro absoluta remotione, idest pro deiectione Parochi a succursali paroecia, quin ille haberet alteram succursalem paroeciam etiam fortasse pinguiorem.

Et sane, iuxta Archiepisc. sententiam, causa praecipua, ob quam decreta est translatio, fuit status et indoles ingentis hominum concursus, qui peregrinatio appellabatur, quique concursus profanita-

Digitized by Google

II. S. Sedem passive quodammodo se habere in consuetudine in Galliis vigente, qua triginta, uti fertur, Parochorum succursalium millia, pendere censentur a suorum Episcoporum prudenti administratione, quin legibus hi Parochi iuventur perpetuitatis et canonicae formae iuxta communem disciplinam.

III. Quare temere se gerere eos omnes, qui hanc consuetudinem reprehendunt tanquam intolerabilem et a ss. canonibus reprobatam.

IV. Non enim intollerabile et a ss. canonibus reprobatum est dicendum, quod, amplissima consuetudine, in aliqua provincia catholica vigeat, quando S. Sedes eam apprime noscens a definitivo iudicio abstinuerit (1).

tis et publicae delectationis causa a multis fiebat, non autem causa religionis: et pagi illius Parochus licet zelo plenus non idoneus iudicatus est, uti par erat, ad dirigendam ingentem illam peregrinationem, quae in statu ad quem devenerat, excitare necessario debuerat vigilantiam et interventum episcopalem. Hic tamen idoneitatis defectus, nec non quaedam in sua opinione pertinacia causam legitimam suppeditabant ut iuxta Galliarum morem ad aliam transferretur succursalem paroeciam; et dici minime potest Archiepiscopum egisse sine probabili causa. Non sunt autem plurimi aestimanda, quae post sententiam evenerunt, quae quidem poterant esse causa alicuius canonicae animadversionis, ut reapse fuerunt causa suspensionis, quin tamen subintrarent in causa translationis.

(1) Non multo post Tridentinum Concilium incoepit apud Canonistas invalescere dictio: *Contra Concilium Tridentinum nulla admittitur consuetudo.* Haec dictio, quae nec grave habuit ab initio fundamentum, admissa merito fuit a S. Congregatione Concilii: dixi grave non habuit fundamentum; namque ea generalis clausula neque a Patribus Concilii Tridentini apposita fuit Decretis; neque explicite ab aliqua Constitutione Romani Pontificis. Attamen a variis Auctoribus persaepe repetita fuit usque ad nostra tempora: nihilominus haec dictio quam, post novam aliquam solemnem legem, cogimur veluti subintelligere, decursu saeculorum pedetentim amittit suam veritatem: et reapse modo videmus multas invaluisse consuetudines contra Tridentinum Concilium, quae irrationabiles, praesertim pro locorum adiunctis, non reputantur.

Nemo autem mirabitur, quando agitur de legibus disciplinalibus, decursu temporis, invalescere posse consuetudinem etiam contra solemnissimas leges, si consideret omnes disciplinales leges *veluti natura sua,* sive facilius sive difficilius rationabiles contrarias consuetudines admittere; et clausulam, si legibus apponatur, *exclusa quavis consuetudine contraria in futurum,* non esse aliud nisi legem disciplinalem, quae *natura sua* admittere potest contrariam consuetudinem; ideoque, ubi haec praevaleat, possit abrogari: de qua re habemus solemnia exempla in ipsis Decretalibus; quare valor huius clausulae, quoties apponatur, non alius esse potest, quam difficiliorem reddendi consuetudinem novae legi contrariam ac vigilantiam peculiarem auctoritatis excitandi, ne consuetudo contraria invalescat. Quousque enim auctoritas obsistat consuetudo introduci non potest.

Digitized by Google

V. Ex praesenti causa deduci non posse, S. Congregationem admisisse principium, quo a quibusdam dicitur, eos Galliarum Parochos removeri posse sine ulla causa; cum non levis causa, ex recto regimine petita, in praesentia adfuerit, quae translationem Parochi amovibilis suaderet.

VI. Denique colliges, pertinaciam Parochi adversus rectam Episcopi dispositionem posse suppeditare causam legitimae suspensionis.

MONTIS FRUMENTARII.

Die 15 Maii 1868.

Compendium facti. Pia Sodalitas, sub titulo S. Mariae iam ab anno 1844 imploraverat a S. C. Episcop. et Reg. facultatem aperiendi Montem Frumentarium collatis simul Confratrum oblationibus; ita tamen ut Villicis, qui frumentum ad serendum quaererent, mutuo quidem daretur mensura frumenti *sine culmine* (italice *rasa*), et illi, post recollectionem seu messem reddere deberent eamdem mensuram *adauctam culmine:* hoc autem augmentum cedere deberet tum in bonum ss. functionum sodalitatis eiusdem, tum in compensationem expensarum, quas exigeret conservatio Montis Frumentarii, ipse vero Mons cederet in commodum Villicorum, ne scilicet cogerentur subiici usurariis.

Eo vel magis culmen illud supra mensuram datam exigi posse animadvertebant sodales, quod frumentum recollectum soleat esse pinguius propter humiditatem, quam illud quod, post conservationem exsiccatum, datum mutuo fuerit.

Episcopus id temporis rogatus pro facultate concedenda respondit; eo vel magis, quod, re considerata, parum lucri sodalitati superesset, illudque esset cessurum in augmentum divini cultus.

In consultatione id temporis ex officio conscripta consideratum fuit, eiusmodi erectiones Montis Frumentarii sicut etiam Montis Pietatis laude dignissimas esse; difficultatem unice posse oriri ex usura, et indicabatur Constitutio Leonis X. *Inter multiplices,* diei 4 Maii 1515, ex Concilio Lateranensi, in qua Pon-

Digitized by Google

tifex ad quaestiones circa usuras Montium Pietatis dirimendas definivit: *Montes Pietatis per respublicas institutos, et Auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos et confirmatos, in quibus pro eorum impensis et indemnitate, aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas et aliarum rerum ad illorum conservationem, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem, absque lucro eorumdem montium, recipitur, neque speciem mali praeferre nec peccandi incentivum praestare, neque ullo pacto improbari, quin imo meritorium esse, ac laudari et probari debere tale mutuum etc.*

Ac fuit pariter animadversum, S. Congregationem firmiter tenuisse, nullum augmentum praeter necessarium pro expensis recipi posse, ut in *Faventina,* 6 *Sept.* 1604; et ita ut usura non excederet proportionem trium pro singulis centenariis, ut in *Viglevanen.* 19 Ianuarii 1607 in *Derthonen.* 11 Augusti 1625, vel ad summum non excederet quatuor pro singulis centenariis, ut in *Cotronen.* 28 Aprilis 1599. De qua re consuli potest Pignatelli *t.* 4 *consul.* 153 *sub n.* 4. Angelus Lucidi in recenti opere *de VV. SS. Liminum vol.* 2 *pag.* 525 *et seqq.* Monacelli, aliique.

Adducta etiam fuerat in ea Consultatione id temporis ex officio conscripta, quaedam Resolutio in *Ferentina Montis Frumentarii* diei 20 Decembris 1838. In ea agebatur de quodam Monte Frumentario in quodam pago erecto, cuius tamen erectionis memoria penitus delitescebat; usura, quae percipiebatur, erat circiter decem pro quovis centenario, quae usura, subtractis necessariis expensis, erogabatur in pios usus: nominatim vero in conservationem templi, quod aderat in eo pauperrimo pago, nec non in famem pauperum sustentandam in caritate annonae: proposito autem dubio: « An permittendum sit augmentum, quod » iamdiu percipitur, ut erogetur in dictos pios usus; seu potius » reduci debat quantum satis sit pro expensis et conservatione » Montis eiusdem. » S. C. respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et ad mentem.* Mens autem S. Congregationis latine versa haec fuit: « Ut firmum maneret prin» cipium non exigendi augmentum super mutuum datum, ex» cepto eo quod necessarium sit pro expensis et conservatione » Montis; ut Episcopus, calculo facto, determinaret ratam por» tionem solvendam supra sortem ob hunc titulum. Ad id au» tem quod supra hanc portionem ex consuetudine iamdiu in-

Digitized by Google

» troducta perciperetur erogandum in pios usus et nominatim » in manutentionem templi pauperrimi pagi atque ad sustentandam famem pauperum quoad fieri possit in caritate annonae, posset Episcopus permittere, ut eadem consuetudo servaretur, ita tamen ut liber constitueretur, in quo distinctis » titulis notarentur ratae portiones, eae quae ad Montem pertinerent, et eae quae ad alios usus, ut posset cognosci, quaenam sit summa, quae datur titulo iustitiae, et quid recipiatur » tanquam gratuita et pia oblatio. Curabit autem Episcopus, ut » populus prudenti ratione certior de hac re reddatur sive ope Parochi vel alio modo, prout ipse Episcopus prudenter iudicaverit.»

Post haec in dicta Consultatione proponebatur dubium: « An » et quomodo adprobanda sit erectio Montis Frumentarii in » casu: » S. C. die 19 Aprilis 1844 respondit: *Affirmative iuxta primam partem mentis panditae die* 20 *Decembris* 1838 in Ferentina Montis Frumentarii; *et interim per decennium permittatur perceptio unius Cuppae pro quolibet stadio raso, exclusa tamen quacumque applicatione lucri inde percepti ad alium usum.*

Haec Resolutio, excepto aliquo anno, in oblivionem transiit, ususque invaluit dandi mensuram frumenti sine culmine, eamdemque recipiendi culmine adauctam, donec novus Episcopus haec in sacra Visitatione animadvertens, sodales eosdem admonuerit. Sodales autem preces Sanctae Sedi admoventes, petierunt ut sanarentur commissi defectus contra Rescriptum quoad praeteritum, atque simul prospiceretur quoad futurum.

Addebant autem, parvum esse augmentum quod in lucrum Montis cederet ob rationes, iam superius expositas, petitas ex humiditate frumenti quod restitueretur, quod esset et pondere gravius et volumine maius, quam illud quod mutuo daretur ad serendum: non leves esse sumptus sustinendos pro Montis conservatione: non raro accidere etiam, ut Mutuatarii ob inopiam neque possint restituere id, quod mutuo receperit: Montem illum, si hactenus perseveraverit, conservatum fuisse ratione illius percepti augmenti: idemque augmentum neque pauperes persentire, etc.

Episcopus rogatus haec confirmabat atque insuper enarravit, mensuram sine culmine, quae dabatur mutuo a Monte, tempore verno, ponderis esse sexaginta librarum, eam vero, quae

Digitized by Google

mense Augusto restituitur, ponderis esse librarum septuaginta quinque; atque concludebat pro sanatione impertienda quoad futurum, et pro conservando dicto augmento quoad praeteritum, animadvertens simul iuxta fundatorum intentionem erogatum fuisse superexcedens lucrum in cultum titularis, quamvis id in suis precibus negarent sodales.

Animadversiones ex officio factae in nova consultatione. Animadvertebatur, iuxta Episcopi relationem, augmentum consistere in proportione vigintiquinque supra quodvis centenarium; habendam tamen esse rationem maioris ponderis, quod praesefert frumentum post recollectionem; quod pondus conservatione evanescit; eo vel magis quod ageretur de frumento siculo.

Inde opportune recolebatur Constitutio Pauli V. *Onerosa*, diei 5 Februari 1615, in qua Summus Pontifex, postquam noverit, pecunias Montium Pietatis qui extarent in Pontificia Dictione ad usus pauperum mutuo dandas, in alios usus converti et in dies minui, praescripsit horum Montium Praesidibus, *ne de pecuniis ad dictos Montes, quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac tam pro sorte principali a principio illis assignatis, quam pro dictae sortis augmento postea acquisitis, in alios, quam pauperum usus, iuxta modum et formam in erectione dictorum Montium praescriptam, absque nostra et Sedis Apostolicae licentia, sub quovis praetextu vel quaesito colore et cum obligatione intra quodcumque breve tempus restituendi, disponere praesumant.* » Animadvertebatur insuper S. Congregationem Concilii in examine Relationum super statu ecclesiarum pro opportunitate eiusmodi Constitutionis observantiam inculcare.

Recentiores autem Resolutiones in memoriam sunt revocatae, nimirum *Derthonen. Montis Frumentarii* diei 9 Augusti 1844, in qua administrator reddituum cuiusdam Paroeciae exponebat S. Congregationi Episc. et Reg. suos antecessores reliquisse octo saccos frumenti ad formandum Montem pro pauperibus sub conditione, ut Mutuatarii restituerent unam cuppam pro singulis stadiis, quod proportionem constituebat inter datum et acceptum sex pro singulis centenariis: ex quo augmento evenisse, ut octo sacci pro fundo dati evaserint decem et octo: supplicabat autem ut facultas concederetur efformandi Montem cum saccis decem et octo, illumque augendi usque ad triginta

Digitized by Google

saccos, atque deinde redditus converterentur in bonum paroeciae, quae gratis dederat usum domus in quo conservaretur frumentum.

Propositis autem dubiis: I. « An concedenda sit absolutio » et condonatio pro augmento hactenus percepto. II. An et quo» modo adprobandus sit Mons Frumentarius in casu:» S. C. respondit: Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Affirmative, et ad mentem: mens est: scribatur Episcopo ut curet, ut fructus percipiendus non excedat summam scut. 4 pro quolibet centenario et anno, habita ratione locorum et circumstantiarum ad decennium.*

Ferentina Montis Frumentarii diei 30 Iulii 1852. Municipium cui suberat oppidum Patrica erexerat Montem frumentarium cum interusurio viginti pro quovis centenario. Res eo devenerat, ut ex hisce augmentis possent constitui alii duo Montes, alter Mons Pietatis in pecunia, alter Frumentarius in grano siculo. Cum autem Episcopus in S. Visitatione animadvertisset interusurium plus aequo magnum esse, prohibuit perceptionem cuiusvis usurae sine venia Apostolicae Sedis. Commendabat autem preces S. Sedi propositas, ut absolutio daretur quoad praeteritum et facultas fieret prosequendi ad decennium in consuetudine invecta usque dum sors perveniret ad ducenta rubla, atque deinceps augmentum imminueretur fere ad dimidium. Propositis itaque dubiis: I. « An et quomodo concedenda sit sanatio » pro augmentis extantibus in Monte Frumentario ac in Monte » grani siculi et in Monte pietatis in loco Patricae: II. An et » quomodo et quousque permittendum sit, ut eadem methodus » continuetur in casu:» S. C. respondit: Ad I. et II, *Affirmative iuxta votum Episcopi, data instructione prout in* Ferentina Montis Frumentarii diei 20 Decembris 1838, *facto verbo cum SSño.*

Hisce *ex officio* conscriptis, proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An et quomodo concedenda sit sanatio in casu.

II. » An, et quodnam augmentum, et quomodo permitti » possit in futurum in casu.»

Responsio.—S. C. Episc. et Reg. re cognita die 15 Maii 1868 respondit: ad I. *Affirmative facto verbo cum SSño* Ad II. *Servetur Resolutio diei* 19 *Aprilis* 1844 *cum prorogatione ad decennium*

Digitized by Google

concessi indulti, servata in omnibus illius forma et tenore facto verbo cum SSmo.

« Factaque de praemissis relatione SSmo Domino Nostro Pio PP. IX. in audientia habita eadem die a R. P. D. Secretario Sanctitas Sua Resolutionem S. Congregationis quoad primum dubium approbavit atque confirmavit: quo vero ad secundum dubium eam ita moderari mandavit, ut *crescimonium percipi valeat ad rationem sex dumtaxat pro quolibet centenario et anno.*»

Ex quibus colliges:

I. Montes pietatis eosdemque Frumentarios, qui dant pecuniam aut Frumentum mutuum, excogitatos ex christiana pietate ad subtrahendos pauperes a foeneratoribus, non posse titulo mutui aliquid supra sortem percipere (1).

II. Posse tamen aliquid percipere supra sortem titulo expensarum, quantum satis sit ad conservationem Montis et sustinenda onera.

III. Accedente auctoritate S. Sedis, identidem ad tempus permitti, ut aliquid amplius montes percipiant ad alios pios usus, ita tamen, ut haec perceptio ex alio titulo facta patefiat Mutuatariis atque ab usura ex mutuo distinguatur.

(1) Quomodo hi Montes pietatis ad succurrendum pauperibus in christiana republica incoeperint enarrat Ferraris in aurea *Bibliotheca Canonica* sub verbo *Montes pietatis*.

Montes pietatis adeo commendati fuerunt a Sede Apostolica, ut in structura cuiusvis dioecesis locum habere debere videantur. Hoc apparet ex Propositionibus Consistorialibus ecclesias episcopales describentibus, in quibus quaeri ac exponi solet, an adsit Mons pietatis, ut videre est in brevibus descriptionibus ecclesiarum, quas ex actis Consistorialibus saepe adduxi in hisce ephemeridibus.

Si eiusmodi Montes utiles antea fuerunt ad subtrahendos pauperes a foeneratoribus praesertim Iudaeis, quisque facile videt, quanta utilitate praestent praesenti tempore. Namque praesenti tempore, cum pecunia otiosa non amplius soleat servari, sed ea negotiatores quammaxime iuventur ad peragenda negotia, iugiter fiunt societatis contractus sive tacite sive expresse, qui contractus non sunt confundendi cum contractu mutui.

In contractu enim societatis, illi qui dant pecuniam, concurrunt tanquam socii cum illis, qui pecuniam recipiunt ad gerenda negotia, ita ut ius habeant ad lucrum percipiendum negotiatione gesta: at ad auferendas divisionis molestias tacito vel espresso pacto retribuitur sociis, qui pecuniam dederunt, rata portio fixa antea determinata, quae potest esse valde magna sine periculo illicitae usurae, cum non detur ex mutuo, sed ex iure contractus societatis: ita tamen ut socii qui dant hac ratione pecuniam, vi contractus neque ius habeant ad pecuniam datam recipiendam si negotiatio fallat.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

PRAESTATIONIS.

Die 13 Iunii 1868.

Dantur identidem quaestiunculae, quarum materiae quantitatem si respicias, licet videantur nullius momenti, tamen si ad iustitiae tramitem definiri debeant, saepe saepius implexae ac difficiles sunt: huius generis est praesens quaestiuncula.

Compendium facti. In dioecesi N. Capitulum cathedrale extat, quod modo licet uno et viginti Capitularibus constet, antiquitus tamen quinque Canonicis et duabus Dignitatibus constabat. Hi canonici veteris fundationis cum dictis Dignitatibus, scilicet Archidiacono et Archipresbytero Mensam capitularem a caeteris separatam habent sibique in communi administrant. Redditus, qui ex hac Mensa prodeunt fere omnes variabiles sunt; pendent enim a recollectione fructuum agrestium, hordei scilicet frumenti, ac praesertim musti.

Capitulum insuper plura habet onera; dare enim debet quotannis varias partes musti sive nonnullis Vicariis-Curatis, sive ecclesiae Cantoribus aliisque inservientibus.

Archidiaconus qui prima dignitas est huius antiquioris Capituli, praeter alia emolumenta supra caeteros Canonicos, habuit ab antiquo octo cados musti ex speciali titulo. Namque licet divisio fructuum agrestium quae supersunt aequalis fiat inter Canonicos et Archidiaconum, tamen ab antiquo quaedam portiones Archidiacono datae sunt prae caeteris, alia hordei, alia

Cum autem hi contractus societatis praesenti aetate continuo ac facillima ratione fiant, hinc evenit, ut qui charitate christiana non praestent, difficile dent pauperibus pecuniam mutuam sine aliquo non tenui lucro; quod quidem lucrum percipi potest ex mutuo ratione lucri cessantis, quod ex dicta administratione pecuniae, praesenti aetate, fere semper dici potest haberi.

Quocirca si utiles erant Montes pietatis antea ad retrahendos pauperes a foeneratoribus, modo necessarii omnino videntur, ut pecuniam, aut quidquid aliud, sine gravi augmento restituendum, reperiri pauperes possint.

Digitized by Google

pecuniae, alia musti: quas quidem portiones percipiebat ex nonnullis specialibus titulis, praesertim vero pro famulo habendo, seu pro secundo famulo habendo, quibus prospiciebatur decori primae Dignitatis capitularis.

Veteribus documentis inspectis, saepe in iisdem legitur, octo cados musti Archidiacono dandos pro famulo: ab anno vero 1810 et deinceps, haec portio cadorum musti immutata legitur sive quoad quantitatem sive quoad titulum; namque in documentis administrationis ab eo anno inscribuntur constanter, pro Archidiacono *decem* cadi musti titulo *antiparte:* quomodo autem haec variatio evenerit penitus ignoratur.

Anno 1863, ob carentiam fere completam vini, Canonici dederunt Archidiacono tres tantum cados musti, quos pecunia emerunt, quemadmodum emere coacti fuerant caeteros cados retribuendos Vicariis-curatis aliisque inservientibus.

At vero cogitantes Canonici in his adiunctis se non teneri dare Archidiacono eam *antepartem,* reliquos septem cados musti denegarunt, quin imo repetierunt tres cados tanquam indebite datos: contra, Archidiacono contendente sibi integros decem cados deberi, quaestio proposita est coram S. C. C.

Disceptatio synoptica.

Rationes quas archidiaconus adducebat. — Hic initio aiebat eiusmodi portionem certorum proventuum partem facere,. qui primae Capituli dignitati et Praebendae competunt, quoniam caeteri redditus ab uniuscuiusque tempestatis eventu penderent. Idque comprobare studebat ex eo quod in actis capitularibus in inventariis et actis sacrae visitationis huiusmodi praestatio inter onera Mensae Capitularis accenseretur, quibus quotannis ante divisionem satisfacere Capitulum teneretur: Capitulum enim tantum habebat pro annua divisione, quantum oneribus deductis supererat.

Neque Canonicis suffragari subiungebat, quod anno 1863 ex agris Mensae communis perceptum haud fuerit tantum musti quantum satis esset oneribus adimplendis, namque si pecunia Mensae communis emptum fuit mustum pro caeteris adsignatariis idest Vicariis-curatis et inservientibus, nullam gravem rationem praesto esse, cur non emeretur pro prima Capituli dignitate.

Digitized by Google

Perperam autem a Canonicis opponi contendebat variationem, quae orta est anno 1810, cum ab eo tempore non amplius octo cadi musti, sed decem darentur, et quidem non amplius pro famulo sed titulo *antepartem*, quasi vero ex hoc deduci posset, toties hos decem cados musti Archidiacono esse dandos, quoties adimpletis caeteris oneribus tantum musti saltem superesset quantum satis esset ad constituendam dictam *antepartem* favore ipsius. Namque affirmabat significationem hanc isti vocabulo attributam falsam esse, cum hoc vocabulum absolute indicasset partem detrahendam esse ex integra Capituli Mensa, non autem ex musto dumtaxat dividendo.

Contendens praeterea Archidiaconus dictam variationem legitimam esse non potuisse sub quocumque titulo inducta velit considerari, inquirebat exploratos contractus, quibus ea praestatio posset assimilari: ac tandem concludebat, eam praestationem assimilari posse Decimis, innuens in defectu uvarum decimam musti supplendam esse in pecunia numerata.

Rationes quas adducebant canonici. — E converso Canonici contendentes decem cados musti anni 1863 eidem dandos non esse, consideratione praemissa de variatione administrationis inducta ac pacifice servata, quae in praesentia vim legis haberet, sic disserebant. Ante inductam variationem mustum dabatur Archidiacono pro famulo, hinc non constituebat fixam adsignationem Praebendae inhaerentem. Si enim reluctante Capitulo, Archidiaconus famulum non habuisset, procul dubio neque octo cados musti consequutus esset.

Neque post variationem praestatio constituit adsignationem Praebendae archidiaconalis, cum haec musti portio, quae non amplius datur pro famulo iuxta libros administrationis non esset aliud quam fixum emolumentum musti eidem a Canonicis dandum ante musti divisionem: quare eidem dandum esse concludebant si mustum suppetat, e contra negandum si mustum desit: idque vocabulum *antepartem* aperte significare, ita ut accipi non possit vocabulum illud absolute prae omnibus Mensae Capitularis fructibus, sed relative, prae illis fructibus dumtaxat, quorum natura est portio danda, idest prae musto recollecto.

Denique animadvertebant doctrinam de Decimis ab ipso Archidiacono invocatam eidem refragari et Capitulo suffragari: quia

Digitized by Google

Decima nonnisi de fructibus collectis persolvitur iuxta *Cap.* 3 *de Decimis,* Passerin. *in.* 6° *lib.* 3 *art.* 3 *n.* 4 Rota *cor.* *Olivatio decis.* 716 *n.* 7.

Dubium.

« An et quomodo sit locus praestationi decem cadorum mu-» sti favore Archidiaconi in casu. »

Resolutio. — S. C. Concilii die 13 Iunii 1868 respondere censuit: *negative quoad septem cados anno* 1863 *non solutos.*

Ex quibus colligi potest:

I. Variationem non irrationabilem in distributione bonorum capitularium inductam ac pacifice per longum tempus servatam vim legis habere quamvis ignoretur titulus quo inducta fuerit.

II. Si in communi divisione facienda aliqua portio fixa et determinata praeelevanda sit et alicui consocio divisionis praestanda ex fructibus recollectis taxative determinatis, eam non integram deberi, quoties neque fructus recollecti sint, qui eam portionem attingant (1);

III. In praesenti casu satis constitisse portionem dictam praeelevandam et praestandam fuisse Archidiacono tantum ex musto recollecto.

DONATIONIS IN PIAM CAUSAM.

Die 2 Maii 1868.

Compendium facti. Pia Comitissa, religione qua ferebatur erga s. Aegidium Abbatem eumdemque civitatis Patronum donavit duas vaccas earumdemque vitulos ad festivam solemnitatem augendam eiusdem Patroni ac simul praescripsit, ut hae vaccae earumdemque vituli per 12 annos conservarentur ad augendam et efformandam quamdam dotem, quae perpetuum fru-

(1) Magnam affinitatem habent cum praesenti quaestione, ea quae deduxi ex causa *Decimarum* agitata in S. Congregatione Episc. et Reg. in *Vol. III.*

Digitized by Google

ctum dare posset impendendum *arbitrio Deputatorum*, quos Municipes quotannis eligere solebant pro festo s. Aegidii celebrando: iidemque Deputati substantiam ipsam administrarent, rationem reddentes singulis annis novis succedentibus Deputatis. Quin imo alios quatuor voluit ac statuit Deputatos, quorum duo ab Episcopo, duo vero a Magistratu eligerentur, qui officium haberent peractam administrationem quotannis cognoscendi examinandique, aliis etiam cautelis adiectis.

Elapsis duodecim annis congressu habito Deputatorum festivitatis coram Vicario Generali, hic animadvertit opus esse aliqua ex parte immutare dispositionem piae Comitissae: atque in eo congressu facta est singularis electio quatuor virorum, qui substantiam piae donationis administrarent.

Insequenti die haec quatuor virorum congregatio statuit, supplicandum esse SSmo ut derogare dignaretur voluntati piae Donatricis, ita ut administrationem armenti singulis sexenniis ipsi haberent, et fructus erogarentur non quidem pro festivitate s. Aegidii, sed in complementum festivi ornatus ecclesiae cathedralis, addentes festivitatem s. Aegidii commode quotannis celebrari solere eleemosynis fidelium.

At vero hanc voluntatem noscentes Deputati festivitatis eidem sunt omnino adversati. Quomodo autem finiverit eiusmodi quaestio non clare apparet; certum tamen est, hanc quatuor virorum congregationem perseverasse ab anno 1817 usque ad annos 1854, quo tempore querimonias moverunt Municipes contra Episcopum, quod dispositio piae testatricis non observaretur: at res id temporis composita fuit.

Anno 1866 Municipes, iterum quaestione mota, admotisque S. Sedi precibus, postularunt, ut redditus erogarentur arbitrio Deputatorum Festivitatis prout pia donatrix disposuerat.

Itaque auditis partibus, nonnulla iura deducta sunt a Curia episcopali, quae respiciebant modum administrandi armentum, qui modus licet diversus ab illo, quem pia donatrix constituerat, nihilominus contendebat Curia esse servandum vi praescriptionis: alia respiciebant modum erogandi redditus, quos nolebat curia impendi in profana spectacula: aiebat enim Curia redditus impendi in praemia diribenda currentibus in stadio vel armis ludentibus, in sumptus pro igne artificioso et in caetera

Digitized by Google

eiusmodi solatia, quae cum religioso sensu donatricis erga s. Aegidium non cohaerere existimabat.

At vero contra haec Municipium, statuto firmissimo principio, fundatorum voluntatem apprime esse servandam, et ne in melius quidem ab Ordinariis locorum posse converti, concludebat, servandam apprime esse piae donatricis dispositionem tum quoad modum administrandi armentum, tum quoad modum erogandi redditus, quem donatrix remiserat arbitrio Deputatorum festivitatis. Negabat autem idem Municipium in praesenti casu, quoad dictum modum administrandi, locum habuisse praescriptionem, tum quia iugis et uniformis observantia in contrarium non ostenderetur, tum quia haec observantia ex precariis rationibus inducta, non potuisset destruere apertam dispositionem donatricis.

His aliisque adductis propositum fuit

Dubium.

« An et quomodo annuendum sit Oratorum precibus in casu.»

Resolutio. — S. C. Concilii re cognita die 2 Maii 1868 respondere censuit: *Servandam omnino esse donatricis dispositionem.*

Ex quibus colliges:

I. Fundatorum voluntatem esse omnino servandam.

II. Nec esse quidem in Ordinariorum potestate eamdem voluntatem in melius commutandi.

III. Neque reprehendendum (imo usu docente commendandum esse) eum modum celebrandi publicas festivitates, qui, rebus sacris uti decet peractis, in edendis iuxta locorum indolem ludis spectaculisque consistat, quibus christianus populus sine culpa congaudere possit.

Digitized by Google

ELEEMOSYNAE MISSARUM.

Die 18 Iulii 1867.

Summaria precum. Archiepiscopus N. expostulavit a S. C. solutionem dubii, quod sic se habebat: « In archidioecesi N. per» multae existunt fundationes Missarum, pro quibus certa sti» pendia ordinario maiora constituta sunt. Hae Missae Beneficio » non inhaerent, sed tum ab Ordinario tum a Fundatoribus vel » Provisoribus ecclesiarum, certis Sacerdotibus persolvendae as» signantur. Haud raro evenit, ut ii, quibus hae missae modo » praedicto assignatae sunt, impediantur, quominus ipsi easdem » persolvant, tum propter exequias habendas, tum propter sti» pendia manualia, quae a fidelibus oblata, attentis circumstan» tiis peculiaribus, reiici non possunt, vel alias ob causas le» gitime excusantes . . . Quaeritur utrum Sacerdotes supranomi» nati, si legitime impediti fuerint, quominus Missas, modo » supra exposito sibi assignatas ipsi celebrent, celebrationem » harum Missarum alteri Sacerdoti sic tradere debeant, ut to» tum stipendium, fundatione constitutum, pro celebratione » Missarum solvendum sit; an potius sufficiat ordinarium, ita, » ut quae supersunt, a Sacerdotibus, quibus hae Missae assigna» tae sunt, tuta conscientia retineri possint.

» Atque si in priorem partem, quaestio sit affirmanda, sup» plicare audeo, ut mihi gratiose concedatur facultas singulis » Sacerdotibus licentiam, quae in quaestionis altera parte con» tinetur, impertiendi, si eadem indigere videantur. »

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Ut quae certa essent ab incertis secernerentur, neminem latere observabatur Decretum S. C. editum die 21 Iunii 1625 ab Urbano VIII. confirmatum, quod incipit: *Cum saepe contingat*, in quo inter caetera edicitur; *Omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.* Verumtamen eiusmodi dispositionem locum non habere, quando agatur de Missis, quae inhaereant Beneficiis aut Cappellaniis proprie dictis, cum Innocentius XII. Ur-

Digitized by Google

bani Decretum confirmans, Responsum S. C. adprobaverit, quod datum est ad dubium : « An hoc Decretum habeat locum in Be- » neficiis, quae conferuntur in titulum; id est, an Rector Be- » neficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti » celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii :» cui scilicet responsum fuit: *Non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi fundatione Beneficii aliud cautum fuerit.*

Certum praeterea videri, iuxta Doctorum sententiam, Decretum locum non habere in Cappellaniis etiam amovibilibus non collativis, idest quae non conferuntur in titulum, ac in Cappellaniis mere laicalibus, prout arguitur ex doctrina S. Alphonsi *lib.* 6. *tract.* 3 *de Euch. n.* 321 referentis suam aliorumque sententiam.

E contra certum esse, Decretum Urbani VIII. quoties de Missis manualibus agatur, toties locum habere, ita ut neque possit a Sacerdote, qui pinguiorem eleemosynam acceperit, *alteri* (ut loquitur Benedictus XIV. in Constit. *Quanta cura*) *stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti celebranti et consentienti, se maioris pretii eleemosynam accepisse indicasset.»*

Exceptiones tamen Doctores admittere in casibus, in quibus maior manualis eleemosyna detur intuitu potius extrinseci tituli, prout docet S. Alphonsus *loc. cit.* (1).

Hisce animadversis observabatur, in praesentia totam quaestionem in eo versari, utrum Missae de quibus agimus, habendae esse tanquam manuales.

Atque adnotabatur, fundationes illas reputari debere veluti Missarum manualium cumulum, cum quivis titulus in illis deficeret a celebratione distinctus cuius intuitu eleemosynarum dominium posset acquiri : et in hoc repositam esse *manualitatis* rationem, cum unice eleemosyna tradatur titulo celebrationis.

Ad rem aliquatenus facere videbatur Resolutio S. C. C. diei 15 Martii 1745, qua resolutum fuit, licere Cappellano amovibili retinere partem stipendii, *modo pro Cappellania certi redditus sint annuatim constituti et perpetuo Cappellano assignati; secus vero si huiusmodi Cappellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna.*

(1) Recoli possunt quae dixi in *Vol. III. pag.* 555 *et seqq.*

Digitized by Google

His aliisque animadversis iuxta doctrinam S. Alphonsi, Pasqualiq. et Card. de Lugo, preces propositae sunt coram S. C.

Responsio. S. C. Concilii expensis precibus in comitiis habitis die 18 Iulii 1868 respondit: *Iuxta exposita, solvendum esse integrum stipendium; quoad expetitas facultates non expedire.*

Ex quibus colligi potest.

I. Solemnia Decreta Urbani VIII. aliorumque Pontificum supra allegata intelligenda esse de stipendiis manualibus, quae dari solent titulo dumtaxat celebrationis.

II. Quare stipendia Missarum, quae licet aliquo modo sint determinata, quae tamen percipiantur titulo Beneficii, Cappellaniae quam Sacerdos possideat, vel etiam Legati quod sibi obvenerit, non comprehendi sub dictis Decretis.

III. Posse tamen etiam hisce in casibus esse illicitam retentionem partis eleemosynae, quoties a Fundatore vel testatore id cautum fuerit; puta si ipse implicite aut explicite prohibuerit, quominus pars stipendii a Cappellano vel Legatario retineretur.

IV. Manualia autem censeri, ea Missarum stipendia, quae ipsimet Legatarii teneantur tradere ad Missas celebrandas.

V. Quare eiusmodi Sacerdotes, qui titulo dumtaxat celebrationis pinguius stipendium ita recipiunt, non posse partem eiusdem sibi retinere, alteri commissa Missarum celebratione (1).

(1) In exposito casu piae illae fundationes videntur non aliud fuisse, nisi pia legata Missarum ecclesiis tributa, ita ut ecclesiae essent legatariae, cum onere celebrare faciendi Missas determinato stipendio: unde Sacerdotes, quibus celebratio ab Administratoribus legati committebatur, ea recipiebant titulo dumtaxat celebrationis. Quaestio moveri posset, an ipsae ecclesiae, quae legatariae in casu videntur, possent celebrare facere Missas, dato stipendio consueto iuxta regionis morem Sacerdotibus celebraturis, sibi reliqua parte retenta. Haec quaestio in specie resolvi non potest, nisi considerentur tabulae fundationis, aut saltem consuetudo interpretativa fundationum: tamen, in genere considerata quaestione, posset animadverti ecclesias retinere posse partem pinguioris stipendii, tanquam legatarias, titulo scilicet legati, de qua re adest in *L.* 21 *Decret. fol.* 333 quaedam Resolutio S. C. diei 3 Augusti 1658 in *Romana Legati.* Testator reliquerat ecclesiae N. scut. 500, quae reinvestiri voluit in favorem dictae ecclesiae N. et perpetuo ex fructibus *dicta ecclesia seu eius Deputati pro ea tenerentur celebrari facere tot Missas, quot importarent fructus valutando dictas Missas ad rationem Iuliorum trium pro qualibet Missa.* Quaesitum inde fuit: « An Sacerdoti celebranti pro anima testatoris debeatur eleemosyna Iuliorum trium in singulis Missis, sive potius eleemosyna solita unius Iulii, et reliquum cedat commodo ecclesiae. » Cui S. C. respondit: *Secundum ea quae narrantur, deberi Sacerdoti celebranti solitam eleemosynam tantum: reliquum vero cedere ad commodum ecclesiae.*

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

DECRETUM GENERALE.

«Post liturgicas recentiores leges a Summis Pontificibus Pio V. Clemente VIII. Paulo V. et Urbano VIII. conditas, gravis exarsit controversia inter Doctores et Rubricistas « An in Missis defunctorum aperiri possit tabernaculum ad Fideles pane Eucharistico reficiendos. » Sacrorum Rituum Congregatio prima vice interrogata, in una Albinganen. 24. Iulii 1683. ad IV. respondit. « *Non esse contra ritum ministrare communionem in Missa de Requiem, vel post illam cum paramentis nigris, omissa benedictione, si administraretur post Missam.* » Verum controversia nondum composita identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, quin unquam ad generale Decretum deveniret. Interea ex nonnullorum doctorum placitis, tum pervasit opinio, posse nempe fidelibus Sanctam Eucharistiam ministrari particulis tantum in Missa pro defunctis consecratis; tum in aliquibus locis mos invaluit missas defunctorum celebrandi in paramentis violaceis, ut non solum intra Missam, sed etiam ante vel post eamdem pietati fidelium Sacra Eucharistia refici cupientium satisfieret. Quapropter Episcopis praesertim Sacrorum Rituum Congregationem saepissime rogantibus ut per generale Decretum quid hac in re faciendum sit statueret, Sacra eadem Congregatio die 12. Aprilis anni 1823. in una Panormitana edixit ut gravis haec quaestio *videretur peculiariter et ex officio*. Quod iterum obtinuit anno 1837. in una Mutinen., ubi ad III. Dubium « *An mos qui perdurat adhuc communicandi in missis defunctorum cum particulis praeconsecratis, possit permitti, vel etc.* » responsum est: *Dilata et servetur rescriptum in Panormitana* 12 *Aprilis* 1823. Nihilominus ob temporum ac rerum circumstantias isthaec peculiaris negotii huiusmodi salebrosi disquisitio ad aetatem usque nostram dilata fuit; siquidem in Conventu die 16. Septembris anni 1865. collecto, cum ageretur de usu coloris violacei in Missis defunctorum in altari ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, responsum fuit tertio « *Dilata, et proponatur una cum*

Digitized by Google

alio dubio, an Sacerdos possit aperire ciborium ad communicandos fideles cum paramentis nigris.» Tandem novis supervenientibus Sacrorum Antistitum precibus die 3. Martii anni 1866. in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis propositum fuit Dubium una cum sententia quam ex officio aperuit alter e Consultoribus « *An sacerdos possit aperire Ciborium ad communicandos Fideles in paramentis nigris?* » Verum Emi et Rmi Patres Cardinales responderunt: *Dilata, et scribat alter Consultor, nec non Assessor, reassumptis omnibus ad rem facientibus; habita praesertim ratione relate ad opportunitatem.* Typis traditis communicatisque hisce sententiis tum Rmi Assessoris tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris specialiter deputati, Sacrorum Rituum Congregatio in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunata est: ubi Emus et Rmus D. Cardinalis Nicolaus Clarelli-Paracciani loco et vice Emi et Rmi Cardinalis Constantini Patrizi Praefecti absentis idem proposuit Dubium, et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi re mature accurateque perpensa etiam quoad opportunitatem responderunt: *Affirmative seu posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, Sacram Communionem Fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris, ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu quo die* 2. *Novembris Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum prout cautum est in Decreto Sacrae huius Congregationis diei* 16 *Septembris anni* 1801. Et ita decreverunt, ac ubique locorum si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, servari mandarunt die 27 Iunii 1868.

» Facta autem per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit die 23 Iulii anni eiusdem.

C. Ep. Port. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Loco ✠ Sigilli *Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.*

Digitized by Google

APPENDIX I.

SEQUUNTUR ATQUE EXPLENTUR DECRETA S. CONGREGATIONIS SS. RITUUM COLLECTIONI GARDELLINIANAE NUNC ADIECTA, QUORUM MAXIMAM PARTEM RETULIMUS IN APPENDICE XII. TERTII VOLUMINIS.

BURGI SANCTI SEPULCHRI.

Quum Rm̃us Dominns Ioseph Singlau Episcopus Burgi Sancti Sepulchri a Sacra Rituum Congregatione sequentia duo Dubia declarari petierit, nimirum:

I. Quum iampridem ab Apostolica Sede concessum fuerit Clero Civitatis et Dioecesis Burgi Sancti Sepulchri recitare Officium votivum cum Missa de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis in singulis Sabbathis non impeditis ab Offlcio novem Lectionum, exceptis tantum Sabbathis in quibus reponendum sit Officium Dominicae, exortum est Dubium: an praedictum Officium votivum recitari possit etiam in Sabbathis, in quibus reponendum sit et Officium translatum sive duplex sive semiduplex?

II. Utrum in Orationibus, quae dicuntur extra divinum Officium et Missam, conclusio brevis semper esse debeat, an solum quum expositum sit Sanctissimum Sacramentum?

S. C. respondendum censuit:

Ad I. *Negative iuxta Decreta dierum* 20 *Martii* 1706 *in Decreto generali,* 31 *Augusti* 1839 *ad dubium I. in Meliten. et* 27 *Februarii* 1847 *in Callien. in quibus declaratur Officia votiva locum habere non posse diebus, in quibus reponenda sunt Officia novem lectionum translata, sive sint ritus duplicis sive sint ritus semiduplicis.*

Ad II. *Extra Missam et Officium Orationes concludendas per conclusionem brevem.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 20 Decembris 1864.

CAMBERIEN.

Em̃us et Rm̃us D. Cardinalis Alexius Billiet Archiepiscopus Cameriensis a Sacra Rituum Congretatione sequens Dubium declarari petit: In Dioecesibus Sabaudiae opportunum visum est, ut illa Missa diebus Dominicis et Festivis applicetur pro populo, cui populus ipse adstare consuevit, et incirco haec applicatio fit a Vicario, quando is alternative Missam parochialem celebrat. Hinc quaeritur. 1. An eiusmodi usus servari et retineri possit? 2. Utrum applicatio fieri semper debeat a Parocho etiam privatim celebrante?

S. C. rescribendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative iuxta alias Decreta.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 20 Decembris 1864.

OPPIDEN.

In Cathedrali Ecclesia Oppidensi usque ad Annum 1838 diebus a

Digitized by Google

Rubrica praescriptis recitari consuevit Officium parvum Beatae Mariae Virginis vel Defunctorum vel Psalmos Graduales vel Psalmos poenitentiales; quae tamen inde omissa fuerunt. Quum vero arbitraria huiusmodi omissio ad haec usque tempora perseveret, a Sacra Rituum Congregatione declarari petitur: utrum attento diuturno spatio ferme triginta annorum perseverare liceat in exposita omissione, vel potius resumendam laudabilem consuetudinem haec additionalia divino Officio in Choro persolvendi?

S. C. rescribendum censuit: *Omnino resumendam antiquam consuetudinem iuxta alias Decreta, ac praesertim in Alexandrina diei* 22 *Septembris* 1827 (1).

Atque ita respondit, et servari mandavit. Die 20 Decembris 1864.

TERTII ORDINIS
SANCTI FRANCISCI.

Procurator Generalis tertii Ordinis S. Francisci: a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit:

I. An ea Sanctorum Officia, quae locum habere nequeunt diebus propriis et ad anni exitum reponi non possunt, deficientibus diebus liberis iuxta concessionem factam Capitulo Patriarchalis Basilicae Vaticanae die 30 Ianuarii 1789 recitari valeant in diebus ritus semiduplicis; facta de semiduplicibus commemoratione in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum nona Lectione historica ex tribus una?

II. An Regulares sui Ordinis Romae degentes teneantur sub ritu duplici recitare ea Sanctorum Summorum Pontificum Officia, quae ex concessione Apostolica enunciato

(1) Citatum Decretum in Alexandrina ita se habet: « Quaestio inter Canonicos Ecclesiae cathedralis Alexandrinae in Subalpinis exorta semel atque iterum est; an ad Psalmorum Poenitentialium, Gradualium, Officii Defunctorum et Beatae Mariae Virginis recitationem statutis a Rubrica temporibus ac diebus teneantur? Aliquibus inter eos denegantibus aliqui affirmant, et diversis, ut quisque suam protueatur sententiam, rationibus innituntur. Totius rationis ratio cum in eo sita sit, ut Apostolicis Literis diei 1 Iunii 1803 Alexandriae Capitulum suppressum extinctumque fuerit et in Collegiatam erectum, aliisque similibus Literis diei 2 Augusti 1817, iterum in Capitulum erectum, per illam suppressionem, omnem consuetudinem abrogatam esse contendant, dum nonnulli illam resumendam esse affirment.

» Ad quaestionem omnem dirimendam infrascriptum Dubium S. R. Congregationi enodandum proposuere Dignitates et Canonici Cathedralis Alexandrinae, nimirum:

» An attentis circumstantiis, de quibus supra, abrogata censenda sit consuetudo recitandi Officium parvum B. M. Virginis, Defunctorum, Psalmos Graduales et Poenitentiales in cathedrali Alexandrina, atque adeo, num Canonici ab iis recitandis soluti sint, eaque propterea Officia persolvere deinceps possint ex sola devotione. Cui S. C. respondit: *Attenta vigente olim consuetudine, teneri Canonicos Officia et Psalmos, ut in dubio, recitare, ac servanda esse huius Sacrae Congregationis Decreta.*

Digitized by Google

sub ritu persolvit Clerus Saecularis Almae Urbis?

III. An in expositione SSmi Sacramenti, sive pro Oratione quadraginta horarum seu alia quavis de causa amovendae omnino sint tres Tabellae ab Altari expositionis, quas Rubricae ad celebrantis commoditatem exigunt in Missae celebratione?

S. C. rescribendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Die 20 Decembris 1864.

ULTRAIECTEN.

Rmus Dominus Ioseph. Zwysen. Archiepiscopus Ultraiecten. cupiens, ut Officia votiva SSmi Sacramenti et Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis Archidioecesi sibi concreditae concessa regulariter persolvi valeant, a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit sequentia Dubia, nimirum.

I. An Officia votiva ut supra in Kalendario concessa determinatis Feriis, ac proinde minus frequenter occurrentia, etiam celebranda sint in Feriis non privilegiatis et infra Octavas non privilegiatas?

II. Et quatenus affirmative ad primam partem: utrum Officium Immaculatae Conceptionis recitandum sit in Sabbatho non impedito occurrente infra Octavam alicuius Festi Deiparae?

S. C. respondendum censuit:

Ad I. *Quoad Ferias non privilegiatas extra Adventum et Quadragesimam affirmative, dummodo non sit in eis reponendum Officium duplex vel semiduplex translatum: quoad vero Octavas non privilegiatas negative.*

Ad II. *Negative, nam in casu fieri debet de Octava.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 20 Decembris 1864.

DUBIUM.

Quaesitum quum fuerit a S. Rituum Congregatione: An occurrente Anniversario Consecrationis Episcopi ea ipsa die qua agi debet de Anniversario Electionis vel Consecrationis Summi Romani Pontificis Oratio: *Deus omnium Fidelium*, sit bis dicenda semel pro Papa et semel pro Episcopo?

S. C. rescribendum censuit: *In casu de Anniversario Consecrationis Episcopi agendum sequenti die.*

Atque ita servari mandavit. Die 20 Decembris 1864.

IADREN (1).

Director Kalendarii ad usum universae Archidioeceseos Iadrensis in Dalmatia exposuit Sacrorum Rituum Congregationi quae sequuntur, videlicet:

In Benedictionibus cum Sanctissimo Sacramento, quae solent fieri saepius in hac Civitate vel Archidioecesi in fine post *Tantum ergo* et ℣ *Panem de Coelo* dicuntur plures Orationes, nempe prima de Sanctis-

(1) Ante hoc Decretum in Gardelliniana Collectione interseritur alterum *Ordinis Minorum S. Francisci,* quod ego adduxi in *Vol. I. p.* 240.

Digitized by Google

simo Sacramento, secunda pro Summo Pontifice, tertia pro Imperante, quarta pro Civitate et quinta pro remissione peccatorum: *Deus qui culpa offenderis:* et haec ultima Oratio quae antea concludebatur: *Per Christum Dominum Nostrum*, paucis abhinc annis concluditur sic: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum;* inhaerendo huius Sacrae Congregationis Decreto de die 10 Septembris 1718 in Cataniensi.

Cum vero per Decretum eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis diei 23 Septembris 1837 statutum fuerit, quod quando in Benedictionibus cum Sanctissimo Sacramento plures dicuntur Orationes in conclusione servandae sint Rubricae, et cum supradicta ultima Oratio habeat iuxta Rubricas conclusionem: *Per Christum Dominum Nostrum:* hinc eidem Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, videlicet:

I. An Oratio haec: *Deus qui culpa offenderis:* in casu de quo agitur, debeat concludi: *Per Christum Dominum Nostrum;* vel potius cum verbis: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum:*

II. Si praeter supradictas quinque Orationes alia Collecta ordinatur ab Archiepiscopo ultimo semper loco dicenda, quae habeat iuxta Rubricam conclusionem propriam vel: *Per Christum* vel *Qui tecum:* haec Collecta debeat concludi sic, iuxta nempe Rubricas, vel potius cum verbis: *Qui vivis et regnas:*

III. Quaeritur denique si in solo casu, quo vel ultima Oratio habet conclusionem propriam: *Qui vivis et regnas:* haec dici debeat, an potius in quocumque casu haec sit dicenda?

S. C. respondere censuit: *Conclusionem et debere esse brevem et concordare cum ultima Oratione iuxta Rubricas.* Die 8 Aprilis 1865.

MILETEN.

Magister Coeremoniarum insignis Collegiatae Civitatis Palmarum Dioecesis Miletensis huic Sacrorum Rituum Congregationi exposuit in omnibus Ecclesiis Civitatis praedictae irrepsisse abusus adiungendi alios versus Litaniis Lauretanis post ℣. *Regina Sanctorum omnium* iuxta diversas Ecclesias; Reotores autem praedictarum Ecclesiarum usum hunc veluti immemorabilem retinendum esse ducunt. Praedictus autem Orator eidem Sacrae Congregationi ad difficultatem omnem tollendam sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum:

I. Utrum adserta consuetudo sit licita et ideo retinenda?

II. Et quatenus negative: utrum tantum possit adiungi versus: *Sancta Maria de Sacra Littera*, quae est Civitatis Patrona?

III. Utrum possit adjungi Litaniis nomen Titularis uniuscuiusque Ecclesiae.

IV. Utrum ex praecepto adiungendum: *Regina sine labe originali concepta?*

V. Et quatenus non sit de prae-

Digitized by Google

cepto possit ad libitum adiungi praedictus versus: *Regina sine labe originali concepta?*

S. C. rescribere rata est?

Ad I. *Negative ad utramque Dubii partem.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Negative: nisi adsit Indultum concessionis pro Dioecesi.*

Ad V. *Negative.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 8 Aprilis 1865.

SANCTI IACOBI DE CUBA.

In Metropolitana Ecclesia Sancti Iacobi de Cuba ab immemorabili tempore fieri consuevit, ut in Festo Sancti Marci et Triduo Rogationum pro brevitate forsitan viae, quâm Processio percurrit, Litaniae Sanctorum ita decantentur, ut singuli earum versus per Cantores inchoati concludantur a Clero. Quum autem nuper dubitatio orta fuerit, num recte ita factum sit, Capitulum Metropolitanae Ecclesiae ipsius Sacram Rituum Congregationem adiens ab ea suppliciter exquisivit insequentis Dubii solutionem, nempe:

An in proposito casu debeant singuli Litaniarum versus integre a Cantoribus dici et a Clero repeti; vel sufficit, ut ab illis inchoati ab hoc terminentur, ut hactenus factum est?

S. C. rescripsit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 16 Septembris 1865.

CAMERACEN. (1).

Quum Rm̃us Dominus Renatus Franciscus Regnier Archiepiscopus Cameracen. sequentia Dubia enodanda Sacrorum Rituum Congregationi proposuisset, nimirum:

I. Requiritur ne absolute, ut super Altare collocentur candelabra ad Missam celebrandam? Et potestne tolerari usus antiquus pro Missa privata duorum candelabrorum hinc et hinc parieti altare fere tangenti infixorum?

II. Licetne lampadem ardentem coram Sanctissimo Sacramento velo cooperire praecavendi humoris causa? Item candelabra Altaris aurata sive intra sive extra oblationem sacrosancti Sacrificii?

III. In variis Missalis Romani Editionibus non eadem est Lectio Orationis post Communionem *ad repellendas tempestates* dicendae: Quaenam est inter ambas lectiones melior? an *tranquillitatibus huius optatae consolationis,* an *tranquillitatis huius optatae consolatione?*

IV. Parochus quidam pro sex candelabris hinc et hinc in utroque Altaris latere collocandis duo Candelabra septiformia ad instar Candelabri Mosaici posuit. An tolerari possit talis Rubricis et usui derogatio?

V. In Introitu Missae sacratissimi Cordis Iesu duo leguntur *Alleluia.* In Missis votivis extra Ad-

(1) Hoc Decretum subsequitur duobus aliis emissis in *Cathacen.* et *Aesina* de translatione et concurrentia Festorum, quae retuli in *Vol. I. pag.* 294 *et* 296.

Digitized by Google

ventum et Quadragesimam tolli ne debent ista *Alleluia.*

S. C. respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative, et contrarius usus etsi antiquus, cum sit contra legem, abolendus erit.*

Ad II. *Affirmative ad primam partem: ad secundam, posse tolerari exceptis diebus solemnibus* (1).

Ad III. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Affirmative.* Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 16 Septembris 1865.

RATISBONEN.

Quidam Typographus Ratisbonen. a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit: num in Missis votivis Immaculatae Conceptionis in Secreta Missae loco vocabuli *solemnitate*, dici debeat *commemoratione*, vel potius loco dictae Secretae dici debeat Secreta Missae pro Vigilia concessae, quae pro Missis votivis omnino apta videtur? Sacra Congregatio rescribere rata est: *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.* Die 16 Septembris 1865.

BITURICEN.

Quum Sacrorum Rituum Congregationi sequens propositum fuisset Dubium, nimirum: In accipiendis Candelis et Palmis debent ne Canonici et alii osculari primum manum Episcopi, et postea Candelam, aut Palmam: an vero primum Candelam aut Palmam, et postea tantum manum Episcopi?

S. C. respondere censuit: *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.* Die 16 Septembris 1865.

VENETIARUM.

Praepositus Congreg. Clericorum Scholarum Charitatis Venetiis degentium sequens Dubium Sacrorum Rituum Congregationi enodandum humillime proposuit, nempe:

An, concurrentibus eodem die primis Vesperis Sanctae Agnetis Virginis Martyris Titularis Ecclesiae praedictae Congregationis cum secundis Vesperis Festi Sanctissimi Nominis Iesu (quod Venetiis ex privilegio fit ritu duplici primae Classis) Vesperae faciendae sint de Titulari, aut de Sanctissimo Nomine Iesu aut dimidiandae?

S. C. respondere censuit: *Iuxta Rubricas et huius Sacrae Congregationis Decreta, Festum Titularis Ecclesiae integras habebit primas Vesperas cum Commemoratione tantum praecedentis.* Die 16 Septembris 1865.

TUSCANEN.

Quum sacerdos quidam e Dioecesi Tuscanensi Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequens proposuerit Dubium, scilicet; An in Missis quotidianis de Requiem sacerdos, sive ratione eleemosynae, sive legati, privata cele-

(1) Hic animadvertas velim, quando agitur de re maioris vel minoris convenientiae Decreta non semper videri consonantia, sed id adscribendum esse diversis adiunctis: confer hoc Decretum cum altero quod adduxi in *Vol. III. pag.* 595 *ad IX.*

Digitized by Google

brans pro aliqua aut pro aliquibus determinatis personis defunctis, debet ne indiscriminatim dicere primam Orationem, *Deus, qui inter Apostolicos etc.* primo loco in Missali assignatam: an potius loco dictae primae Orationis teneatur aliam dicere ex diversis in eodem Missali positis, quae conveniat ei, aut iis determinatis personis, pro quibus Missam applicet? S. Congregatio rescripsit: *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.* Die 16 Septembris 1865.

CONCORDIEN.

Quum Canonici Cathedralis Ecclesiae Concordiensis Sacra peragant et Divinum Officium canant in Ecclesia Concathedrali Portusgruarii a Sancto Andrea nuncupata, a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentis Dubii solutionem exquisierunt, nimirum: An Canonici teneantur celebrare Festa Titularis et Dedicationis utriusque Ecclesiae, et quidem cum Octava?

S. C. respondit: *Affirmative.* Die 16 Septembris 1865.

LYCIEN.

Quum in Cathedrali Lyciensi tres sint Dignitates, post Episcopalem, nempe Archidiaconus, Cantor et Thesaurarius, cumque Cantor Vicarii Capitularis munere modo adauctus sit, ad omnem tollendam dissidii causam relate ad praecedentiam ipse Vicarius Capitularis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia duo Dubia enodanda proposuit, nimirum:

I. Quum in sacris Functionibus aut Processionibus publicis tres Dignitates interveniant, et Cantor Vicariali habitu indutus est, ad quem spectat praecedentia?

II. Vel si tantum duae interveniant Dignitates quae debet praecedere?

S. C. rescribendum censuit:

Ad I. *Praecedentiam spectare ad primam Dignitatem.*

Ad II. *Si adsit Archidiaconus et Cantor praecedentiam spectare ad Archidiaconum: si adsit Cantor et Thesaurarius spectare ad Cantorem. Et si Vicarius Capitularis interveniat habitu Vicariali indutus amittit distributiones.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 16 Septembris 1865.

AUGUSTODUNEN.

Quum Rm̃us D. Episcopus Augustodunen. a Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum solutionem humillime petiisset, nempe:

I. An ad alicuius Ecclesiae consecrationem procedi possit, in qua omnia Altaria sint consecrata, omittendo ea, quae Altaris consecrationem respiciunt?

II. An ad Ecclesiae consecrationem procedi possit a duobus Episcopis, quorum unus Ecclesiae, et alter consecrationem Altaris eiusdem Ecclesiae peragat?

S. C. rescribere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Opponi ritui consecrationis Ecclesiae.* Die 3 Martii 1866.

Digitized by Google

DUBIORUM.

Quum insequentia Dubia proposita fuissent S. R. C. pro opportuna solutione nimirum:

I. An quando in Missa tertia Collecta est ad libitum, haec Collecta dici possit de aliqua Dominica ex. gr. prima vel secunda post Pentecosten: prima Adventus, vel de aliqua Feria vel de Beato?

II. Missae de Dominicis, vel de Feriis per annum dici possunt tanquam votivae?

III. An Sacerdotibus, qui recitaverunt Officium alicuius Sancti duplicis, licitum sit celebrare Missam de Requie in aliena Ecclesia, ubi non dicitur Officium duplex, imo fiunt exequiae pro aliquo defuncto, praesente corpore, vel Anniversarium?

S. C. rescribere censuit:

Ad I. *Negative in omnibus.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Die 3 Martii 1866.

GNESNEN. ET POSNANIEN.

Quum Rmus D. Mieczislaus Ledochowski Archiepiscopus Gnesnen. et Posnanien. a Sacra Rituum Congregatione exquisivisset quem Ordinem divini Officii sequi debeat, nam utraque Dioecesis, cui praeest, diversum ordinem habet, S. Congregatio respondere censuit: *Ad libitum Archiepiscopi, servatis tamen Festis Patronorum et Dedicationis utriusque Ecclesiae.* Die 3 Martii 1866.

IANUEN.

Quum Parochus Oppidi *Voltri* intra limites Archidioecesis Ianuen. anceps haereat: an in sua Parochia praeter Festum Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae Patroni praecipui totius Dioeceseos de praecepto celebrandum, debeat quoque sub eodem praecepto celebrari Festum Sancti Caroli Episcopi Confessoris die 4 Novembris occurrens utpote ipsius Paroeciae olim Patroni praecipui sed non confirmati post reductionem festorum factam a Summis Pontificibus Pio VII. et Pio IX. opportunam in re declarationem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expostulavit. S. Congregatio exquisita etiam sententia Coeremoniarum Magistri rescribendum censuit; *In casu servandum est de praecepto Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae Patroni praecipui totius Dioecesis.* Die 3 Martii 1866.

NOVARIEN.

In Civitate Novariensi reperitur publicum Sacellum a Comitissa Margarita *Montani* aedificatum in honorem Deiparae sine labe originali conceptae, in quo annuente Episcopo Ecclesiasticae Functiones, quae iuris non sunt Parochialis, instituuntur. Quum vero in praesentiarum hodiernus Rector Paroeciae, intra cuius limites situm reperitur praefatum Sacellum ius aliquod sibi vindicet in Functionibus ipsis, ac proinde Oratrici iniunctum fuerit ab Episcopo, ut veniam impetraret ab eodem Parochó, ipsa grave admodum hoc experitur ex eo potissimum, quia innumeris Decretis Sacror. Rituum Congregationis prae-

Digitized by Google

scriptio isthaec opponitur. Quamobrem Oratrix eamdem Congregationem humillimis precibus rogavit, ut declarare vel potius decernere dignaretur, an deinceps in memorato Sacello suo Ecclesiasticae Functiones, quae Parochialia iura minime laedunt, exerceri et institui valeant de venia tantum Episcopi, ut simili modo contentiones et iurgia penitus amoveantur. S. Congregatio respondendum censuit: *Nihil obstare, quominus Functiones, de quibus agitur, in Sacello praedicto peragantur, de licentia tantum Episcopi iuxta alias decreta, et praesertim in Ripana diei* 14 *Iunii* 1845 (1). Die 3 Martii 1866.

ABELLINEN.

Etsi in Processionibus Funerariis una tantum Crux deferri debeat illius Ecclesiae, in qua sepeliendus est defunctus, Parochi tamen Civitatis Abellinen. a tempore immemorabili occasione associationis Cadaverum et in aliis Processionibus singuli incedunt sub propria Cruce cum velo pendente seu pallio, et hoc etiamsi interveniat Capitulum Cathedralis Ecclesiae. Dubius autem haerens Rmus Dominus Franciscus Gallo Episcopus Abellinen. num exposita consuetudo tolerari possit ad controversias omnes dirimendas insequentium Dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit, nimirum:

I. An Parochi attenta consuetudine elevare possint omnes propriam Crucem in Funeribus ducendis cum non accedit Capitulum Cathedralis, vel unica tantum Crux, eaque Ecclesiae tumulantis sit deferenda?

II. Quid servandum quando intervenit Capitulum Cathedralis?

III. An eadem norma tenenda sit in Processionibus festivis?

S. Congregatio, exquisita sententia Coermoniarum Magistri, respondendum censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

Ad II. *Interveniente Capitulo Cathedralis, istius Crux et non altera Ecclesiae tumulantis est adhibenda.*

Ad III. *Si accedat Capitulum Cathedralis omnes incedere debent sub Cruce Cathedralis. Si vero non accedat elevanda est unica Crux Ecclesiae, in qua fit processio, quam sequantur omnes qui sunt de Clero Saeculari.* Atque ita respondit, et servari mandavit in Civitate Abellinensi. Die 28 Aprilis 1866.

DE GUADALAXARA.

Quum Rmus Dnus Petrus Espinosa Archiepiscopus de Guadalaxara S. R. C. humillime sequens Dubium enodandum proposuisset, nimirum: An sacra Paramenta revera auro maxima saltem ex parte contexta pro quocumque colore exceptis violaceo et nigro inservire pos-

(1) In allegata Ripana casus omnino similis fuerat Sacrae Congregationi expositus, ac eadem data est responsio. Possunt etiam consuli, ea quae adduxi in *Vol. II. pag.* 517.

Digitized by Google

sint? Sacra Congregatio respondit: *Tolerandam esse Locorum consuetudinem relate tantum ad Paramenta ex auro contexta.* Die 28 Aprilis 1866.

NOLANA.

Quum Rmus Dominus Iosephus Formisano Episcopus Nolanus exposuisset huic S. R. C. Sacerdotes quibus ratione infirmitatis vel alia rationabili causa concessum fuit privilegium celebrandi Missam votivam B. Mariae Virginis, ancipites saepius haerere circa modum eiusmodi Missas celebrandi, eapropter ab eadem humillime horum dubiorum solutionem exquisivit, nempe:

I. An Sacerdos, cui ratione infirmitatis, aliave rationabili causa, a S. Sede potestas facta est celebrandi Missam votivam de Beatissima Virgine, possit huiusmodi Missam celebrare etiam in Festis solemnioribus, vel diebus privilegiatis ex. gr. in Nativitate Domini, in Festo Pentecostes, in Dominica Palmarum? et quatenus affirmative?

II. An teneatur adhibere semper colorem album, an respondentem Festo?

III. An in Festis solemnioribus in huiusmodi Missa votiva teneatur addere *Credo* vel *Gloria* sive privatim sive publice celebret?

IV. Quando in die praeter Festum Sancti currentis diei recurrit alia Collecta de Sancto Simplici vel de Feria, tunc Oratio eritne de Spiritu Sancto, prout praescribitur in Rubricis generalibus, vel de Sancto simplici aut de Feria?

V. Addenda ne erit huiusmodi Missae votivae Collecta, si qua ab Ordinario loci praescripta est?

VI. In die Nativitatis Domini potest hic Sacerdos tres Missas celebrare de Beata Virgine?

Sacra Congregatio respondit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Debet semper uti colore albo iuxta alias Decreta.*

Ad III. *Negative praeter* Gloria *in Sabbatis.*

Ad IV. *Debet tantum illas orationes legere, quae Missae votivae conveniunt.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Negative iuxta alias Decreta.* Atque ita respondit, et servari mandavit. Die 28 Aprilis 1866.

PATAVINA.

Magister Coeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Patavinae de Ordinarii sui consensu a S. R. C. insequentium Dubiorum declarationem humillime petiit, nempe:

I. An Regulares in Dioecesi Patavina degentes teneantur ad recitandum officia ad petitionem Regum et Principum universis eorum Regionibus concessa cum expressa mentione utriusque Cleri Saecularis et Regularis?

II. An iidem teneantur ad recitanda Officia concessa cunctis Dominiis Regi aut Principi subiectis nulla facta in Indulto distinctione Cleri?

III. An ad Officia utrique Clero alicuius Dioecesis Indulta?

IV. An ad Officia Festorum Dioecesis de praecepto quoad forum?

Digitized by Google

S. Cong. habita sententia Coeremoniarum Magistri respondendum censuit:

Ad I. II. et III. *Affirmative si Officia aliquando fuerint ab ipsis Regularibus acceptata; secus negative.*

Ad IV. *Affirmative, et dentur Decreta.* Die 28 Aprilis 1866.

SUESSIONEN.

Magister Coeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Suessionen. a S.R.C. insequentium Dubiorum solutionem humillime petiit, nimirum:

I. An Canonicus Celebrans Cineres Episcopo impositurus Fer. IV. in Capite Ieiunii induere debeat Pluvialem vel Casulam?

Quum in Missa *Cognovi* de Communi nec Virginis nec Martyris duae adsint Epistolae, nimirum prima *Mulierem fortem,* et alia pro Viduis *Carissime,* quaeritur:

II. An quando legitur haec Missa in Festo Sanctae Viduae non Martyris Celebrans legere possit ad libitum Epistolam *Mulierem fortem,* vel Epistolam *Carissime.* Et quatenus affirmative.

III. An in Missis solemnibus vel cantatis earumdem Sanctarum Viduarum Subdiaconus semper teneatur cantare eamdem Epistolam quae legitur a Celebrante?

Sacra Congreg. respondendum censuit.

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. et III. *Serventur Rubricae.* Atque ita respondit, et servari mandavit. Die 28 Aprilis 1866.

SANCTI IACOBI DE CHILE.

Exorta controversia inter nonnullos Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Sancti Iacobi de Chile: an usus vigens in eadem Civitate adhibendi ampullas auro vel argento elaboratas tolerandus esset; ad rem dirimendam Sacrorum Rituum Congregationi sequentia duo Dubia proposita fuerunt, nimirum:

I. An uti liceat in Missae sacrificio ampullis aureis vel argenteis? Et quatenus negative:

II. An consuetudo quae invaluit, prorsus improbanda sit in casu?

S. Cong. respondendum censuit: *Tolerandam esse consuetudinem.* Die 28 Aprilis 1866.

SANCTI IACOBI DE CHILE.

Rmus Dominus Raphael Valentinus Valdivieso Archiepiscopus Sancti Iacobi de Chile exponens in Ecclesiis suae Archidioeceseos usum ab antiquo tempore vigere non cooperiendi Conopeo Tabernaculum, in quo asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum, sed intus tantum velo pulchriori serico, saepe etiam argento aut auro intexto ornari, a S. R. C. humillime declarari petiit: num talis usus tolerandus sit vel potius exigendum, ut Conopeum ultra praedictum velum, vel sine eo, apponatur iuxta praescriptum in Rituali Romano? S. Congregatio, respondendum censuit: *Usum veli praedicti tolerari posse, sed Tabernaculum tegendum est Conopeo iuxta praescriptum Ritualis Romani.*

Digitized by Google

Atque ita respondit, et servari mandavit. Die 28 Aprilis 1866.

BONONIEN.

Quum ex novissimo Indulto S. R. C. concessum fuerit Archidioecesi Bononiensi elevatio ritus in Festo Purificationis Deiparae ad duplicem primae Classis, ex parte Capituli Civitatis Centi in praedicta Archidioecesi quaesitum est ab eadem Sacra Congregatione: an in Ecclesia S. Blasii Episcopi Martyris Titularis Ecclesiae ac Civitatis Centi Patroni primae Vesperae debeant esse de dicto Sancto Patrono cum commemoratione praecedentis, vel potius de praecedenti cum commemoratione sequentis?

S. C. audita Magistri Coeremoniarum sententia respondendum censuit: *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam*. Die 1 Septembris 1866.

TORNACEN.

Quum non raro Titularium Festa sint transferenda, Dubia aliqua exorta sunt inter Liturgicos circa illorum Octavam: sunt enim qui putant ex verbis Rubricae Tit. X. N. 1. *Nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat* inferri Titularibus semper deberi Octavam quoties transferuntur etiam accidentaliter: alii autem existimant praefata Rubricae verba intelligenda esse de translatione fixa vel de speciali privilegio peculiariter concesso. Ad omnem itaque dubitationem tollendam Rm̃us Dominus Gaspar Iosephus Tornacen. Sacrorum Rituum Congregationi insequentia duo Dubia pro opportuna solutione proposuit, nimirum:

I. An ad omnes et singulos Ecclesiarum Titulares Octava spectet, vel ad eos tantum, qui incidunt in diem propriam aut in fixe translatam, aut qui semper adnexum habent privilegium Octavae?

II. Si negative ad primam partem, affirmative ad secundam; quaeritur: An quando Festum Annunciationis transfertur ad Feriam secundam post Dominicam in Albis semper gaudere debet Octava in Ecclesia ubi est Titulus?

S. C. habita sententia Coeremoniarum Magistri rescribere censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ad II. *Serventur Decreta: hoc est Festum Annuntiationis ubi est titularis habere debet Octavam cum transfertur quoad Chorum et Forum: gaudere autem non debet Octava cum transferetur quoad Chorum tantum, nisi adsit speciale privilegium.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 1 Septembris 1866.

CARCASSONEN (1).

Quum Rm̃us D. Franciscus Alexander Boullet de la Boullerie Episcopus Carcassonen. ut Rubricae adamussim serventur a S. R. C. hu-

(1) Ante hoc Decretum adducitur in Collectione Gardelliniana Decretum Urbis et Orbis de concurrentia Instrumentorum Passionis Dominicae et Cathedrae S. Petri quod adduxi in *Vol. II. p.* 239.

Digitized by Google

militer petiisset: Num Oppida illa in Gallia, quae peculiarem Patronum elegerunt, debeant istius peculiaris Patroni tantum Festivitatem ad insequentem Dominicam amandare, vel praeter hunc etiam illam Patroni principalis Dioecesis, S. C. rescribendum censuit: *Transferatur utrumque Festum sive Patroni Dioeceseos, sive peculiaris Civitatis ad Dominicam insequentem*. Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 9 Februarii 1867.

COMPOSTELLANA.

Quum in Metropolitana Ecclesia Compostellana, in qua iuxta dispositionem Sancti Pii V. in Missis solemnibus Evangelium cantatur in ambone seu pulpito, Diaconi intendant variare antiquam Ecclesiae ipsius consuetudinem, qua fit ut Subdiaconus librum Evangelii Celebranti ad osculandum portet, a S. R. C. exquisitum fuerit: An Diaconus finito cantu Evangelii in pulpito debeat tradere librum Subdiacono ut illum portet Celebranti osculandum? S. C. rescripsit: *Servetur solitum*. Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 9 Februarii 1867.

DIANEN.

Quum Rmus D. Dominicus Fanelli Episcopus Dianen. a Sancta Sede privilegium obtinuerit ob gravem, qua laborat, oculorum infirmitatem, Missam votivam B. M. V. quotidie celebrandi, a S. R. C. humillime exquisivit: Num hoc privilegio uti etiam valeat diebus illis, quibus Sacros Ordines confert. S. Congregatio rescripsit: *Permitti poterit qualenus ex concessione Apostolica poterit habere Sacras Ordinationes extra tempora*. Atque ita rescripsit. Die 9 Februarii 1867.

SANCTI FLORI.

Rmus D. Episcopus Sancti Flori a S. R. C. humiliter postulat solutionem sequentium quaestionum in consecratione Lapidis Altaris, videlicet:

Dicitur in Pontificali quod Episcopus, postquam madefecerit pollicem in aqua benedicta, facit crucem in medio tabulae, dicens; *Sancti✠ficetur et conse✠cretur haec tabula in nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus✠ sancti. Pax tibi.*

Deinde facit quatuor Cruces in quatuor cornibus Altaris repetens verba praemissa.

Quaeritur ergo I. Necessarium ne est facere in medio quinque signa cum pollice et deinde quinque alia signa singulis angulis in totum vigintiquinque? Vel sufficit facere solum signum Crucis in medio, et deinde alterum singulis angulis in totum quinque?

Quaeritur. II. Si sunt quinque signa omni vice necessaria, facienda sunt omnia cum pollice? an vero sufficit facere duo prima signa cum pollice, et tria ultima cum manu extensa super lapidem?

S. C. rescripsit: *Consulat Rubricam Pontificalis Romani, quae praescribit duo signa Crucis esse facienda cum pollice in medio, et in quolibet cornu*. Atque ita rescripsit. Die 9 Feb. 1867.

Digitized by Google

TRASCALEN.

Quum in Dioecesi Trascalen. plura Altaria portatilia consecranda sint Rmus D. Carolus Maria Colina hodiernus Episcopus Trascalen. ne nimium defatigetur, eorumdem consecrationem biduo aut triduo in qualibet hebdomada perficere statuit. Verumtamen cum aqua benedicta mixta cum sale, cinere et vino in hac benedictione requisita ut plurimum supersit, praefatus Episcopus insequentia duo Dubia S. R. C. enodanda proposuit, nimirum:

I. An aqua benedicta, quae superfuit in una consecratione, adhiberi possit in insequenti?

II. Et quatenus affirmative: pro quo numero consecrationum eadem aqua adhiberi possit?

S. C. rescripsit: *Negative in omnibus*. Die 9 Februarii 1867.

ORDINIS PRAEDICATORUM.

Director Kalendarii Provinciae Occitaniae Ordinis Praedicatorum exposuit contingere aliquando, ut Religiosus eiusdem Ordinis, qui iuxta proprium Kalendarium officium facit de Beato Ordinis, invitetur ad celebrandum in Ecclesia Parochiali, in qua iuxta Kalendarium Dioecesis agitur pariter officium de aliquo Beato. Quum autem ex Decreto S. R. C. diei 7 Septembris 1816, qui recitant Officium de Beato, celebrantes in alienis Ecclesiis debeant se conformare Ecclesiae, in qua celebrant, et aliunde ex Decreto generali diei 27 Septembris 1659 habeatur: Missae quae fuerunt indultae certis Personis nempe Presbyteris Regularibus vel Saecularibus alicuius loci vel Monasterii, seu Presbyteris alicuius Ecclesiae servitio praecipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus quavis dignitate etiam Cardinalatus insignitis minime celebrentur; in qua dispositione certo comprehensae videntur Missae Beatorum, Religiosi ipsi ancipites haerent: quid in casu agere debeant, cum aliunde celebratio Missae sit necessaria in Parochia, et non sit alius Sacerdos, quam praedictus Religiosus. Hinc praefatus Kalendarii Director a S. R. C. humiliter exquirit: An Religiosus in exposito casu conformare se possit Ecclesiae in qua celebrat? S. C. rescripsit: *Affirmative*. Die 13 Aprilis 1867.

IACEN.

Canonicus Poenitentiarius in Cathedrali Ecclesia Iacensi S. R. C. exposuit, in praefata Cathedrali Praebendam, qua ipse insignitur, non fuisse institutam, nisi postremis hisce annis. Quum ergo nullas circa assistentiam Altaris pro Diacono et Subdiacono consuetudines invenire potuerit, eo quod ipse primus ad Poenitentiarii munus fuerit adlectus, propterea eumdem ordinem hac in re cum caeteris Canonicis sequutus est. Verum quum non raro ob huiusmodi assistentiam plures poenitentes inconfessos relinquere debeat, graviter animo angebatur, cumque non eadem praxis in Metropolitanis vel Cathedralibus Ecclesiis Hispaniae

Digitized by Google

vigeat quoad servitium Altaris a Canonico Poenitentiario praestandum, de Rmi Ordinarii sui licentia eidem S. Congregationi quae sequuntur dubia enucleanda proposuit, nimirum :

I. Canonicus Poenitentiarius cogi ne potest ad inserviendum pro Diacono et Subdiacono in *Pontificalibus* et *Semi-Pontificalibus*, quacumque consuetudine in contrarium non obstante ?

II. Si negative ad primum: an in Cathedrali Iacensi attentis expositis circumstantiis ad id praestandum teneatur Canonicus Poenitentiarius ?

S. C. exquisita sententia Coeremoniarum Magistri rescribere rata est: *Propositis dubiis esse provisum per Decreta Sacrae Congregationis Concilii.* Die 13 Aprilis 1867.

CANARIEN. ET DE TENERIPHA.

Episcopus Canarien. et Administrator Apostolicus Teneriphensis in Altaribus Ecclesiarum utriusque Dioecesis vix aras seu tabulas lapideas rite consecratas invenit: ipse autem plura centena consecravit, ut illis suas ditaret Ecclesias. Attamen ex tabulis recenter consecratis 1. Quaedam existunt, in quorum sepulchro ex errore unius tantum Sancti Martyris Reliquiae conditae sunt, et quae ab aliis separatae existunt. 2. Aliquae autem numero perpaucae, de quibus dubitatur : an unius vel plurimorum Sanctorum Reliquias contineant, et quae ab aliis magno numero rite consideratis distingui non possunt. Quaesivit ergo a S. R. C.

I. An primae sint denuo consecrandae, vel sufficiat in eis ab ipsomet Episcopo, qui eas consecravit, aperiri sepulchrum, et ibi alterius Sancti Reliquias adiungere ?

II. An secundae possint relinqui prout sunt, permittendo, ut in eis celebretur, cum non possint ab aliis, qui duorum Sanctorum Reliquias in sepulchro habent, distingui ?

S. C. exquisita sententia Coeremoniarum Magistri rescribendum censuit : *Supplicandum Sanctissimo pro sanatione ad cautelam tantum.* Die 13 Aprilis 1867.

Facta vero de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua sanationem ut supra, quatenus opus sit, concedere dignata est. Die 2 Maii anno eodem.

BOBIEN.

In Capitulo Cathedralis Ecclesiae Bobien. huc usque usitatum fuit, ut signo Crucis sese signarent Hebdomadarius et Canonici ad *Deus in adiutorium*, initio omnium Horarum et Laudum; ad *Adiutorium nostrum*, ad *Indulgentiam, absolutionem* etc. et ad Benedictionem in fine Primae et Completorii; ad *Benedictus, Magnificat* et *Nunc dimittis;* ac pollice signarent os ad *Domine labia mea aperies*, et pectus ad *Converte nos Deus*.

Verum modo tres ex Canonicis opinantur in aliquibus ex praefatis locis solum Hebdomadarium se si-

Digitized by Google

gnare debere, et in aliis neminem. Ne vero diversitas haec in divino Officio recitando dissidiis occasionem praebeat, Canonicus Praepositus, ipsius Capituli nomine, a S. R. C. declarari petit: num antiqua praxis servanda sit, an non; in locis superius enumeratis exceptis Canticis *Benedictus* et *Magnificat*, super quibus iam a Sacra Congregatione consultum est? S. Congregatio rescripsit *Servetur consuetudo*. Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 13. Aprilis 1867.

MECHLINIEN.

Praepositus Generalis Societatis Sanctissimi Sacramenti paucis abhinc annis a Sancta Sede canonice approbatae nonnulla proposuit Dubia quoad Officii et Missae dispositionem, nec non alios sacros ritus et caeremonias, quorum enodationem a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit. Dubia autem sunt, quae sequuntur, nimirum:

I. Ex Indulto 9 Iunii 1863 quo benigne Sancta Sedes Societati Sanctissimi Sacramenti concessit Kalendario Almae Urbis uti, declaratur quod illi addendum sit Officium praecipui Patroni loci: quaeritur, an per verbum *loci* intelligendum veniat tantum *Dioecesis*, vel an simul et *Civitatis Regni*, admisso quod omnia ista loca habeant unumquodque suum Patronum praecipuum canonice electum et approbatum? Et quatenus affirmative: an inter suffragia communia commemoratio praedictorum Patronorum sit peragenda? Insuper, an adhibendum sit Officium proprium specialiter pro istis locis concessum, vel an recurrendum sit sive pro Missa, sive pro Officio ad Commune Sanctorum?

II. Quando celebratur in aliena Ecclesia, et ibi agitur de festo duplici minori cum Missa propria habente colorem diversum ab Officio Celebrantis; quaeritur: an recitari possit dicta Missa propria, vel ad Commune Sanctorum adeundum sit?

III. Iuxta Indultum pro reductione Festorum in Galliarum imperio Festum Dedicationis Ecclesiarum consecratarum agendum est Dominica post Octavam omnium Sanctorum; quaeritur: an praedictum Indultum Ecclesias Cathedrales et Parochiales tantum respiciat, vel an etiam Regularium? Et quatenus affirmative: an Regulares anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis transferre, vel omnino omittere debeant? Optaret Superior Generalis, supposito quod in dicto Indulto etiam Regularium Ecclesiarum Dedicatio includatur, ut liceat Alumnis suae Societatis Anniversarium Dedicationis suarum Ecclesiarum consecratarum peragere, prout fert ius commune, idest recurrente die ipso earumdem consecrationis.

IV. Titulus in actu consecrationis Ecclesiae, quam Congregatio Sanctissimi Sacramenti Bruxellis in Belgio habet, fuit enunciatus: -*Festum Sanctissimi Sacramenti miraculosi* – quod Dominica prima mensis

Digitized by Google

Iulii Bruxellis celebratur sub ritu duplici primae Classis cum Octava repetito Officio Sanctissimi Sacramenti. Cum nullo modo constet de canonica institutione Festi praedicti saltem post Bullam *Christi Domini* sa. me. Pii VII. cuius tenore fuerunt extincta omnia iura et privilegia Ecclesiarum in territorio Gallicanae Reipublicae sitarum, quaeritur: 1. An valeat praedictus titulus? 2. Quodnam Officium sit adhibendum in illius celebratione?

V. Cruces ad sacras unctiones praescriptae in Dedicatione memoratae Ecclesiae non fuerunt dispositae prout fert liber Pontificalis, et aliunde incuria plane supina quaedam fuerunt destructae effosso muro, quaeritur: an novis Crucibus loco et ordine requisitis, depictis, suppleri debeat illarum unctionis coeremonia iuxta formam Pontificalis?

VI. Licet ne partem adhibere, quae iacet subter pavimentum Ecclesiae praesertim consecratae, ut Cellarium et aliud huiusmodi, ad retinendum ibi vina et alias res mere profanas, quamvis aditus ad praedicta loca sit extra corpus sacri Aedificii?

VII. Viget in aliquibus locis usus deferendi Stolam in Verbi Divini annuntiatione etiam extra Missarum solemnia. Quaeritur inde: an sit dictus usus legitimus, et an obliget Regulares in suis saltem Ecclesiis? Et quatenus affirmative: cuius coloris debet esse praedicta Stola: an semper coloris albi, vel potius diei currentis?

VIII. Quaeritur: an possint praecipi, aut saltem permitti aliquae preces recitandae ad Altare post Missam non depositis sacris vestibus? Obstare videtur Decretum in Conversanen. diei 31 Augusti 1669?

IX. Quaeritur: an liceat adhibere publicam quorumdam precum recitationem vulgari sermone conscriptarum coram Sanctissimo Sacramento exposito? An possit admitti exceptio pro formulis communiter dictis *Amandes honorables* etc.

X. Quaeritur; an laudabilis sit consuetudo admittendi ut symbolicum ornamentum in Ostensorio seu Monstrantia regium vel Caesareum Diadema?

XI. Alicubi supponitur Cussinus sub Ostensorio in Sanctissimi Sacramenti expositione, et sunt qui asserunt quod ita sit tenendum ex Rubrica Missalis praescribente Cussini usum pro Missali in celebratione Missae; quaeritur: an Cussinus sub Ostensorio ponendus sit?

XII. Quaeritur: an observari possit usus, qui viget in Belgii Dioecesibus, campanulam pulsandi intra Missam, durante Sanctissimi Sacramenti expositione, saltem in casu, quo Altare, ubi celebratur Missa, iuxta partes sit Altaris maioris ubi fit expositio, et ita removeatur periculum irreverentiae erga Sanctissimum Sacramentum patenter expositum? Pariter: an possit sustineri praxis iis in locis vigens pias pecuniae collectiones agendi in Ec-

Digitized by Google

clesiis, ubi adest Sanctissimi Sracamenti expositio?

XIII. Quaeritur: an facultas benedicendi ornamenta, sacra linteamina etc. nobis a Sancta Sede benigne concessa, utpote generalis, valeat quoad ornamenta non tantum nostrarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum? Et quatenus negative: extensionem dictae facultatis ad ornamenta gratuito omnino distribuenda Ecclesiis pauperioribus desideraremus.

XIV. Quaeritur: an commemoratio omnium Apostolorum die 29 Iunii, et omnium Martyrum diei 26 Decembris, Indulta pro reductione Festorum in territorio Gallicanae Reipublicae nos respiciat, qui utimur Kalendario Urbis? Et quatenus affirmative: an dicta commemoratio sit facienda immediate post orationem festi diei, vel potius suo loco v. g. post Dominicae commemorationem si occurrat die 29 Iunii, et Octavae Nativitatis die 26 Decembris?

S. C. habita sententia Coeremoniarum Magistri rescribere censuit:

Ad I. *Affirmative ad primam Dubii partem pro Patrono loci particulari: affirmative ad secundam: ad tertiam vero sumatur commemoratio ex Officio proprio si habetur, secus de communi mutatis verbis, quae natalitium aut solemnitatem indicant in iis, quae memoriam exprimunt.*

Ad II. *Nisi constet de speciali privilegio legenda est ab extraneis Missa ut Missali Romano.*

Ad III. *Affirmative ad primum quaesitum: ad secundum vero, negative ad primam partem, affirmative ad secundam: ad petitionem autem, negative.*

Ad IV. *Affirmative ad primam Dubii partem, sed omisso verbo* miraculoso *in titulo: ad secundam pariter affirmative facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad V. *Depingantur iterum Cruces in Ecclesia, quarum sex in parte dextera, sex aliae in sinistra appareant; ita tamen ut duae sint prope Altare maius et duae prope Ecclesiae ianuam, omissa unctionis coeremonia.*

Ad VI. *Negative.*

Ad VII. *Affirmative in omnibus ad primam partem: ad secundam vero color respondeat Officio diei.*

Ad VIII. *Affirmative, dummodo preces dicantur assentiente Ordinario.*

Ad IX. *Affirmative, dummodo agatur de precibus approbatis.*

Ad X. *Dilata.*

Ad XI. *Negative.*

Ad XII. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam iuxta Ecclesiae ianuam et absque rumore.*

Ad XIII. *Negative in omnibus.*

Ad XIV. *Ad primam Dubii quaestionem, affirmative: ad secundam vero, negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 31 Augusti 1867.

Facta postmodum de quarto ex praedictis Dubiis SSmo D. N. Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua

Digitized by Google

sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, *pro gratia* benigne annuere dignata est. Die 5 Septembris anno eodem.

AMBIANEN.

Rmus D. Vicarius Generalis Dioeceseos Ambianen. haec quae sequuntur Dubia Sacrorum Rituum Congregationi enucleanda exhibuit, nimirum:

I. An in administratione Baptismi interrogationes, quibus respondere debet Patrinus infantis fieri possint vernacula lingua, quandocumque dictus Patrinus latinam ignorat; an saltem interrogatio sermone latino facta, ut fert Rituale, illico in vulgarem transferri possit?

II. Non raro accidit, quod aliquis adultus e parentibus Catholicis ortus, et in fide Catholica instructus omnique Sectae vel impiae pravitati alienus, baptizandus sit, eo quod incuria parentum infans non fuit baptizatus, vel quod subsit probabilis dubitatio de validitate Baptismi: Utrum in eo casu adhibendus sit ordo Baptismi parvulorum primo loco positus in Rituali, vel potius ordo Baptismi adultorum? Et quatenus respondeatur ordinem Baptismi adultorum esse adhibendum utrum omittenda sint non solum monita: *Horresce idola* etc. sed etiam *Cole Deum,* et Oratio, quae sequitur: *Te deprecor.*

III. Utrum consuetudo ministrandi Sacramentum Poenitentiae absque Stola, etiam in Ecclesia et Sede Confessionali, servari possit, cum Rituale Romanum, dum praescribit usum Stolae in administratione Sacramentorum, addat: nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat, et alibi idem Rituale subdat, Stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum *consuetudo* feret.

IV. Utrum Canonicus habens usum Rochetti et Cappae, vel Mozzettae, teneantur ea insignia deponere, et induere superpelliceum:

1. Ad Sacram Communionem ministrandam fidelibus extra Missam.

2. Ad celebrandum Matrimonium.

3. Ad impertiendam benedictionem nuptialem, si aliquando detur extra Missam.

4. In omni benedictione extra Missam.

V. Utrum pro superpelliceo uti valeat Sacerdos alba cum Stola in pectus transversa, in casibus praefatis, praesertim in celebrando Matrimonio, cum immediate post absolutionem ritus Matrimonii Missam pro Sponso et Sponsa celebraturus sit?

S. C. audito voto Coeremoniarum Magistri rescribere censuit:

Ad I. *Negative ad utrumque iuxta Decretum in* Molinen. *diei* 12 *Septembris* 1857. *ad* 17 (1).

Ad II. *Recurrat ad Sacram Universalem Inquisitionem.*

Ad III. *Conveniens est, ut in*

(1) Hoc Decretum reperies in *Vol. III. Appen. XII.*

Ecclesia adhibeatur Stola iuxta S. R. C. Decreta.

Ad IV. *Ex Decretis eiusdem Sacrae Congregationis Sacramenta administranda sunt cum Cotta et Stola, depositis Cappa aut Mozzetta: potest tamen Cotta superimponi Rocchetto, ideoque ad primam Dubii partem, affirmative: ad secundam pariter affirmative: ad tertiam, Benedictio nuptialis dari non potest extra Missam, adeoque non esse locum Dubio: ad quartum, affirmative.*

Ad V. *Si immediate sequitur Missa, Sacerdos praeter Albam et Stolam induere debet etiam Planetam.* Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 31 Augusti 1867.

COMPOSTELLANA.

In omnibus fere Cathedralibus Ecclesiis Hispaniae post solemne Concordatum anno 1851 inter Sanctam Sedem et Reginam initum, in quibus praeter Canonicos Beneficiati in veterum portionariorum locum constituti et subrogati sunt, iidem Beneficiati in ministerio Diaconi et Subdiaconi inserviunt in Missis Conventualibus a Canonicis celebratis. Iamvero quum Eñus et Rñus D. Card. Michael Garcia Cuesta Archiepiscopus Compostellanus a Sacra Rituum Congregatione petiisset: An haec consuetudo in Hispania retinenda sit, vel an Canonici saltem in Festis primae Classis debeant inservire in munere Diaconi et Subdiaconi, S. Congregatio, audita sententia Coeremoniarum Magistri declaravit: *consuetudinem qua in Missis, quae a Canonicis decantantur, duo Beneficiarii in ministerio Diaconi et Subdiaconi inserviant, retineri tuto posse: verum si in Ecclesia Cathedrali adsit aliqua Dignitas, uti Archipresbyter, Archidiaconus etc. convenire ut quoties ea Dignitas Missam solemnem celebrare debet, munus Diaconi et Subdiaconi non a Beneficiariis, sed a Canonicis exerceatur.* Die 31 Augusti 1867.

COMPOSTELLANA.

In Cathedralibus Ecclesiis Hispaniae communiter ex privilegio cantatur Evangelium in Ambone, seu Pulpito, dum Sacra solemnia celebrantur: Subdiacono proinde librum interea non tenente.

Iamvero finito Evangelii cantu putant aliqui Diaconum porrigere debere Subdiacono librum, ut Sacerdoti deosculandum deferat: alii autem putant Subdiaconum teneri librum per se sumere, quin ei a Diacono tradatur, in Pulpito praesertim satis amplo et spatioso. Quum autem in Metropolitana Ecclesia Compostellana, in qua afferebatur adesse primam consuetudinem, quae tamen etsi vera esset, ab Eño et Rño D. Cardinali Michaele Garcia Cuesta Archiepiscopo Compostellano per Decretum ut non obligatoria declarata est: ob hanc opinionum varietatem dissensio non levis exorta fuerit, idem Eñus Vir Sacram Rituum Congregationem humillime exoravit; ut declarare dignaretur, quid in casu esset agendum. S. Congreg. audita sententia

Digitized by Google

Coeremoniarum Magistri rescribendum censuit: *Servandam esse consuetudinem*. Atque ita rescripsit, et servari mandavit in Metropolitanà Ecclesia Compostellana. Die 31 Augusti 1867.

MALACITANA.

Magister Coeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Malacitanae a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium Dubiorum solutionem exquisivit, nimirum:

I. Utrum Concionator petere debeat Benedictionem a Celebrante intra Missam in Feriis Quadragesimae, an non; siquidem non constat ex Coeremoniali Episcoporum, cum sit usu et consuetudine receptum, ut non petatur Benedictio intra Missam in Feria IV. Cinerum, nisi a presente proprio Episcopo?

II. Utrum Ministri Sacri uti possint Dalmaticis in Dominicis Adventus et Quadragesimae in Ecclesiis ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ad fidelium venerationem, ut lucrentur Iubilaeum, qui dicitur Quadraginta Horarum?

S. C. rescripsit, *Negative*. Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 31 Augusti 1867.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

MATRIMONII.

Die 2 Maii et 29 Augusti 1868.

Compendium facti. Livius adolescens Graeco-schismaticus, Horatii eiusdem sectae religiosae filius, in catholica natione degens, cum inter suos cuiusdam fundi colonos, Caiam adolescentulam catholicam adspexerit, quae venustate formae vinceret paupertatem natalium, eam amare coepisse dicitur. Horatius pater vir ditissimus eam adolescentulam in suam domum vocavit, ut rei familiari inserviret. Haec fuit occasio, qua amor Livii vehementer creverit, quamvis Caia, ob disparitatem conditionis religionisque, nec non ob contrariam Horatii voluntatem, patefacto Livii amori non plene respondisse dicatur.

Attamen ex familiari consuetudine, in qua ipse Horatius quammaxime connivere visus est, contigit, ut, matrimonii promissione a Livio Caiae non semel facta, mulier in stuprum consenserit.

Verens autem Horatius ne filius suus, de quo magna cogitabat, puellam ignobilem sibi matrimonio iungeret, minabatur, se eum in Aegyptum missurum, et reiecturum Caiam eiusque familiam ex proprio fundo. Eiusmodi autem minas patris, qui asseritur propositi tenax, ut declinaret Livius, hoc ex aliorum suggestione iniit consilium, quod Caiae patefactum est: cogitatum scilicet est et Caiae propositum matrimonium cum quodam famulo N. rite contrahendum quoad externas solemnitates, ita tamen ut matrimonium inter eos nunquam consummaretur, et Caia permanere cum Livio deberet.

Huic proposito quamvis invita consensisse dicitur Caia; quare collatis consiliis cum famulo N. qui remunerationem habuit, matrimonium celebratum fuit anno 1851 coram Ecclesia inter Caiam et famulum N.

Digitized by Google

Dum nuptiae in templo celebrabantur, currus paratus extitit ante fores templi, quem Caia eiusque comitatus, excepto famulo N., dein conscenderunt et in villam quamdam transierunt; famulus vero Romam profectus est, quique deinde longinquas urbes peragrans, tanquam negotia gerens familiae Horatii, demum anno 1860 in regionem Caiae rediit, ex qua profectus est.

Famulus N. recipiebat a Livio libellas 100 singulis mensibus, quae anno 1863, priori lacerato chirographo, adauctae fuerunt aliis libellis 50: titulus ob quem libellae solvebantur a Livio in secundo chirographo expressus hic erat: *in compensationem servitiorum praestitorum ab anno* 1854.

Manente itaque Caia penes Livium ex hoc contubernio tres progeniti sunt filii annis 1856—58—61, iique in libris paroecialibus conscripti sunt tanquam filii ex Caia et famulo N. nati: quomodo autem inscriberentur hi filii in libris paroecialibus tanquam filii famuli N. qui longe aberat, ex eo evenit, quod alter familiae Horatii addictus, nomine famuli N. tanquam *momentanee absentis,* eos infantes e sacro fonte suscepit.

Attamen hi Caiae filii, non quidem ut famuli N.; sed ut Livii filii ab omnibus habiti sunt, iidemque se habent ut filios Livii cuius cura tum in catholicae fidei doctrina, tum in liberalibus disciplinis erudiuntur.

Iam a multis annis communis haec vitae societas publice quasi legitima esset perseverabat, imo strictiori vinculo quotidie magis confirmata est, praesertim in quodam pago, ubi domum denique constituerunt, donec, ad conscientiae stimulos retundendos, prolisque conditionem tutandam, Livius, ut ipse fassus est, desiderium nutriverit obtinendi declarationem nullitatis matrimonii inter Caiam et famulum N. contractum, ut e statu quo ipse et Caia erant resilirent.

Quod quidem desiderium exsecutioni denique mandatum fuit, petens Caia a SSmo nullitatis matrimonii sententiam *ex defectu necessarii consensus et ob conditiones quae adiectae fuerunt:* ac praeterea petiit, ut in causae propositione, praeter dubium super validitate matrimonii, adderetur aliud dubium super dispensatione a matrimonio rato et non consummato.

SSmus Pater eiusmodi preces ad S. C. C. remisit, quae de more remissae fuerunt ad Ordinarium, ut praevia confectione Proces-

Digitized by Google

sus, tam super asserta nullitate, quam super non habita consummatione, et super causis dispensationis, servata saltem in substantialibus canonica forma et Const. Benedicti XIV. *Dei miseratione* atque de resultantibus certiorem faceret S. Congregationem et Processum ipsum in forma authentica transmitteret.

Ordinarius, transmisso processu in forma authentica, dispensationis causas enarravit, quarum ratio habenda erat si secundum dubium esset dirimendum: ac praeterea animadvertit, omnes testes in Processu auditos fide dignos esse, quamvis alii audiri testes potuissent, quos consulto praetermisit.

Ex Processu autem desumpta sunt, quae superius synoptice enarravi quaeque uberius explicabuntur in sequenti disceptatione.

Disceptatio synoptica.

Quisque facile videt, totam quaestionem in facto versari; cum in iure certum sit, matrimonium sine vero consensu celebratum, matrimonium non esse: quare solutio primi dubii pendebat a quaestione an constaret de consensu simulato, aut saltem constaret de conditionibus appositis contra matrimonii substantiam.

Defensio Caiae.—Orator Caiae praemissa notissima doctrina, matrimonium solo consensu constare (servata quidem forma ab Ecclesia praescripta) iuxta textum in *cap. Cum locum* 14 *de spons.* ubi Alexander III. edixit: *matrimonium... solo consensu contrahi,* animadvertebat cum auctoritate Doctorum, non quemvis consensum ad illud contrahendum sufficere, sed requiri consensum liberum et verum. Et ad rem adduxit textum in *cap. Tua nos, de Sponsal:* in quo Innocentius III. in casu, in quo vir quidam simulatum consensum praestitisse dicebatur, ita respondit: «*Nos autem quid iuris sit rescribentes, dicimus quod, si res ita se habet, videlicet, quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in praedictam personam, non debet ex illo facto coniugium iudicari, cum in eo nec substantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi coniugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, et defuit omnino consensus, sine quo caetera nequeunt foedus perficere coniugale.*»

Porro nunquam, subiungebat Orator, Caiam sibi proposuisse nubere Famulo N., cum testes faterentur, inter Caiam et fa-

Digitized by Google

mulum N. in domo Horatii commorantes, non solum amorem non extitisse, sed potius extitisse aversionem; et e contrario amore raperentur Caia et Livius.

Ad causam autem ficti matrimonii ineundi deveniens Orator, ostendebat, eam non aliam fuisse nisi iram paternam, cum Horatius minatus sit filium mittere in Aegyptum ne contraheret cum Caia, quamvis assentiret, ut simul in sua domo manerent sine matrimonii vinculo: inde factum esse ostendebat, ut consilium initum fuerit dandi Caiae fictum coniugem ita ut, sub matrimonii specie cum alio contracti, ira paterna quiescere posset; atque ita, Caia libera manente, tempus adveniret, quo, nullitate simulati matrimonii ostensa, Livius et Caia matrimonium possent contrahere; atque publicam famam esse, illud matrimonium comice initum fuisse ad compescendam iram paternam.

Ad eiusmodi simulationem confirmandam, adducebat Orator conditiones matrimonio adiectas, quarum una est, ut, matrimonio contracto famulus N. e vestigio evaderet, nec unquam matrimonii usum attentaret; altera vero, ut puellam in Livii contubernio permaneret: quae quidem conditiones communi consilio conscriptae fuerunt et in acceptis habitae in primo chirographo in quo stipulata fuit perpetua pensio favore famuli N. ut speciem coniugis praeferret.

Quin imo etiamsi simulatus consensus non ostenderetur, eiusmodi conditiones iam irritum reddissent matrimonium, iuxta notissimum textum in *cap 7 de condit. apposit.* in quo Gregorius IX declaravit: « *Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri: contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis caret effectu. Licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi.* Quem textum ample Doctores exornant.

Nec praetermisit Orator quaestionem, quae sese offert, quando contenditur, an consensus matrimonialis emissus sit sub aliqua conditione: videlicet, an conditio exprimi debeat in actu matrimonii, vel sufficiat ut serio exprimatur ac statuatur ante con-

Digitized by Google

tractum. Ipse autem, Pitonii doctrinam allegans *Discept. eccl.* 58 *n.* 12 *et seqq.*, contendebat sufficere, ut conditio serio statuatur ante contractum, praesertim vero si de conditionibus agatur, quae sine insania edi palam non possunt, atque inde respondeant conditionibus praestitutis subsequentes actus.

Gradum faciens Orator ad secundum dubium, apertissime ostendebat, matrimonium de quo agimus nunquam fuisse consummatum: atque causas dispensationis super matrimonio rato et non consummato in praesentia suppetere contendebat, cuiusmodi erant animarum periculum, legitimatio prolis, successio haereditaria etc.

Defensio Matrimonii. — In prima causae propositione matrimonii Defensor totus in eo erat, ut infirmaret et dicta testium et testium auctoritatem, atque consideratis adiunctis, quae matrimonium praecesserunt, quae concomitata sunt, et quae sunt consequuta, ostendere conatus est non constare de simulato matrimonio.

Animadvertebat itaque excludendas esse confessiones iudiciales famuli N. et Caiae, tum quia coniugum confessiones contra validitatem matrimonii parvi sunt aestimandae, tum quia in propriam turpitudinem in casu deponerent. Testes autem reliquos reducebat Defensor ad sex, quorum tamen testimonia infirmare nisus est asserendo, si unum excipias testem, omnes testatos esse *ex auditu*.

Auctoritatem autem testis, quem ab hac nota excepit, infirmare nisus est, quia consiliarium imo auctorem se describeret eorum omnium, quae gesta essent ad matrimonium de quo agimus constituendum; unde inquiebat non mereri in iudicio fidem, qui tantae turpitudinis capacem semet exhiberet. Quare deesse affirmabat plenam probationem, quae necessaria esset ad matrimonium simulatum demonstrandum. Eo vel magis, quod nonnulla testium dicta contradictoria ipse repererit. Cum itaque matrimonium fuerit cum omnibus requisitis solemnitatibus contractum, atque consensus emissus ab utroque sponso coram Parocho, pro vero validoque coniugio standum esse concludebat.

Sed considerans conditiones, quae appositae matrimonio dicebantur, haec animadvertebat: conditiones famulo impositas nunquam habendi tanquam uxorem Caiam, discedendi e loco,

Digitized by Google

ubi Caia degeret etc. conscriptas referri in documento, quo Livius sese obligabat, solvendi famulo N. libellas 100 singulis annis; iamvero eiusmôdi documentum non afferri, sed alterum exhiberi, quo anno 1863 aucta est pensio ad libellas menstruas 150, in quo non alia causa huius solutionis affertur quam *ob praestita servitia.*

Caeterum, quando agitur de conditionibus demonstrandis matrimoniali contractui adiectis, quae ipsam substantiam consensus inficiant, non sufficere contendebat, ut de his conditionibus antea agatur, sed eas apponendas et exprimendas esse in ipso actu matrimonialis contractus: quod nominatim confirmabat auctoritate Pitonii *discept. eccles.* 52 *n.* 41 *et seqq.* ubi hic auctor scripsit: « Hoc praemisso, dico, quod praescindendo ab antiquo » iure sacrorum canonum, cum matrimonium de quo agitur fue» rit coram Parocho et testibus pure celebratum per verba de » praesenti sine ulla conditione, Ecclesia pure et simpliciter iu» dicare debet, illud fuisse contractum; quia cum matrimonium » hodie in eius facie sit celebrandum iuxta Tridentinum, quid» quid coram ipsa non fuit dictum, dicitur non adesse in rerum » natura, neque conditio in animo retenta aliquid operatur..... » Neque suffragari potest praeambulus tractatus, seu protestatio; » quia huiusmodi conditio debuit explicari publice, et palam in » faciem ecclesiae, nempe coram Parocho et testibus ... et etiamsi » per momentum ante matrímonium contrahentes secum conve» nerint sub conditione, adhuc censeri debeant ab ea recessisse in » actu matrimonii, ex quo protulerunt coram Parocho et testibus » consensum purum; et contrarium confitentes, scilicet durasse in » pristina voluntate, non merentur attendi, et in hoc applicatur » dictum Glossae in *cap. Tua nos de spons. in verb. Mulierem,* » – ibi – *Et si dicat, quod adhuc tempore contractus erat in ea*» *dem voluntate, non creditur....* »

Quod si in consideratione habendae non sint conditiones appositae ante matrimonium, quando matrimonium pure contrahitur coram ecclesia, eo minus in consideratione habendas esse, contendebat Defensor, in praesenti casu, cum ipsamet Caia in iudicio fassa sit, conventiones inter ipsam et famulum N. initas esse ante matrimonium nullo teste praesente.

Digitized by Google

Hisce aliisque animadversis ad aliud accedebat expendendum dubium; sed haec retulisse sufficiat, cum potior quaestio, circa primum dubium versaretur.

Defensio matrimonii in secunda causae propositione. — In prima causae propositione, resolutum fuit a S. C. primum dubium favore Caiae: quare matrimonii Defensor novam audientiam ex officio postulans iuxta Benedictinam Constitutionem, *Dei miseratione,* iterum causam maiore animi contentione pertractandam suscepit matrimonii favore.

Relatis enim verbis Glossae in Cap. *Tua nos de Spons. verbo, Mulierem,* ubi scriptum legitur: « Sed pone quod aliquis protestatur coram pluribus, quod omnia quae dicet et faciet, non » faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat: consentio in te, numquid est hoc matrimonium vel non? » In casu isto dico, quod ecclesia iudicare debet pro matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam; talia enim verba non possunt servire suae intentioni; » propterea si probet quod illa protestatus fuit, primo potuit » postea recedere ab illa voluntate et consentire in illam, et » hoc videtur per illud quod postea publice facit; et si dicat, » quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non » creditur ei: quia contra eum debet fieri interpretatio qui dolum adhibet etc. » animadvertebat Defensor, haec maiorem vim habere post Trid. Concilium, quod formam praescripsit matrimonii contrahendi ad dolum avertendum.

Neque esse coniugibus credendum, quando de nullitate matrimonii agant, etiamsi id iuramento firmaverint, ceu ad rem docet Berardi in *Dissert. VII. de dissociatione coniug. c.* 1 ubi scripsit: « Partium, seu coniugum spontanea confessio, etiamsi » sit sacramento iurisiurandi firmata in hoc proposito minime » sufficit, nisi alia gravissima testimonia concurrant. Quamquam » enim verissimum sit, aliquando ex unius coniugis confessione » matrimonium, de cuius vi disputatur posse consistere... numquam tamen definitum scio, simili coniugum confessione posse » dissolvi, nisi et alia concurrant veritati edocendae argumenta... » siquidem proniores esse debemus ad sententiam ferendam favore matrimonii semel contracti, quam simus ad coniugium » dissolvendum. »

Digitized by Google

Iam vero interrogata Caia; *an conditiones factae cum famulo N. nunquam consummandi matrimonium inter eos et continuandi rationem vivendi cum Livio, notae aliis essent?* Respondit: *neminem fuisse praesentem, an vero aliquis id sciret dicere nequeo.* Item famulus N. interrogatus: *utrum in illis conditionibus alii essent praesentes?* Respondit: *nullus alius praesens fuit.*

Eo vel magis, quod eiusmodi confessiones coniugum opponerentur testimonio praecipui testis, qui tanquam consiliarius et auctor gesti negotii repraesentatur, cum hic interrogatus: *utrum conditiones expositae quibus conventum est dictum matrimonium essent a se auditae inter ipsos paciscentes,* respondit: *non solum eas concordari audivi inter ipsos paciscentes, sed ego ipse interveni et cooperatus sum ut illi convenirent.* Ita ut nescias cui sit credendum.

Haec quidem confirmabat ex scopo ob quem matrimonium fuit contractum: namque ex tota actorum serie constare inquiebat, illud fuisse contractum, ut impossibile redderetur matrimonium inter Livium et Caiam, atque ita quiesceret ira patris Livii gravissimas minitantis poenas; ipsumque patrem illi matrimonio ultro consensisse ad removendum periculum coniugii inter filium et Caiam. Porro eiusmodi scopum pater non obtinuisset si conditiones contra matrimonii substantiam appositae aut simulatus consensus editus esset. Eo vel magis quod huiusmodi conditiones non essent ignotae eidem Livii patri, cum ipse famulus N. fassus sit in iudicio, chirographum, quo menstrua pensio libell. 100 retributa est, continens eas conditiones matrimonio adversas, subscriptum fuisse non solum a Livio, sed etiam a Livii patre.

Neque ipse Livius et Caia obtinuissent, id, quod dicitur exoptasse: namque si de ficto matrimonio contrahendo res fuisset, ut Caia libera maneret ad contrahendum deinde cum Livio, omnes cautelae adhibitae essent, ut de nullitate matrimonii aperta probatio in promptu haberi posset: iam vero, Caia et famulo N. fatentibus, nullus praesens fuit tempore, quo pacta illa inita ad invicem sunt.

Quare, concludebat Defensor, non fictum inter famulum N. et Caiam initum fuisse matrimonium, sed verum; ita tamen, ut si ipse famulus N. iura matrimonialia exerceret cum Caia,

Digitized by Google

imo si rediret in regionem ubi Caia degeret, statim pensionem menstruam amisisset.

Hanc autem turpem conditionem non abstulisse ius famulo N. exercendi matrimonialia iura, sed ea iura exercere cum non potuisse sine amissione pensionis. Quod quidem confirmabat ex eo, quod ideo fuit conquisitus famulus N. ac praeelectus, quia hic magis idoneus fuerat iudicatus, qui vi pecuniae a iuribus matrimonialibus abstineret, ceu ipsemet Livius in iudicio fassus erat.

Et eam fuisse causam, inquiebat Defensor, cur pensio menstrua libell. 100 stipulata anno 1851 acta fuerit famulo N. libellis 50 anno 1863, quia iura matrimonialia hic reclamaret. Unde ex tota actorum serie non quidem fictum matrimonium ostendi, sed ea omnia quae afferentur ad matrimonium fictum ostendendum, non aliud ostendere nisi lenocinium, cum famulus N., matrimonialibus iuribus acquisitis, promiserit Livio et eiusdem patri se iisdem iuribus non esse usurum, et Caiam relicturum penes ipsum Livium.

Quid regereret Caiae orator. — Caiae Orator, qui victoriae palmam retulit, statim animadvertit, Defensorem matrimonii in contentionis aestu, dum vellet declinare Charybdim incidisse in Scyllam: namque Defensor matrimonii, cum ostendere contenderet matrimonium non fuisse fictum sed verum, concedebat, imo ostendere nisus est, famulum N. sub conditione contraxisse, ut Caia adulterandam se traderet, quamvis Defensor assereret famulum matrimonialia iura sibi reservasse: quae conditio cum sit contra matrimonii substantiam, eo ipso matrimonium fuisse nullum. Quod Orator, serie Doctorum allegata, confirmabat.

Quin imo cum neque primam partem Orator Caiae concedere vellet, pluribus adductis testimoniis testium, iterum ostendebat, matrimonium fuisse ficte celebratum: neque interesse an Horatius Livii pater, vir Graecus, sciverit, matrimonium ficte fuisse celebratum, cum satis sibi esset, ut matrimonium quocumque modo contraheretur, existimans illud amplius solvi non posse: novisse tamen Livium fictum matrimonium esse nullum, sibique apertam manere viam ad Caiam tandem aliquando matrimonio iungendam, quod pluribus testimoniis pariter ostendebat.

Digitized by Google

Denique argumentum iterum retorquens contra Defensorem, inquiebat, matrimonium contractum sub conditione, quae matrimonii substantiae adversetur, ideo esse nullum, quia est matrimonium fictum: namque contrahentes matrimonium cum conditionibus adversus matrimonii substantiam verum matrimonium contrahere non intendunt: quod serie Doctorum confirmabat. Unde etiamsi dicatur, matrimonium verum contractum fuisse sub conditione, quae eiusdem substantiae adversetur, semper verum esse matrimonium fuisse fictum.

Hisce aliisque ample disputatis proposita fuerunt dirimenda

Dubia.

I. « An constet de nullitate matrimonii in casu :
» seu potius
II. » An sit consulendum SSmo pro dispensatione super ma-» trimonio rato et non consummato in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 2 Maii 1868 in prima causae propositione respondere censuit: ad I. *Affirmative:* ad II. *provisum in primo.*

In secunda causae propositione, propositis dubitandi formulis: I. « an sit standum vel recedendum a decisis in primo du-» bio in casu: II. an sit standum vel recedendum in secundo dubio in casu : » die 29 Augusti 1868 respondit: *in decisis.*

Ex quibus colliges:

I. Matrimonium ex condicto celebratum, ut mulier uxor unius in foro externo evadat, ita tamen ut alter eadem muliere utatur, esse nullum.

II. Id autem duplici sensu posse intelligi, vel quatenus matrimonium ludicre contrahatur, ita ut neque vir neque mulier intentionem habeat matrimonium celebrandi; vel quatenus intentionem uterque habeat celebrandi matrimonium sub conditione ut mulier adulterandam se traderet.

III. Matrimonium alterutro sensu acceptum esse nullum, cum in primo casu explicite consensus matrimonialis desit; in secundo casu intentio contrahendi verum matrimonium implicite deficiat, cuius substantia est ut sint duo in carne una.

IV. In praesenti casu constitisse ex universa actorum serie alterutro sensu matrimonium fuisse certe celebratum.

Digitized by Google

V. Colliges demum, quamvis conditiones sub quibus matrimonium dicatur contractum exprimi debeant in ipso celebrationis actu, ut in foro externo in consideratione habeantur: tamen dari posse casus in quibus de actuali contrahentium intentione aliunde constare possit (1).

(1) Uterque Orator in praesenti causa sui favore auctoritatem celebris Pitonii adduxit: haec tamen quoad Pitonii sententiam sunt adnotanda. Pitonius de hac re primo loco scripsit in *Discept. eccles.* 52 *n.* 40 *et seqq.* in qua, oscitantia quadam, duas quaestiones simul confundere videtur, quarum prima est, an in foro externo sint in consideratione habendae protestationes, tractatus, uno verbo, conditiones sub quibus contrahere coniuges matrimonium conveniant, si deinde coram ecclesia verba contractus matrimonialis absoluta proferant absque ulla conditione: altera autem est, an consensus absolute expressus coram ecclesia possit esse nullus ob conditionem subintellectam et non espressam in actu celebrationis. Pitonius in dicta *Disceptatione* primam quaestionem negative resolvens adeo simul negationem urget, ut sentire videatur, impossibilem esse in praesenti matrimoniali disciplina, ut consensus pure seu absolute expressus coram Ecclesia possit esse nullus ob conditionem mente retentam in actu celebrationis. Certe rem nimis ursit Pitonius, sed tamen in eadem *Disceptatione n.* 46 in fine expresse fassus est, ea omnia se dixisse *per modum dubitandi non autem decidendi, ad hoc, ut si casus eveniat materia melius examinetur*. At vero si rationes, quas Pitonius adduxit in ea *Disceptatione* expolientur ac secernantur ab illis quae secundam quaestionem respiciunt, validae mihi videntur, easdemque sic segregatas adduxi in *Appendice XI. pag.* 376 *in Vol. I.*

Nihilominus Pitonius ipse eandem nimis duram sententiam nec veram, quatenus negare visus est etiam dictam secundam quaestionem, quodammodo temperavit in *Discept. eccles.* 58 varios distinguens casus quorum tertius est « ubi » partes (sic ille) intendunt contrahere » *matrimonium fictum*, de quo praece- » denter constat per conventionem ex » honesta causa factam, et deinde con- » trahunt per verba exprimentia consen- » sum verum coram Parocho et testibus » ignorantibus illum praestari in matri- » monio ficto. Et in huiusmodi casu nemo » unquam dubitavit matrimonium esse » nullum... ea ratione, quod Ecclesia » facere non potest quod consensus fi- » ctus habeatur pro vero, seu quod con- » sensus praestitus in matrimonium fi- » ctum et realiter simulatum illud con- » stituat validum ac verum. »

Hic tamen Pitonius non animadvertit, quod si consensus fictus, quem in mente contrahentium lateat, nullum reddat matrimonium quia Ecclesia facere non potest ut consensus fictus habeatur pro vero, reddere pariter nullum matrimonium possit consensus conditionalis, quem lateat in mente contrahentium, cum neque Ecclesia facere possit ut consensus conditionalis habeatur pro consensu absoluto. Quare eiusmodi quaestio, est potius quaestio facti quam iuris. Dico *potius* quaestio facti; nam est etiam quaestio iuris: quae quidem iuris quaestio tota ad hoc reducitur: an generatim admitti debeant in iudicio, tanquam sufficiens argumentum nullitatis matrimonii, tractatus conditionales praecedentes matrimonium quod absolute sit contractum coram ecclesia. De qua re recoli possunt quae adduxi in *citata Appendice* relata *pag.* 371 in *Vol. I.*

Digitized by Google

PENSIONIS.

Die 11 Iunii 1868.

Compendium facti. In Capitulo cathedralis ecclesiae N. existit Dignitas titulo *Primiceriatus*. Hanc Dignitatem conferre consueverunt Episcopi imposito onere eidem Primicerio solvendi annuam pensionem scut. 20 favore unius ex Canonicis eiusdem Cathedralis. Porro, qui hac pensione donati sunt, fuerunt Decani eiusdem Capituli.

Vertente anno 1864 obiit possessor huius Dignitatis: eamdemque Dignitatem Episcopus contulit Francisco N. atque Bullae episcopales expeditae fuerunt cum onere solvendi dictam annuam pensionem favore Canonici Decani B.

Accidit autem ut Decanus B. moreretur antequam Franciscus in possessionem Dignitatis immitteretur. Hinc Ioannes successor in Decanatum, putans pensionem vi consuetudinis Decano debitam iri, eam a Francisco postulavit, qui solvere renuit. Tum Decanus ut sibi suisque successoribus consuleret, protestationem emisit, ut propria iura sarta tectaque manerent. Deinde preces S. Congregationi admovit, ut eiusmodi controversia ad iuris tramites dirimeretur.

Ordinarius rogatus ut audito Capitulo S. Congregationem certiorem redderet de bono Oratoris iure suamque mentem aperiret, inter caetera enarravit, Episcopos antecessores multis abhinc annis consuevisse offerre eam Dignitatem Canonico Decano. Canonici Decani recusantes eiusmodi Dignitatem, obtinuerunt pensionem novo Primicerio impositam: haec constare ex quatuor vel quinque collationibus, quibus Decani hac pensione gavisi sunt. In hac ultima vacatione recusans Decanus B. oblatam sibi Primicerii Dignitatem obtinuerat dictam pensionem, sed vix novus Primicerius obtinuit Bullas, mortuus est Decanus B. Tum novus Decanus Ioannes pensionem petiit, ea praecipue de causa, quod Primicerius in possessionem immissus adhuc non fuerat etc.

Disceptatio synoptica.

Defensio Primicerii. — Cum novus Decanus ad vindicandam sibi pensionem inniteretur quammaxime consuetudini, iuxta

quam Canonici Decani gavisi erant pensione, Primicerius initio ostendere curabat huius consuetudinis assertae deficientiam, ex ea praesertim ratione, quod actus facultativi quibus usi erant nonnulli Episcopi ad pensionem assignandam favore Decani non possent constituere consuetudinem.

At admissa etiam consuetudine qua pensio constanter soluta esset Decano, recte animadvertebat idem Primicerius, probandum remanere, ut, reservata pensione favore Decani, eadem reservata etiam censeretur favore successoris in Decanatum: id autem non solum ex adverso non demonstrari, sed falsum omnino deprehendi, cum eiusmodi assertio resisteret iuri et facto: in iure enim tritum esse adagium: pensionem extingui morte pensionati: in facto vero erui ex ipsis Bullis pensionem a se solvendam esse, donec Decanus B. vita frueretur.

Defensio Decani. — Orator novi Decani maximopere contendebat ostendere inveteratam consuetudinem ex adverso negatam, ex ea praesertim ratione, quod Episcopi non possint ordinario iure pensiones in conferendis Beneficiis imponere, cum obsistat universalis canonica lex: *ut Beneficia sine diminutione conferantur*, de qua re Mandosius *De Signat. Grat. §. pen. n. 7 et §. extinct. n. 3*. Quare si Episcopi dioecesis N. id agere potuerunt, nonnisi longaevae consuetudini esse tribuendum arguebat, quae, ut dici solet, meliorem titulum de mundo praebet. Atque ita huic consuetudini probandae insistebat ex tribus actis successivis ab anno 1791 ad annum 1830, quibus favore Decanorum pensio collata fuerat.

Neque obstare contendebat novo Decano collationem Dignitatis Francisco factam antequam ipse Decanatu frueretur: namque praeter caetera, Franciscus in Dignitatis possessionem non fuerat immissus; quamvis caeteroquin id culpae verti non possit eidem Francisco, qui ideo possessionem non statim cepit, quia Bullae muniri deberent *Regio exequatur*.

Hisce aliisque disputatis propositum est resolvendum

Dubium

« An sit locus solutioni pensionis in casu.»

Resolutio. — S. Congregatio Concilii re cognita die 11 Iulii 1868 respondere censuit: *negative*.

Digitized by Google

Ex quibus colliges:

I. Quamvis lex generalis existat, ut Beneficia sine diminutione conferantur, posse nihilominus Episcopos pensiones imponere in collatione Beneficiorum (1).

II. Beneficiarium, qui pensione solvenda gravatur, tantum gravari, quantum in Bullis collationis fuerit legitime praescriptum.

III. In praesentia gravatum fuisse Dignitarium pensione solvenda favore viventis Decani, quare, eo mortuo, gravamen eo ipso cessasse.

IV. Neque interesse, an gravamen cessaverit antequam possessionem dignitatis cepisset, ita ut nullum senserit gravamen: per possessionem enim Bullae collationis, quae legem ipsi faciunt, non immutantur.

BONORUM PAROCHIALIUM.

Die 2 Maii 1868

Summaria precum. In dioecesi N. duae ecclesiae parochiales initio saeculi decimi sexti inter se distinctae atque independentes, lapsu temporis (ignoratur quomodo) unitae sunt, ita ut Parochus ecclesiae A. utramque paroeciam regeret auxilio Cappellani ad nutum eius amovibilis et tenui remunerati stipendio, qui vices Parochi in ecclesia B. fungeretur.

Cum ex hac unione plura et gravia incommoda originem ducerent, iisdem obviandis anno 1779 Episcopus illius temporis

(1) Episcopi ex iamdiu invecta consuetudine pensiones imponunt in collatione Beneficiorum: eiusmodi autem pensiones, quae ab Episcopis imponuntur, non possunt considerari tanquam onera realia Beneficio imposita, sed considerari debent tanquam onera personalia imposita Beneficiario: et ideo Episcopi generatim non possunt imponere pensiones perpetuas ex. gr. favore alicuius collegii quod nunquam moritur, vel, ut in casu contendere visus est novus Decanus, favore Praebendae decanalis. Huiusmodi enim pensiones non solum gravarent Beneficiarium sed ipsum Beneficium, et fieret veluti Beneficii sectio, quam sectionem, obstante principio, ut *Beneficia sine diminutione conferantur,* Episcopi auctoritate ordinaria generatim facere non possunt.

Digitized by Google

in actu s. Visitationis decretum edidit, vi cuius Cappellanus, facto periculo, ad curam animarum ab Ordinario adprobandus, nonnisi ex huius consensu removendus esset; insuper aliquot eidem ex iis, quos antea Parochus possidebat, fundi assignati fuerunt.

Sed cum non omnia incommoda hoc decretum sustulisse videretur, Parochiani ecclesiae B. initio huius saeculi, S. C. expostularunt pro dismembratione harum duarum ecclesiarum, restituta Ecclesiae B. indipendenti animarum cura. Benigne a SSmo his exceptis precibus Rescriptum prodiit die 1 Octobris 1802, pro dismembratione arbitrio Ordinarii facienda, ita ut in ecclesia B. constitueretur Parochus perpetuus eligendus per concursum ad formam Concilii Tridentini *cum assignatione respectivorum fundorum ad emolumentum, ratione praesertim habita antiquae divisionis.*

Episcopus Rescriptum exsecutioni statim mandavit edito decreto ex nunc, ut dici solet, pro tunc, cum nulla ex dictis paroeciis vacaret, in quo decreto, Parocho ecclesiae B. assignavit non solum bona omnia et emolumenta de quibus in decreto anni 1779, sed novum etiam praedium nuncupatum *Le Case bruciate,* et ius exigendi, quemdam canonem.

Iuxta hoc decretum res pacifice processisse visae sunt usquè ad annum 1866, quo tempore Parochus ecclesiae B., capta occasione vacationis ecclesiae A. supplicem libellum S. C. obtulit in quo exponebat, non ex alia causa quam ex conscientiae debito, paroeciae B. pertinuisse ab initio fundum quemdam *Il fornello* appellatum, quod probari contendebat ex inventario quodam anni 1549, et ex vulgari traditione quae ex eodem inventario originem duceret; deinde vero innixus verbis illis Rescripti Apostolici quod exigebat ut assignatio fundorum fieret *ratione habita antiquae divisionis,* innuere videbatur in exsecutione Rescripti hanc clausulam minime fuisse servatam.

Super his precibus, prout moris est, rogatus Episcopus, ut, audito in scriptis Curatore vacantis ecclesiae A. nominatim deputando, suam ederet animi sententiam, allegationes Curatoris S. Congregationi transmisit.

In his ergo allegationibus Curator duo illa, quae a Parocho B. proponebantur ita breviter refellebat: adnotabat scilicet in actu exsecutionis Rescripti apertis verbis declarari, opportunas

Digitized by Google

assumptas fuisse notitias antequam ad Paroeciarum divisionem deveniretur, et unicuique proprii redditus tribuerentur: ideoque praesumendum esse id temporis defecisse argumenta ad evincendam proprietatem dicti praedii *il Fornello* favore ecclesiae B. Adnotabat praeterea, in precibus id temporis a Paroecianis B. S. Sedi propositis, petitum fuisse quidem praedium *le Case bruciate* et canonem de quo supra, at ne verbum quidem eos fecisse de praedio *il Fornello:* ex quo arguebat idem Curator neque traditionem supra ex adverso oppositam extitisse. Denique quidquid de hac re fuerit, militare in praesentia favore ecclesiae A. praescriptionem plus quam quadragenariam: quin imo etiamsi evinci posset proprietatem praedii *il Fornello* ad ecclesiam B. pertinuisse, non tamen idem restituendum esse videri ob Rescripti clausulam *habita videlicet ratione antiquae divisionis,* quae addita potius videretur ad denotandam proportionem in divisione bonorum facienda, quam ad omnia et singula reddenda, eo plane modo, quo ante unionem res se haberent.

Rescriptum. Hae preces S. Congregationi Concilii propositae in comitiis die 2 Maii 1868, negativo responso fuerunt dimissae per consuetam clausulam: *iuxta exposita, lectum.*

Ex quibus colliges:

Quaestiones, quae moveantur de iuribus bonisque paroeciarum, quando suo Rectore careant, non esse definiendas sine defensore ex officio deputando, qui partes suscipiat paroeciae vacantis (1).

(1) Id est iure canonico expresse statutum, ut videre est in *Cap.* 1 *de Rebus ecclesiae non alien. in* 6.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

SUPER RECLAMATIONIBUS CONTRA EPISCOPI DISPOSITIONES.

Die 7 Februarii et 15 Maii 1868.

Compendium facti. Sacerdos N. veneratione dignissimus varia pietatis et charitatis instituta in sua dioecesi fundavit, idest quandam Mulierum communitatem infirmis inservientium, orphanotrophium tum puerorum tum puellarum, institutum Adorationis perpetuae coram SSmo Sacramento, institutum Perseverantiae, congregationem agricolarum etc.

Postquam haec varia instituta pia fundavisset, consilium iniit constituendi quandam congregationem Presbyterorum, qui munus susciperent tum dirigendi ea pia instituta, tum praedicandi in missionibus dioecesanis.

Hac de causa idem venerandus Sacerdos N. sibi adscivit duos Presbyteros, qui, interveniente Episcopi venia, suis relictis paroecialibus officiis (erant enim Vicarii-Parochi) sub directione eiusdem Sacerdotis in dicta pia opera et in dioecesanas Missiones incubuerunt: hac ratione visae sunt etiam reviviscere Missiones dioecesanae in ea dioecesi, iuxta morem earum regionum.

Idem Episcopus illius temporis, animos addens hisce Presbyteris, qui *Adoratores Missionarii* sunt appellati, quadam adprobatione regulas huius parvae Congregationis die 13 Decembris 1856 communivit.

Hae regulae ita se habent: « Congregatio eum scopum sibi praestituit, ut ope Missionum, cognoscatur et adoretur Iesus Christus, et curam suscipiat piorum institutorum, quae fundavit Sacerdos N.

» Iidem Presbyteri adiungent his operibus omnia ea opera, quae eisdem Episcopus sit commissurus, qui primus Superior eorum est, cui obsequium et obedientiam praestabunt maiorem, quam caeteri Presbyteri.

» Superior Congregationis immediatus eligetur ab Episcopo inter Congregationis Presbyteros.

» Unusquisque Congregationis socius aletur sumptibus communitatis per integrum suae vitae tempus; ideoque Presbyteri renuntiant cuivis stipendio.

» Fundi Congregationis consistent in variis redditibus, quos ipsa Congregatio possidet, in Missarum eleemosynis, in proventibus ex concionibus; qui redditus si non sufficiant, pia instituta a dicto Sacerdote N. fundata auxilium praestabunt iuxta Apostoli dictum: *si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est si nos carnalia metamus.*

» Non cooptabuntur in societatem nisi Presbyteri irreprehensibiles sub quovis respectu, atque idonei ad annuntiandum convenienti ratione Verbum Dei.

» Presbyteri post Novitiatus annum votum stabilitatis in Congregatione emittent: tempus autem Novitiatus limitari etiam poterit ab Episcopo.... »

Eiusmodi regularum ordo lectus fuit ab Episcopo illius temporis, qui hisce verbis eas regulas confirmavit suoque sigillo communivit: *visus et adprobatus, ut ope divinae gratiae observetur a Presbyteris Missionis dioecesanae. Die* 13 *Decembris* 1856.

Mortuo pio Sacerdote N. die 4 Maii 1857, eodem anno alter Presbyter in Congregationem fuit cooptatus, ita ut tres essent Congregationis socii, quos indicabimus per literas A. B. C.

Hi tres socii totis viribus dicebantur incubuisse ad complendum sui instituti scopum, eorumque labores in irritum non cessisse, cum in Missionibus dioecesanis felices collegerint fructus.

Sed praeter Missionum ministerium, administrationemque Sacramentorum, duo erant pecularia pia opera in quibus maxime versati sunt; idest in promovendo pio instituto adorationis coram SSm̃o Sacramento in publica Cappella dictae Communitatis mulierum infirmis inservientium (quae Cappella propria dicebatur Congregationis Presbyterorum) in quam Fideles affluebant ad adorandum SSm̃um Sacramentum, et ad assistendum piis exercitationibus quibus praeerant iidem Presbyteri Adoratores.

Versati item sunt in promovendo pio instituto supradicto Perseverantiae (quod praecise mihi non constat in quo consisteret) quod quidem in id praesertim dirigebatur, ut iuve-

Digitized by Google

nes retraherentur a congressibus publicis et periculi plenis; ac proinde constituta erat quaedam pars domus, in quam illi, qui addicti erant Perseverantiae instituto, convenirent horis vespertinis ut honeste conversarentur usque ad protractam noctem: ibique non deerant ludi, honestae librorum lectiones, potiones etc. hic congressus appellatus est circulus iuvenum, qui claudebatur nonnullis precibus et pietatis officiis.

Inter haec pia instituta maxime floruit communitas mulierum infirmis inserventium, ita ut, cum tempore mortis Fundatoris octoginta sorores essent, modo ascendant ad quadringentas; et plus quam viginti communitates in octo dioecesibus constitutas efforment, spiritum virtutum pii Fundatoris conservantes.

Episcopus qui successit illi, qui regulas Congregationis Presbyterorum dicta adprobatione communivit, seu potius Curia episcopalis plures visa est reperire defectus sive in ipsa Congregatione trium Presbyterorum, sive in circulo iuvenum, sive in adoratione SSmi Sacramenti, sive in possessionibus quas ipsi Presbyteri habebant, sive in recipienda pecunia a communitate mulierum.

Quin tamen aliquid ex his defectibus patefaceret Presbyteris, rem ita disposuit, ut haec parva Congregatio cessare deberet: namque die 24 Septembris 1867 epistolam scripsit ad Presbyterum B. in qua ipsum constituebat Cappellanum dictae communitatis Mulierum in ea cappella, ubi Congregatio Presbyterorum, ut dictum est, praecipua exercebat pietatis officia, eidem imponens officium fiduciae plenum, ut bono Spirituali communitatis eiusdem aliorumque inserviret, ita tamen, ut circumscriptus esset eius zelus in ea communitate atque in piis operibus ab eadem mulierum communitate directis.

Item novum Confessarium ab his tribus Sacerdotibus extraneum constituit in altera domo earumdem Mulierum, cui tanquam Cappellanum *adiunctum* nominavit Presbyterum C. reliquit autem solum, et nihil disposuit de Presbytero A.

His dispositionibus cognitis, quas Episcopus intra breve dierum spatium exsecutioni mandandas praescripserat, Episcopo rescripserunt tres simul Presbyteri, dicentes, se Congregationem constituere canonice erectam: se renuntiasse cuivis Beneficio et stipendio: pia instituta fundata a Sacerdote N. teneri eisdem

succurrere quoties ipsi indigerent sive sani essent sive aegroti, praesertim communitatem mulierum, ita tamen ut vis pecuniae superexcedere non deberet libellas annuas 2000: hunc esse contractum constitutum a Fundatore et confirmatum ab Episcopo antecessore, quo colligata manerent pia opera, et simul ipsi ligati manerent piis operibus: hunc contractum ob enunciatas dispositiones pessumdatum iri: si ita esset, dicendum fore, se in deceptionem fuisse inductos tum a Fundatore tum ab Episcopo antecessore et quindecim continuos laborum annos frustra fuisse insumptos. Denique exorabant Episcopum, ut haec omnia noscens incolumem servaret Congregationem.

Episcopo non respondenti aliam similem scripserunt epistolam, cui adiiciebant, se in conscientia haud posse munus impositum in acceptis habere.

Verum post hanc secundam epistolam Curia episcopalis duos dictos Presbyteros B. et C. accersivit, iisque coram auditis, et reluctantibus repertis, edixit Vicarius nomine Episcopi: eorum facultates audiendi confessiones, praedicandi etc. cessare post quinque dies: celebrationem tamen Missae eorumdem conscientiae esse remissam.

Recedentes ab aula Curiae hi duo Presbyteri, omnia sua iura reservata sibi esse voluerunt.

Itaque convertentes tres Presbyteri preces ad SSmum Patrem petierunt, ut rebus omnibus examinatis, verbo suo tranquillitatem omnibus restituere dignaretur.

Remissis ad Episcopum precibus pro informatione et voto, haec a Curia et ab Episcopo habita sunt: tres Presbyteros non esse Missionarios dioecesanos: regulas proprias non habere: occasionem eos praebere rebus inconvenientibus: ad mala reparanda expedire visum esse, ut illi separarentur et renovarentur: eis in inobedientia persistentibus sublatas esse facultates praedicandi et confessiones excipiendi, quae dari solent in ea dioecesi ad annum; quin imo supplicantes, emisse domum anno 1855 a quodam Patrefamilias cum damno cuiusdam pupillae, quam domum convenirent quidam Presbyteri malae famae Episcopo adversi, aliique plures sive iuvenes sive senes, in qua ioci haberentur inter epulas, idest potiones vini aliorumque liquorum, potiones ex Arabicis fabis *(caffè)* etc. hunc congressum ap-

pellari circulum iuvenum: eosdem tres Presbyteros ex publica fama auctores reputari libellorum adversus Episcopum.

Haec cognoscentes duo e dictis Presbyteris, qui Romam venerant, epistolam Episcopo rescripserunt, in qua ex errore haec omnia Curiam asseruisse patefaciebant, atque a S. Congregatione Epis. et Reg. obtinuerunt, ut ipsa S. Congregatio hanc epistolam ad Episcopum remitteret; quod quidem factum est, altera adiecta epistola ipsius S. C. in qua certior Episcopus fiebat, supplicantes Presbyteros exhibuisse S. Congregationi authenticas regulas proprii instituti, quae epistola his verbis concludebatur: « *transmittendam esse decrevit, ut perpensa universa rei ratione, praesertim supplicantium erga Te reverentia ac subiectione eos benigne excipias, ac, si lubeat, controversiam amice componas et in propriam domum dioecesanam illos pro spirituali animarum bono reverti permittas, idque ne locus fiat formali causae discussioni coram Emis Patribus in plenario consessu.* »

At caeteris omissis, res tandem eo devenit, ut quaestio iuridice definienda esset. Quare invitatione facta partibus, ut ulteriora iura sua deducerent, quaestio in plena S. Congregatione fuit proposita.

Ut autem dignosci possit quaenam essent dubitandi formulae super quibus erat disputandum in hac quaestione confusionis plena, haec saltem sunt praemittenda.

Contendebat Curia tres Presbyteros non esse alios nisi Presbyteros sic dictos *auxiliares* de quibus Episcopus posset ad libitum disponere iuxta dioecesis illius morem, et ita habitos et appellatos fuisse a pluribus annis in kalendario dioeceseos, nec non Presbyteros censeri sic dictos eleemosinarios: eos Presbyteros non esse missionarios dioecesanos, multoque minus religiosos, qui nec domum haberent religiosam neque Cappellam propriam: eos tamen praetendere se possidere domum a S. Carolo dictam cum cappella coniunctam, quam tamen domum non esse eorum asserebat, sed propriam Seminarii, cum fuisset Seminario donata a quodam Episcopo anno 1826, quae transiit deinde in missionarios dioecesanos; quae denique anno 1856 locata esset per annos 30 Superiorissae communitatis mulierum: has vero mulieres tanquam hospitem hac in domo recepisse Sacerdotem N. earum fundatorem: quamvis iuxta ss. canones *de cohabitatione*

Digitized by Google

Clericorum id absolute fieri non potuisset: in huius domus cappella exercuisse tres Presbyteros sua ministeria Praedicationis, excipiendi Sacramentales Confessiones, quae quidem ministeria exercerentur virtute facultatis eisdem factae, quae ad annum conceditur: Superiorissam communitatis mulierum infirmis inservientium patefecisse ipsi Episcopo se retribuisse his Presbyteris regulariter libellas annuas 1600, et 1600 pro servitio aliorum institutorum, scilicet orphanotrophii etc. in Cappella dictae communitatis mulierum, quae choro est destituta, et una ala constat, in qua omnia pia exercitia eadem communitas habet, Presbyteros dictos coniungere diversa pia opera sive instituti operariorum, sive circuli iuvenum etc. Cum illa mulierum communitas privilegium haberet adorationis perpetuae, Presbyteros, qui nomen adoratorum sumpserunt, sibi et institutionum sociis, reservare noctem ad adorandum, diem autem relinquere communitati dictarum mulierum et plures annos singulare spectaculum videri, ne quid amplius diceretur, adorationis nocturnae regulariter factae ab hominibus, praesidente Presbytero, qui se religiosum appellet in cappella communitatis mulierum, quae clausura sunt destitutae; et quidem in cappella communicante per tres ianuas cum interiore domo communitatis: pulvinaria in Sacristia fuisse posita, ut Adoratores aliquantulum quiescerent: hos esse nonnullos ex abusibus, quos Episcopus voluit emendare.

Presbyteros illos esse destitutos religiosa domo et cappella; et sero nimis produxisse suas constitutiones: falsum esse tres illos Presbyteros ligatos esse per contractum, vivente Sacerdote N., cum unus post mortem eiusdem in Congregationem fuerit cooptatus, et ignorari, an novitiatum fecerit, an vota emiserit, et sub quo Superiore id fecerit. Quod si alii duo Presbyteri illam obligationem susceperint per Episcopum id temporis adprobatam, quaerendum esse, an hoc sufficiat ad constituendam canonicam institutionem: eo vel magis, quod eiusmodi actus Episcopi antecessoris nunquam Curiae fuerit exhibitus.

Quaerebat insuper Curia, ut iidem Presbyteri producerent regesta de admissione Novitiorum, de emissione votorum uniuscuiusque, nominationem Superioris et dignitatum Ordinis, eorum acceptationes, dispensationes, media existendi, nomina Superio-

Digitized by Google

rum post annum 1858, eorum oeconomos, actum quemvis episcopalem, qui confirmaret nominationem ad aliquod officium.

Quod si haec omnia producerent, adversari eisdem adhuc, contendebat Curia, morem regionis, qui est ut Missionarii dioecesani maneant sub Episcopi dispositione, adversari eisdem morem dioecesis, et antecedentem praxim, ac denique impossibilitatem existendi tanquam congregationem religiosam sine monasterio, sine Cappella, sine Superiore.

Rebus sic stantibus, Episcopum animum intendisse ad duo peragenda, nempe ad supprimendum scandalum adorationis nocturnae, ac proinde 1° statuisse, ut manente integro die Adoratione, solae mulieres communitatis adorarent noctu ianuis clausis, 2° dedisse gravem aestimabilemque virum Confessarium illi magno mulierum numero quae habent domum in urbe episcopali eidemque reliquisse tanquam Cappellanum *adiunctum* Presbyterum C., et Presbyterum B. tanquam Cappellanum constituisse in altera mulierum domo, in qua aderat saepedicta Cappella ubi exercitia pietatis peragebantur.

Eiusmodi nominationes dictos Presbyteros recusantes eo ipso amisisse facultates praedicandi et confessiones excipiendi, iuxta dioeceseos praxim: hos Presbyteros post haec petitionem conscripsisse, atque subscriptiones petentes totam civitatem concitasse etc.

His itaque aliisque notitiis habitis concinnatae fuerunt a Procuratoribus utriusque partis dubitandi formulae, quas in calce ponimus.

Disceptatio synoptica.

Multa fuerunt utrinque per Defensores scripta, praesertim circa accusationes ex una parte et negationem accusationum ex altera: haec omnia tamen relinquentes substantiam quaestionis unice sequemur.

Defensio trium presbyterorum. Praecipua quaestio in eo ponebatur a Defensoribus, utrum Congregatio Presbyterorum posset ab Episcopo in casu praesenti destrui. Non est praetereundum, tamen accusationes, quae contra Presbyteros dictitabantur, aut graves non fuisse, aut destitutas esse reali fundamento.

Defensor Presbyterorum, facta distinctione, inter Ordines regulares votorum solemnium, et Congregationes votorum simpli-

Digitized by Google

cium, iuxta ea quae tradit Angelus Lucidi in recenti opere *De VV. SS. LL. Vol.* 2 *p.* 250 §. 296, ad secundam hanc classem referebat Congregationem de qua agimus, ex ea praesertim ratione, quod regulae fuerant adprobatae ab Episcopo die 13 Decembr. 1856; hoc autem posito concludebat non posse eam Congregationem ab Episcopo destrui; eiusmodi enim Congregationes natura sua reciprocum contractum secumferre, quo Congregatio obligationes suscipit erga sua membra, et vicissim Congregationis membra obligationes suscipiunt erga Congregationem; eo vel magis in praesenti casu, quod eiusmodi contractus explicite inter regulas reperiretur insertus.

Quin imo etiamsi consideraretur Congregatio de qua agimus tanquam pia fundatio, quae ad certum pium scopum facta sit, non posse Episcopum eam fundationem convertere in alios usus etsi evidenter meliores sine inteventu Apostolicae Sedis, Schmalzgrueberer *l.* 3 *t.* 3 *de relig. domib.* *n.* 23 Reiffest. *l.* 3 *tit.* 36 *n.* 10.

Ostendebat praeterea Defensor, quam pium sit institutum circuli iuvenum, quae quidem institutio sub nomine circuli catholici amplissime modo diffunditur in Gallia et Germania cum vero profectu religionis catholicae et iuventutis, quae a profanis congressibus periculi plenis retrahitur.

Neque posse Episcopum destruere eamdem Congregationem Presbyterorum quia tribus tantum Presbyteris constaret, cum ea satis esset ad scopum ad quem erecta fuit: neque obstare eorum dependentiam ab Episcopo tanquam a primo Superiore: namque eiusmodi dependentiam intelligendam esse, salvo instituto, salvo eo quod regulae statuant.

Quoad facultates praedicandi et confessiones excipiendi ab Episcopo sublatas aut non renovatas, Défensor invocabat doctrinam, quae applicari solet Regularibus, iuxta ea quae tradit Antonell. *de Regim. eccles. l.* 7 *c.* 12 *n.* 14, ac insuper recitabat Decretum S. C. Epis. et Reg. anni 1615, quod in erudita *Collectanea cura Emi Cardinalis Bizzari edita ad usum Secretariae S. C.* reperitur, *pag.* 22. quod ita se habet: «Cum S. Con» gregationi Cardinalium negociis Episcoporum et Regularium » Praepositorum innotuerit, Confessarios Regulares graviter con» queri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, et Locorum Ordi» nariis ab audiendis confessionibus, quavis de causa indiscri-

Digitized by Google

» minatim suspendantur, et propterea saepe contingere, ut ab » iisdem Archiepiscopis, Episcopis et locorum Ordinariis omni» bus simul unius Conventus Confessariis confessiones audiendi » facultas adimatur, Illmi eiusdem S. Congregationis Patres, rati » vix fieri posse, ut haec sine scandalo magnaque animarum » pernicie contingant, re mature perpensa, ad omnem scandali » materiam submovendam, et quo magis spirituali piarum men» tium consolationi consulatur, statuunt ac decernunt, Archie» piscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis ad quos Con» fessarios adprobandi ius spectat, Confessarios Regulares, alias » ab ipsis libere adprobatos, ab audiendis confessionibus su» spendere posthac minime licere, nisi ex nova causa eaque ad » confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum » ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper eosdem Archie» piscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios confessiones au» diendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus » Confessariis, eandem S. Congregatione inconsulta, nullo pacto » adimere posse. Quod quidem Decretum ut iidem Illmi Patres » opportunum et necessarium duxerunt, ita inviolabiliter iubent » observari. »

Romae 20 Novembris 1615. A. Mar. Epis. Hostien. Car. Gallus. V. Theatin. Secret.

Eo vel magis quod in praesenti casu, sublata facultate praedicandi et confessiones excipiendi tribus de quibus agimus Presbyteris, eo ipso indirecte destrueretur id quod directe destrui non posset.

Alia post haec a Defensore disputata sunt, quae cum ad singularia omnino adiuncta referantur, implexam controversiam redderent, et fastidium Lectori sine ulla utilitate crearent; ideoque ultro ab his referendis abstinemus.

Defensio Episcopi. — Multa scripta fuerunt a Defensore Episcopi; attamen nos insistentes cardini quaestionis, haec dumtaxat referimus.

Observabatur etiam *ex officio,* contrariam Defensionem versari in supposito minus vero, cum Defensor Congregationis Presbyterorum, eam consideraverit tanquam Congregationem Regularem, aut saltem tanquam institutum canonice erectum; quod quidem verum non erat; namque ut institutum dici possit canonice ere-

Digitized by Google

ctum, necessarium esse observabatur, ut Superior ecclesiasticus speciali actu suae auctoritatis solemnibus verbis, *erigimus, constituimus* etc. illud ecclesiasticum reddat, ut contingit in erectione canonica Confraternitatum, Seminariorum, Nosocomiorum etc. quas formulas refert Monacelli.

Porro in Congregatione de qua agimus eiusmodi auctoritatis actum nullatenus intervenisse: namque Episcopus antecessor nil aliud fecit, quam regulas videre atque eas approbare, et ita adprobasse, ut ope divinae gratiae observarentur. Quem quidem actum non aliud secumferre, nisi annuentiam et veniam Episcopi, quae nullam immutationem in naturali statu Congregationis induxit, ita ut Episcopus visus sit aliud expectare tempus, quo dictam Congregationem ex suo naturali statu evehere posset ad statum canonicum.

Nonnulla praeterea facta indicabantur, quibus idem Episcopus visus non est considerare eam Congregationem tanquam canonice erectam; ac iisdem Presbyteris idem Episcopus libere usus est pro variis piorum locorum indigentiis.

Quoad facultatem praedicandi et confessiones excipiendi, haec observabantur: cum eiusmodi Presbyteri non constituerent Congregationem canonice erectam, eos plene subiectos esse debere legibus synodi dioecesanae: ideoque recusantibus ipsis munera ab Episcopo imposita, anno simul concessae facultatis praeterlapso, nullaque facta facultatis renovatione, eo ipso dicta facultate esse destitutos.

Quod pertinet ad adorationem perpetuam, quam noctu peragebant socii Perseverantiae aliique, praesidente uno ex dictis Presbyteris, in Cappella S. Caroli communitatis mulierum, observabatur, cum cl. Lucidi *loc. cit. p.* 164. « In ecclesiis monia-
» lium sodalitia laicorum non debent institui, nam S. C. Ep. et
» Reg. in *Tirasonen.* 9 Nov. 1595, ita rescripsit: *Non placet*
» *S. Congregationi, ut in monasteriis monialium sub quovis titulo*
» *instituantur Confraternitates laicorum, ad tollenda quamplurima,*
» *quae exinde oriri possunt, incommoda: imo praecipit, ut erectae*
» *tollantur secus transferantur.* »

His aliisque in iure disputatis propositae sunt a partibus contendentibus dirimendae sequentes dubitandi formulae.

Digitized by Google

Dubia.

I. « An et quomodo tenendum sit, tres Presbyteros (A.B.C.) » canonicam communitatem religiosam constituere, ita ut in ea » servari debeant in casu.

II. « An, et quomodo sustineantur dispositiones Episcopi » quoad facultates sublatas Presbytero (C.) et non renovatas Pre- » sbyteris (A et B): quoad fundum destinatum ab Episcopo (F.) » ad usum et habitationem Missionariorum: quoad usum Cap- » pellae S. Caroli: quoad prohibitionem factam Superiorissae » Communitatis subveniendi tribus Presbyteris in casu. »

Resolutio. — Proposita prius causa in comitiis diei 7 Februarii 1868 S. Congregatio Episc. et Reg. distulit Resolutionem per formulam *Dilata;* reproposita causa die 15 Maii 1868 respondere censuit:

Ad I. *Sacerdotes* (A. B. C.) *non constituere Communitatem religiosam, sed piam tantum societatem, eamque conservandam sub iurisdictione Episcopi.*

Ad II. *Facultatem praedicandi et confessiones excipiendi valide revocatam esse et respective non renovatam fuisse: redditus fundi insumendos esse in beneficium dictae piae societatis: sustineri Decretum Episcopi quoad Cappellam S. Caroli: tandem quoad subsidia, Episcopum in singulis casibus de bono et aequo et habita ratione ad regulas anni* 1858, *decernere debere super quantitate subsidiorum.*

Ex quibus colliges:

I. Nullimode confundendas esse pias Presbyterorum societates cum Ordinibus religiosis, aut cum ecclesiasticis Congregationibus quae adprobationem acceperint a Sede Apostolica.

II. Easdem pias societates duplicis generis esse posse, alias scilicet canonice erectas per formale Episcopi Decretum, quo, quin mutent piae societatis naturam, canonicae tamen evadunt, ac figuram speciemque ecclesiasticam in dioecesi superinduunt, uti sunt Confraternitates canonice erectae: alias esse simpliciter pias, quas ad aliquod pium opus sive ex fundatione constitutum, sive ex voluntate assumptum Presbyteri ineant.

Digitized by Google

III. Eiusmodi pias societates, sine gravi veraque causa non posse ab Ordinario dissolvi, quamvis possit ac debeat Episcopus earum societatum emendare defectus si irrepserint (1).

IV. Parum autem interesse, an haec dissolutio ab Ordinario fiat directe per expressam suppressionem, vel indirecte per negationem facultatum etc.

V. Ordinarium posse valide quidem Presbyteris auferre praedicandi confessionesque excipiendi facultates sine iusta causa; quaestionem tamen posse remanere an licite faciat.

VI. Denique colliges in templis monialium, piarumque mulierum non convenire sodalitia virorum erigere.

(1) Si quaeratur ratio, cur Episcopus sine gravi causa non possit supprimere eiusmodi pias societates, haec esse videtur: in quavis bene ordinata republica, Princeps sua iura habet, et Subditi pariter sua iura; iuribus autem respondent mutua officia, ita ut Princeps officium habeat servandi iura Subditorum et Subditi officia habeant obsequendi iuribus Principum: in ecclesiastica autem republica, quae ordinatissima esse debet, idem est dicendum: unde Episcopi sua habent iura, et sua pariter iura habent Fideles et Ecclesiastici, quibus officia mutua respondere debent: perfectio enim et ordo societatis totus consistit in exercitio horum iurium et officiorum, quibus unusquisque in suo munere contineatur. Inter haec iura Fidelium et Ecclesiasticorum reperitur ius ad peculiare bonum faciendum sine laesione iurium aliorum et ecclesiasticae disciplinae: hoc autem bonum exercere potest quisque, sive per se, sive cum adiutorio aliorum: hoc exercitium ad bonum cum adiutorio aliorum est peculiarium societatum initium; quod quidem exercitium non solum in bonum, quod sibi socii praestituant, cedere solet, sed etiam in bonum eorumdem sociorum per mutua exempla et mutua auxilia.

Quare nisi gravis realisque causa adsit (puta si eiusmodi societates vergerent in damnum ecclesiasticae disciplinae, vel in damnum sociorum etc. vel fortasse ob necessitatem dioecesis) supprimi non possunt; laederentur enim dicta privatorum iura, et obligationes mutuae peculiares pessumdarentur, quae legitime et facillime inter socios exoriuntur: si autem defectus irrepserint, hi ab Episcopo erunt emendandi cui natura sua subest pia societas.

Et hoc praeterea est secundum indolem et spiritum catholicae Ecclesiae, quae non solum eiusmodi piis societatibus nunquam restitit sine gravi realique causa, verum etiam easdem fovit, ita ut, experimento facto, soleat easdem deinde proprias facere peculiari interventu suae auctoritatis, cuiusmodi est canonica erectio; et peculiaribus favoribus et privilegiis ditare. Nec alius esse poterat Ecclesiae spiritus, cum scriptum sit, *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo Ego sum in medio eorum.*

Hoc pacto exorti sunt Ordines Monastici, Ordines Religiosi, ecclesiasticae Congregationes, quae in praesenti aetate quammaxime florent, ad quas comprobandas modo post accuratum examen per quosdam gradus factum concurrit etiam formali ratione S. Sedes.

Digitized by Google

EMPHITEUSIS.

Die 15 Maii 1868.

Compendium facti. Capitulum N. anno 1788 in emphiteusim concesserat fratribus B. parvam aream cuiusdam fundi capitularis cum onere annui canonis obolorum 40: eiusmodi area uti debebant dicti fratres ad construendam *dumtaxat* parvam domum seu potius officinam sic dictam *da Caffè* adiecto etiam diversorio ad habitandum. Capitulum deinde iisdem fratribus B. facultatem fecit faciendi puteum ad nivem recondendam servandamque cum obligatione retribuendi eidem Capitulo libras annuas quinquaginta nivis. Hic autem emphiteusis contractus usque ad tertiam generationem perdurare debebat incipiendo a dictis fratribus, ita ut finito contractu et aream et domunculam et omnia *melioramenta* cuiuscumque impensae etiam *notabilissimae* in Capituli proprietatem devolverentur.

Hic contractus sine Episcopi auctoritate initus fuit. Ambo fratres, qui parvam extruxerant domum et puteum pro nive recondenda sine ulla successione unus post alium mortui sunt. Post eorum mortem familia quaedam N. facto suo possessionem cepit huius emphiteutici fundi, eo obtentu, ut extingueretur debitum, quod alter ex mortuis fratribus cum eadem familia contraxerat.

Haec autem familia canonem solvit ab anno 1833, quin tamen ullum intervenerit Instrumentum aut aliqua scriptura, aut Curiae episcopalis actus, et Capitulum canonem exegit usque ad annum 1847.

Hoc eodem anno, habito Capituli assensu, familia N. novo stipulato Instrumento, concessit utile dominium fundi emphiteutici cuidam Ioanni, pretio scut. 50, seu libellarum 268, 75, cum obligatione servandi pacta conventa in primitivo Instrumento anni 1788 solvendique Laudemium aliasque expensas. Neque hoc in transitu auctoritas episcopalis intervenisse visa est.

Hic Ioannes suis laboribus fundum quem susceperat adeo auxit, ut ampliore domo reddita, nunc aestimetur scut. 550. seu libell. 2956, 25.

Digitized by Google

Quare Ioannes preces admovit S. Congregationi, ut, aucto canone, eidem fundus concederetur in emphiteusim perpetuam.

Rogato de more Episcopo et Capitulo, hae animadversiones factae sunt: Capitulum animadvertit, per mortem fratrum B., qui decesserunt sine prole, cessasse emphiteusim: Ioannem ampliasse domum contra prohibitionem in primo Instrumento anni 1788 expressam: consentiebat tamen ut emphiteusis renovaretur ad tertiam generationem aucto canone ad scut. 2,50. seu ad libell. 13, 44; Episcopus confirmabat Capituli propositiones.

Ioannes autem acceptavisset eiusmodi conditiones *dummodo in novo Instrumento exprimeretur, ut, cessante emphiteusi, Capitulum, si possessionem fundi capere velit, solvere deberet haeredi Ioannis quanti domus erit aestimatura supra scut.* 50; petebat insuper, ut, cum pauper ipse esset, inscriptio hipotecaria ad securitatem canonis assumeretur super ipsa domo emphiteutica a se valde aucta.

Hisce tamen Ioannis precibus die 18 Septembris 1866 rescriptum fuit: *prout exponitur non expedire.*

Renovavit Ioannes preces nonnullis rationibus communitas, rogatoque Episcopo et Capitulo, eiusmodi conditiones iterum a Capitulo die 28 Iunii 1867 fuerunt propositae 1° ut emphiteusis iniretur ad tertiam generationem masculinam (non tamen expressit an incipere deberet a Ioanne vel ab eius filiis) cum annuo canone scut. 2,50: 2° ex commiseratione (quoniam proprio arbitrio domum adauxit) concederetur, ut terminata emphiteusi, Capitulum dominus evaderet integrae domus, ita tamen, ut ipsum Capitulum solvere teneatur quanti aestimabitur supra scut. 50, conditione Ioanni imposita, ut eadem domus nulla ex parte amplius augeretur.

Servatis autem servandis causa proposita est coram S. C.

Disceptatio synoptica.

Animadversiones ex officio. Animadvertebatur bona ecclesiastica esse inalienabilia sine Apostolico Beneplacito: dari tamen bona *modici valoris,* quae ab Episcopo sine Beneplacito Apostolico alienari possunt. Male autem egisse Capitulum, quod sine ulla Episcopi venia libertatem sibi sumpserit, fundum quamvis

Digitized by Google

tenuem in emphiteusim dandi, etsi, ob tricenariam praescriptionem, eiusmodi utilis emphiteusis sustineri in iudicio posset.

Animadvertebatur insuper, posse primum emphiteutam, cuiusmodi in praesentia erant fratres B., ex oneroso titulo alienare utile dominium *servatis servandis* in damnum successorum, qui in emphiteusim vocantur; eiusmodi tamen alienationem non sese protendere ultra vocatas generationes. In praesentia autem post mortem fratrum B. cessasse emphiteusim ipso iure *ob lineam finitam:* ideoque non potuisse familiam N. in emphiteusim subintrare: male propterea egisse Capitulum, quod, sine Episcopi venia, recepit canonem a familia N. Satis autem fuisse Episcopi interventum, ut emphiteusis renovari posset, quamvis fundus iam tunc aestimaretur scut. 50. In ea enim dioecesi, fundus scut. 50 consideratur *modici valoris.*

Animadvertebatur praeterea, familiam N. vendidisse quidem utile dominium Ioanni, sed vendidisse rem non suam: ideoque Capitulum ius habere possessionem capiendi integrae extructae domus, salvo iure Ioannis adversus familiam N. etc.

Hisce animadversis, ad rem adducta sunt ea, quae sui favore adduxerat Ioannes. Hic praemittebat, fundum in emphiteusim datum initio aestimatum fuisse scut. 3, ideoque canonem annuum obol. 40 favore Capituli, magnum fuisse: fratres B. auxisse pretium emphiteutici fundi ad scut. 50, et Capitulum habere quidem ius ad hunc fundi valorem, non autem ad illum ad quem ipse Ioannes sua opera evexerat, idest ad alia scut. 450. Haec enim fundi *melioramenta* eiusmodi esse, ut vilis fundi naturam penitus immutaverint sive ratione qualitatis sive ratione quantitatis, ideoque dominum directum sine iniustitia non posse ea melioramenta tandem sibi propria facere.

Ut autem removeret difficultates petitas ex facto, quo iuxta primum emphiteusis Instrumentum fundum ipse acceperat; nec non ex generalibus iuris principiis secundum quae melioramenta ab Emphiteuta facta fundi ipsius esse dicuntur; haec animadvertit: quoad primum, verba pacti in Instrumento apposita referri dumtaxat ad illam domunculam, quam primus emphiteuta extruxerat, eaque verba licet amplissima referri non posse ad eas insignes instaurationes bona fide a se constitutas, nisi eo in casu, in quo fundus ad dominum directum reverteretur ob cul-

Digitized by Google

pam ipsius emphiteutae, iuxta ea quae tradit Rota in *Romana Emphiteusis* 10 *Ianuarii* 1834 *coram Marini* §. 8, ubi legitur: « ea verba utcumque per se ampla, ita intelligenda sunt, ut » minime secumferant amissionem meliorationum insignium bona » fide peractarum, nisi quando praedium ad dominum directum » revertatur ob culpam emphiteutae, nempe ob pactorum vio- » lationem, ob crimen aliquod patratum... secus autem ubi ci- » tra culpam emphiteutae ob finitam dumtaxat lineam expiret. »

Quoad secundum animadvertit, verum quidem esse instaurationes proprias manere emphiteutici fundi; verum cum agitur de insignibus instaurationibus, aliud subintrare principium, idest, neminem locupletari debere aliena iactura, prout docet Card. De Luca *Discurs. De emph. n.* 40 et S. Rota in *Ravennaten. Laudem. coram Canillac* §. 7. Ubi enim devolutio non sit culposa sed casualis tum melioramenta refici debent non obstante pacto, quod intelligendum venit de melioramentis modicis et connaturalibus, non autem magnis.

Eiusmodi autem compensationes admitti solere in tribunalibus civilibus; easdemque admitti etiam a SS. Congregationibus, quae aequitatem sequuntur, ut in *Firmana Emphiteusis* diei 20 Novembris 1841 §. *Hisce* et praesertim in *Montisfalisci. Emphiteusis* diei 6 Februarii 1867 penes S. C. C. agitatis.

Eo vel magis, quod ingentes illas instaurationes bona fide a se factas fuisse, non autem ab emphiteuta, easque factas esse finita iamdiu emphiteusi, quo in casu se ius habere ad expensas instaurationis factae, prout legitur, in *cit. Montisfalisci* §. *hisce:* « circa expensas et meliorationes ab emphiteuta durante em- » phiteusi factas distinctione opus esse docet; aut enim secun- » dum primam emphiteusis constitutae legem melioratio facta » est, aut ultra id quod ex prima emphiteusis conventione im- » pendendum erat, alia utiliter erogata sunt; priore casu sine » ullo refectionis onere penes dominium directum ea remanere » rationis est; *at casu posteriori deducere eas, emphiteusi finita,* » *emphiteuta prohibendus non est:* qua ratione multis aliis cau- » sis receptum fuit, impendia repeti posse in rei melioratio- » nem per eos facta, qui ex conventione non fuerant ad id » devicti, ne contigeret, alium cum iactura alterius reddi locu- » pletiorem. »

Digitized by Google

Concludebat autem idem Ioannes, se possessionem illius fundi cepisse non clam sed consensu Capituli, se instaurationes fecisse bona fide sciente et vidente Capitulo, se pauperem esse patremfamilias etc.

Ea quae in contrarium animadversa sunt. Eam esse praxim S. Congregationis Episc. et Reg. ut in eiusmodi Rescriptis emphiteuses respicientibus clausulam adiungat, ut *melioramenta cedant solo* emphiteusi finita: quod quidem principium inniti Statuto Concilii Romani anni 1725 *tit.* 19, ubi firmatum fuit: *concessionis tempore expleto, bona ipsa cum suis membris, iuribus et pertinentiis universis, nec non et melioramentis desuper pro tempore quomodolibet factis, ad ecclesias et loca pia, quibus ex directo dominio pertinent, ad eorum dispositionem pleno iure atque omnino libera, vacua et expedita relinquantur.*

Adversari Ioanni pactum, quo fundum acquisivit, quod quidem illud ipsum erat, quo primo fundus in emphiteusim traditus est; et ratione pacti expressi ea quoque melioramenta cedere domino directo solere, quae secus compensanda fortasse a domino directo essent.

Denique adnotabatur, secundum expositas contractus propositiones, Ioannem eiusque descendentes usque ad tertiam generationem gaudere novo aedificio, sine ulla Capituli utilitate, quod tantum perciperet canonem scut. 2,50 seu Libellarum 13, 44 iuxta praeteritam fundi aestimationem.

Hisce aliisque animadversis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An et sub quibusnam conditionibus annuendum sit con-
» cessioni emphiteusis in casu?»

Responsio. — S. Congregatio Episc. et Reg. die 15 Maii 1868 respondere censuit: *affirmative pro concessione in emphiteusim ad tertiam generationem masculinam, scilicet pro Ioanne (N.) eius filiis et nepotibus tantum, pro annuo canone Libellarum* 13: 50, *et cum consuetis clausulis et aliis conditionibus expressis in resolutione capitulari diei* 28 *Iunii* 1867. *In Instrumento investiturae inseratur descriptio melioramentorum nunc extantium nec non tabula icnographica. Expirata emphiteusi melioramenta cedant directario Capitulo, ita tamen ut nunc extantium melioramentorum et*

Digitized by Google

eorum, quae tunc superesse contigerit, fiat aestimatio, et haeredibus emphiteutae, seu cui de iure, a Capitulo solvatur quidquid excesserit summam Libellarum quadringentum sine tamen ulla obligatione hypotecandi alium fundum praeter dominium utile.

Ex quibus colliges:

I. Bona ecclesiastica inalienabilia esse sine Apostolico Beneplacito.

II. Alienari posse bona *modici dumtaxat valoris* ex Episcopi consensu.

III. Contractum emphiteusis comprehendi sub generico alienationis nomine.

IV. Colliges insuper, aedificantem in fundo alieno, aliis aedificare non sibi, licet, bona fide interveniente, ius habeat ad compensationem impensarum, aestimatione aedificii facta (1).

(1) *Impensarum* (ut scripsit Ulpianus, *l.* 1. *ff. de impensis in res dot.*) *quaedam sunt necessariae, quaedam utiles, quaedam vero voluptuariae.* Necessariarum impensarum in rem alienam deductio tributa est, iuxta veteres iurisconsultos, omnibus possessoribus etiam illis qui mala fide possident, *l. Plane* 38 *pr. ff. de her. petit. l.* 5 *C. de rei vind.*

Haec enim deductio impensarum tribuitur non causa personae possidentis, sed causa rei ipsius, quae, alioqui peritura, servata est. In impensis vero utilibus in rem alienam factis melior est conditio bonae fidei possessoris, quam possessoris malae fidei.

Bonae fidei possessor, qui in rem alienam utiles impensas fecit, ex. gr. in aliena area aedificium posuit, ut in praesenti casu, repellere potest dominum soli vendicantem sibi aedificium, si non solvat pretium materiae et mercedes fabrorum, per exceptionem doli mali, *l. Sumptus* 48 *ff. de rei vind. l.* 7 §. *Ex diverso* 12 *ff. de acq. rer. dom. Instit. de Rer. divis.* §. 30. Cuius ratio est, quia dolo malo facit, et contra aequitatem naturalem, qui postulat cum alieno damno et iniuria fieri locupletior, *l.* 14 *ff. de condict. inded. l.* 1 *ff. de dol. mal. excep.*

Malae fidei possessoris deterior in hoc genere impensarum conditio est, cum huic nulla impensarum deductio concedatur. *l.* 5 *C. de rei vind. l. Iulianus* 37 *in fine ff. eod. l.* 7 §. *Ex diverso* 12 *ff. de Acq. rer. dom.* De qua re ita Iustinianus *Inst. de rer. divis.* §. 30 « *si quis in alieno solo sua materia domum aedificaverit, fit domus, cuius et solum est. Sed hoc casu materiae dominus proprietatem eius amittit, quia voluntate eius intelligitur alienata, utique si non ignorabat se in alieno solo aedificare; et ideo, licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest.* » Item *l.* 5 *C. de aed. priv.* ubi edicitur: aedificia, quae alieno loco imponuntur, solo cedere nec impensas his, qui improbe id fecerint, restitui debere.

Impensae quae voluptuariae dicuntur naturam quodammodo induunt utilium, et locus fit exceptioni doli, dummodo bonae fidei possessor sit qui eas fecit:

Digitized by Google

V. Earumque impensarum compensationem locum habere quoque posse in devolutione fundi emphiteutici ad dominum directum, quoties insignia melioramenta emphiteuta fecerit in pactum antea non deducta, dummodo sine culpa emphiteutae fundus ad dominum directum revertatur.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

URBIS.

DECRETUM. « Ex quo parva scapularia, quae fideles gestare solent, in sua origine et institutione aliud non sint quam scapularia variis Ordinibus Religiosis propria pro maiori Fidelium commoditate ad parvam formam redacta, enata sunt dubia a Revmo P. Procuratore generali Congregationis SSmi Redemptoris S. Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum proposita solvenda, quae tam ad antiqua, quam ad recentiora Scapularia referuntur, scilicet:

I. » Utrum ad scapularia conficienda necessario et exclusive » adhibenda sit *materia ex lana* vel utrum sumi etiam possit » xylinum (vulgo *cotone*) aliave similis materia. Et quatenus » affirmative ad primam partem, et negative ad secundam.

II. » Utrum vox *Pannus, Panniculus*, ab auctoribus com- » muniter usurpata, sumi debeat sensu stricto, idest de sola

tamen qui per exceptionem servare has impensas non potest, ei potestas est tollendi quod sine detrimento rei tolli potest, etiamsi malae fidei possessor sit, ut diserte a Caio *l. Utiles* 39 *ff.* §. 1. *de hered. petit.* responsum est. *Videamus tamen ne ad picturarum quoque et marmorum et ceterarum voluptuariarum rerum impensas aeque proficiat nobis doli exceptio, utique si modo bonae fidei possessores simus; nam praedoni probe dicetur non debuisse in alienam rem supervacaneas impensas facere, ut tamen potestas ei fiat tollendorum eorum, quae sine detrimento ipsius rei tolli possint.*

Haec autem principia applicari optime possunt, illis, qui a praedonibus bona ecclesiastica emerunt atque in iisdem tanquam in re propria aedificant.

*

Digitized by Google

» lanea *textura* proprie dicta (vulgo *tessuto*), vel utrum etiam » intelligi possit de lanea textura reticulata (vulgo *lavoro di* » *maglie, tricotage)* et de quocumque laneo *opere acu picto* » *(ricamo, broderie)* adhibito tamen semper colore praescripto.

III. » Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris » praescripti, quod intexta vel acu picta babet *ornamenta* pari- » ter ex lana, sed diversi coloris.

IV. » Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris » praescripti, quod intexta vel acu picta habet *ornamenta ex* » *materia non lanea* v. g. ex serico, argento, aureo etc.

V. » Hucusque generalis viguit usus conficiendi scapularia » formae oblongae vel saltem quadratae: nunc autem quibus- » dam in regionibus introducitur usus conficiendi scapularia » formae rotundae vel ovalis; imo et multangulae: quaeritur » itaque utrum alia forma praeter oblongam vel quadratam » obstet validitati scapularis.

VI. » Permultis in regionibus laudabilis viget usus a S. Sede » approbatus gestandi per modum unius plura simul inter se » diversa scapularia: quo in casu variorum scapularium panni- » culi alii aliis superpositi, duobus tantum funiculis assuuntur, » ita tamen ut singularium scapularium panniculi dependeant » tam a pectore, quam ab humeris. Non raro autem haec sca- » pularia unita sic conficiuntur, ut loco plurium panniculorum » diversi coloris unicus tantum in utraque funiculorum extre- » mitate panniculus habeatur, in quo conspicitur *ornamentum* » *intextum vel acu pictum* ex diversis coloribus ad significanda » plura diversa scapularia: quaeritur, utrum haec scapularia » sint valida.

» Itaque Emi Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Iulii 1868 audito prius Consultoris Voto, rebusque mature perpensis, rescribendum esse duxerunt.

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad III. *Affirmative, dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praeveleat.*

Ad IV. *Ut in praecedenti.*

Ad V. *Nihil esse innovandum.*

Ad VI. *Negative.*

Digitized by Google

» Et facta de praemissis relatione SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. a me infrascripto Cardinali Praefecto in audientia habita die 18 Augusti 1868 Sanctitas sua Resolutionem Sacrae Congregationis ratam habuit. »

A. Card. Bizzarri Praefectus.
A. Colombo Secretarius.

Animadversiones Consultoris.

Indicatis variis scapularibus B. V. Mariae antiquis et recentioribus, videlicet scapularibus Carmelitarum, servorum B. M. V., SS. Trinitatis, et B. M. V. de Mercede, quae sunt scapularia antiquiora: deinde scapularibus Immaculatae Conceptionis, Passionis Domini Instituti S. Vincentii a Paulo, et Crucis et Passionis Domini Passionistarum, quae recentissima sunt, animadvertebat Consultor ad dubia solvenda recolendum esse generale principium, quod sic effertur: *Ut scapularia valida sint ratione materialis formae requiri et sufficere ut habeant omnia requisita substantialia, quae inveniuntur in respectivis scapularibus maioribus Ordinum religiosorum.*

Et sane, idem Consultor praenotabat, minima scapularia, quibus Fideles utuntur, non aliud esse nisi ipsa scapularia variorum Ordinum propria, pro maiori Fidelium commoditate ad parvam formam redacta: quare cum maiori habitu seu scapulari Ordinum in substantialibus saltem, videlicet in materia et colore, concordare debere.

Hisce praenotatis ad singula dubia suam patefaciebat Consultor opinionem. Et ad primum, quod attinet, existimabat necessariam esse materiam laneam, exclusa quavis alia materia; idque eruebat, tum ex scapularibus maioribus Religiosorum, quae omnia conficiuntur ex lana, tum ex communi et universali usu, tum ex unanimi sensu Auctorum, qui hac de re scripserunt.

Quoad secundum: censebat, vocem *Pannum*, *Panniculum*, sumendam esse stricto sensu de lanea textura proprie dicta; idque eruebat tum ex ipsa voce *Panno*, quo nomine nonnisi improprie appellari posset opus reticulatum vel acu pictum, licet sit laneum; tum propter necessariam conformitatem cum scapularibus maioribus, quae nunquam ex simili textura reti-

Digitized by Google

culata conficiuntur; tum ad praecavendos abusus et arbitrarias interpretationes, quae in scapularibus conficiendis nimis facile irrepere possent atque reapse irrepserunt. Innuebat tamen Consultor sub nomine *lanea textura* proprie dicta intelligi posse omne quodcumque opus laneum textum, non solum quod communiter *pannus* appellatur *(drap)*, sed etiam sagulam *(saia)* aliasque laneas similes texturas.

Quoad tertium: non videri obstare ornamenta inquiebat, si haec sint accessoria et scapularia per ea non immutentur: oportere tamen ornamenta esse exigua, ita ut prima fronte cognosci possit quale scapulare sit; si enim istis ornamentis magna scapularis pars obtegeretur, cum non amplius scapulare dignoscatur, de ipsa validitate esse dubitandum: quae quidem applicabat Consultor etiam ad quartum dubium.

Quoad quintum: animadvertebat, scapularia diversorum Ordinum religiosorum omnia oblonga esse et in angulum rectum finiri ac proinde scapularia oblonga et quadrata originalibus melius respondere.

Quoad sextum: talia scapularia invalida videri; cum eiusmodi scapularia aliud non sint, nisi unicum scapulare variis coloribus exornatum: quare censebat, standum esse usui communissimo a S. Sede iam adprobato tot scilicet adhibendi panniculos, alios aliis superimpositos et duplici funiculo tam a pectore quam ab humeris pendentes, quot sunt scapularia per modum unius gestanda: quod quidem aliqua ex parte iam definitum videri a S. C. Cum enim propositum fuisset dubium: « utrum, qui scapulare » Montis Carmeli et Immaculatae Conceptionis accepit, utrum» que gestare debeat? » S. C. die 22 Augusti 1842 respondit: *Affirmative* (1).

Ex quibus colliges:

I. Parva et pia scapularia, quae induunt Fideles ad indulgentias lucrandas, non posse esse arbitraria, sed quandam materialem formam habere debere, quae extra certos limites variari non potest.

(1) Confer alterum Decretum in *Monacen.* diei 29 Augusti 1864, quod adduxi in *Vol. I. p.* 431, quod ad rem maxime facit.

Digitized by Google

II. Eiusmodi limites desumendos esse ab ipsa materiali forma qua maiora scapularia Ordinum religiosorum constant, quam formam haec minora scapularia imitantur.

III. Quare ratione materialis formae haec parva scapularia eo erunt perfectiora quo magis illa maiora imitentur, eo imperfectiora, quo magis ab illorum imitatione recedant.

IV. Unde, si nihil commune cum illis habeant, aut ita recedant, ut sive in colore, sive in materia, sive in textura illa non imitentur, invalida esse censenda; scilicet ea signa piae aggregationis non esse, cui collatae sunt indulgentiae.

AURELIANEN.

SUPER FACULTATE VICARII GENERALIS QUOAD ERECTIONEM ET AGGREGATIONEM CONFRATERNITATUM.

Die 20 Julii 1868.

Decretum. « Etsi Vicarius generalis vi officii sibi generaliter commissi expedire possit ea negotia quae ad Ordinariam Episcopi iurisdictionem spectant; nonnulla tamen exercere nequit sine speciali Episcopi mandato; ea nempe quae vel ex iure scripto, vel ex causae gravitate specialem commissionem requirunt. Inter haec autem accensendam esse Confraternitatum erectionem tum docent Doctores, tum inferri videbatur ex Resolutione Sacrae Rituum Congregationis edita die 7 Octobris 1717, qua Episcopo Elboren. respondit—*Nemini licere, inconsulto Episcopo, in sua Dioecesi erigere, et creare de novo Confraternitates, et earum statuta confirmare; quae omnia privative quoad alios ad Episcopum tantum pertinent in sua Dioecesi.*

» Praeterea Vicarius Generalis non potest pariter vigore officii sui se ingerere in exequutione litterarum Apostolicarum, pro huiuscemodi Indultis, si hae fuerint Episcopo directae; nisi potestas subdelegandi eidem facta fuerit, suumque Vicarium generalem reapse subdelegaverit. Id confirmatum reperitur ab hac S. Congregatione in una *Gratianopolitana* diei 24 Maii 1843. « Cum enim Episcopus Gratianopolitan. ab Apostolica Sede

» obtinuisset praeter alias facultates licentiam erigendi in sua » Dioecesi plures Sodalitates; quaesitum fuit a S. C. utrum duo » Vicarii Generales eiusdem Episcopi, qui cum ipso unam per» sonam moralem efficiebant, saltem quoad iurisdictionem ordi» nariam, uti possent facultatibus praedictis, scilicet Sodalitates » erigendi etc.» S. Congregatio respondit: *Indulta seu facultates de quibus in proposito dubio etsi non cadant in propriam Episcopi utilitatem, sed in gratiam Dioecesanorum, non sunt tamen de ordinaria sua potestate ad rectam necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata; ita ut, eo absente vel morbo laborante, sive nimiis occupationibus impedito, vices pro eo alius gerat, tanquam ab ipso legitime delegatus; sed cum sint potius favores, quos idem Episcopus ab Apostolica Sede personaliter impetraverit, tunc ab Episcopo tantum erunt fidelibus sibi creditis distribuendi, nisi in precibus Apostolicae Sedi delatis eos expostulasset his verbis, aut similibus, nempe sive per se, vel per suos Vicarios Generales erigendi, communicandi etc.*

» Denique in Constitutione Clem. VIII. incip. *Quaecumque* cum praecipiatur Aggregationem Confraternitatum faciendam esse *praevio loci Ordinarii consensu et cum eiusdem litteris testimonialibus;* et praeterea *statuta earumdem Confraternitatum non posse impartiri nisi ea prius ab Episcopo Dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint;* in utrisque casibus venire solum Episcopum inferebatur tum ex verbis Constitutionis, tum ex natura rei ita ut Vicarius Generalis speciali ad id mandato indigeat. Per aggregationem enim Confraternitas quadam nova erectione perficitur, et per statutorum traditionem privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum communicationem ad sublimiorem statum evehitur. Unde hic Ordinarii appellatione solum Episcopum designari visum est, quemadmodum in casu, de quo in Tridentina Synodo *Sess.* 23 *cap.* 8 *de Reform.* hisce verbis - *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio ordinari petat nullatenus id ei... permittatur, nisi eius probitas et mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur.* Ordinarii autem nomine hic intelligi Episcopum, non vero Vicarium Generalem, nisi antea speciale mandatum ei ab Episcopo tributum fuerit, omnes tradunt Doctores, ita ut Vicarius

Digitized by Google

Generalis absque eo dimissoriales seu testimoniales litteras ad effectum suscipiendi ordines concedere minime possit.

» Nil mirum igitur quod Vicarius Generalis Episcopi Aurelianen. quatuor sequentia dubia S. Congregationi enodanda proposuerit, nempe:

I. » Cum Episcopus obtinuerit facultatem a Sede Apostolica » erigendi Confraternitates cum respectivis Indulgentiis, potest » ne Vicarius Generalis id praestare absque speciali delegatione » Episcopi?

II. » Potestne Vicarius Generalis auctoritate ordinaria erigere » Confraternitates absque delegatione Episcopi, ita ut erectio » sic peracta canonica sit?

III. » Utrum Vicarius Generalis possit valide concedere lit» teras testimoniales ac consensum requisitum a Clemente VIII. » pro aggregatione Confraternitatum?

IV. » Utrum Vicarius Generalis possit adprobare statuta Con» fraternitatum?

» Quibus Emi Patres in comitiis generalibus habitis apud Vaticanas aedes die 20 Iulii 1868 audito Consultoris voto et re mature perpensa rescribendum duxerunt:

Ad I. *Negative, nisi Episcopo subdelegandi potestas in Apostolico Indulto concessa fuerit suumque Vicarium Generalem subdelegaverit.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Negative, et supplicandum SSmo pro sanatione.*

» Et facta de praemissis relatione SS. D. N. Pio PP. IX. in Audientia habita a me infrascripto Card. Praefecto die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis approbavit, et confirmavit, et sanationem erectionum Confraternitatum, et approbationum statutorum a Vicariis Generalibus usque ad totum currentem diem 18 Aug. 1868 factarum, nec non Aggregationum, quae cum litteris testimonialibus et consensu Vicariorum Generalium locum huc usque habuerunt, benigne impertita est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.»

A. Card. Bizzarri Praefect.

A. Colombo Secretarius.

Digitized by Google

Ex quibus colliges:

I. Ea, quae inter maiora dioecesis negotia connumerari solent, non posse peragere Vicarium Generalem vi generalis mandati, quod ab Episcopo recipit in suo Vicarii officio suscipiendo.

II. Inter haec maiora negotia connumerandam esse erectionem canonicam Confraternitatum vel canonicam aggregationem et statutorum adprobationem (1).

III. Confraternitates enim canonice erectae quasdam pias Communitates efformant spiritualibus favoribus etiam auctas, quae partem habent in structura ecclesiastica dioecesis (2).

IV. Quare tum erectionem, tum aggregationem, tum statutorum approbationem actum exigere supereminentis auctoritatis episcopalis.

V. Posse tamen hanc auctoritatem Vicario Generali Episcopum conferre per speciale mandatum, quoties in generali mandato, hanc specialem auctoritatem explicite non contulerit (3).

VI. Non posse tamen Episcopum Vicario Generali subdelegare eam potestatem, quae fortasse ab Apostolica Sede ipse gratiose obtinuerit nulla facta mentione de subdelegandi potestate (4).

VII. Colliges demum erectiones Confraternitatum et approbationes statutorum a Vicariis Generalibus ex defectu potestatis non rite factas usque ad diem 18 Augusti 1868 sanatas fuisse.

(1) Circa aggregationem et indulgentiarum communicationem recoli potest Decretum quod adduxi in *Vol. II. p.* 57 *et quaest. pag.* 28 *ibid. et* 362.

(2) In referendis actis Consistorialibus saepe accidit, ut structuram ecclesiarum breviter describamus: Lectores nostri fortasse observaverint in cuiusvis descriptione, praeter paroecias, nosocomia, coemeteria, monasteria etc. indicari etiam *Confraternitates*, *Montes pietatis* etc. quare Confraternitates in structura ecclesiastica dioecesis partem habent.

(3) Dixi explicite non contulerit; namque mandatum hoc generale potest ab Episcopo ampliari vel restringi; et potest plura Episcopus determinare, quae, vi generalis formulae, Vicario non competerent: tamen, quae vi generalis formulae non competerent Vicario Generali, debent explicite designari, ita ut quae recensentur inter maiora negotia, neque sub hac formula amplissima comprehenderentur, si Episcopus ex. gr. Vicario generatim diceret: *sis alter ego*. De qua re consulantur Auctores.

(4) Confer etiam ea quae adduxi in *Vol. I. p.* 247. Nec non quandam limitationem ipsis Episcopis impositam circa Confraternitatem SSmi Rosarii in *Vol. II. pag.* 106.

Digitized by Google

DE ASSOCIATIONE CATHOLICA S. FRANCISCI SALESII.

Supplices Preces.

Beatissime Pater

« Ad pedes S. V. provoluti Praeses necnon Praesidi assidentes *Associationis Catholicae S. Francisci Salesii* suppliciter exponunt: Anno Domini 1855 et sequenti semel atque iterum Sanctitas Vestra Rev. Domino Mermillod primum (qui nunc Episcopus auxiliaris Genevensis) deinde R. P. D. Alzon (Augustinorum Assumptionis Praesidi ac Nemosensi Vicario generali) dicere dignata est id a se valde exoptari ut catholicis in gentibus pia exurgeret precum atque eleemosynarum societas, unde Christianorum fides refoveretur, non parvum diligenti clero accresceret auxilium, coniurati Ecclesiae hostes facilius expugnarentur, sicque pura et integra ubique inter Fideles remaneret Catholica Fides. Addebat autem Sanctitas Vestra talem sibi videri Consociationem, veluti « *quandam Fidei propagationem ad intra* » ita ut qui inter infideles atque haereticos Fidem propagandam curant, eamdem servandam tuendamque suscipiant inter fideles.

» Ex quo cordis Vestri desiderio SSme Pater exordium sumpsit, benedicente Domino, Associatio pia S. Francisci Salesii Nemosi primum anno 1855, deinde biennio post Lutetiae Parisiorum, ubi ampliori fundamento stabilita invalescit in dies ac summa ope nititur ut Fidem servanti ac tuenti Clero multifariam multisque modis praesto sit.

» Et quidem 1°. Catholicas scholas, atque Instituta pia, quae parvulis vere sanctificandis consulant, quamplurima condit, auget, vel adiuvat.

2°. Libros bonos eosdemque ad vulgarem Populorum sensum accomodatos nulla mercede dispensat, sicque honesta quaeque legendi morem inducit.

3°. Verbum Dei praedicandum curat tum ruricolis, tum suburbiis largiendo scilicet unde exercitia spiritualia fiant vel Missiones.

4°. Si quae sint ecclesiae adeo inopes ut nequeant cultum Deo, prout decet, exhibere, pecunia adiuvat.

Digitized by Google

5°. Fovet denique, quantum in se est, atque adiuvat quotquot ad statum ecclesiasticum vocati habentur.

» At vero in primis sibi tenendum esse statuit praedicta Associatio, ne quid unquam agatur nisi benedicente ac dirigente Ordinario, cui soli de spiritualibus ovium necessitatibus iudicare competit, animasque ex officio custodire; atque ita quidquid minus prudens excogitaret zelus, facillime praecavetur.

» Huius autem Associationis constitutio simplicissima haec est: Concilium primarium, nunc Lutetiae residens, epistolarum consuetudinem habet in unaquaque Dioecesi cum designato quodam ab Antistite, rectore. Cuius opera, sicut quaecumque postulantur a Dioecesi, Concilio primario innotescant, ita et omnes eiusdem Concilii elemosynae per totam Dioecesim diffunduntur. Vicerectores autem Dioecesani et collectarii denos constituunt sodales a quibus duodeni quotannis asses solvendi sunt, haud secus ac fieri solet in societatibus quae Propagatio Fidei ac S. Infantia nuncupantur.

» Quibus Regnum Christi latissime diffundentibus nedum noceat S. Francisci Salesii Associatio, e contra veluti complementum accedit atque adiutrix eximia. Quo etenim purior Fides, ac validior in catholicis gentibus vigebit, eo maiori studio eandem quisque Fidem curabit propagandam; quod autem minime fit, ubi vel evanuit Fides vel labatur.

» Decimus hic annus est ex quo dictam Societatem omnes fere Galliarum Antistites ac satis multi in Italia, Siciliaque approbatam canonice erexerunt. Eamdem nuper erexerunt, vel erecturi sunt nonnulli apud Helvetios ac Belgas. A mense autem Maio Anni 1857 quo, auspice Bm̃a Virgine, feliciter Lutetiae exorta est usque ad eundem elabentis anni mensem iam millies mille circiter francos argenteos exceptos distribuit.

» Quibuscumque in regnis praedicta constituitur Societas, Concilium generale, quod ex clericis laicisque Ecclesiae ac S. Sedi addictissimis constat, epistolarum commercium frequentat cum primario Parisiensi Concilio, eo dumtaxat fine, ut salvis ubique Societatis statutis, quae S. Sedis auctoritate sunt comprobata, tum accepti expensique, tum rerum a Sodalibus gestarum diligens ratio quotannis referatur.

Digitized by Google

» Optimum illud incoeptum iam a principio benigne fovere atque ad ampliora incitare S. V. dignata est, tum epistola sui a latinis Secretarii, tum Apostolico Brevi dato die 13 Dec. anno 1859 quo Sodales amplissimis indulgentiarum muneribus simul cum Apostolica benedictione donabantur. Quem postea praestantissimum iam caelestium gratiarum thesaurum S. V. augere adhuc ac benignissime amplificare voluit.

» Id demum pro certo habemus, SSme Pater, fore ut praedicta piorum Fidelium Societas, si tamen iterata eaque solemniori Sedis Apostolicae comprobatione gauderet, tantum continuo proficeret, ut iam maxime valeret ad refocillandam Fidelium pietatem ac fidem, atque ita, cum universo iam clero rediret animus, multo maiori impetu atque efficacius pugnaretur tum contra incredulos, liberosque muratorios, tum contra haereticos, ac ceteros quosque Ecclesiae hostes. Ad hoc redeundi ad ecclesiam via fortasse pararetur non paucis haereticis, rationalistis, atque indifferentibus, qui vel dubii taedio misere laborant, vel iam sitiunt veritatem.

» Igitur Beatitudinem Vestram Praeses ac Praesidi assidentes oratores orant ut caelestibus Indulgentiarum muneribus, quibus iam gaudent, denuo confirmatis, primo *Associationem catholicam S. Francisci Salesii* de Apostolica benignitate ditare dignetur *erectione canonica;* deinde ut ad frequentiorem Eucharistiae usum magis ac magis incitentur Sodales, misericorditer in Domino concedere dignetur Plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam ac remissionem, eamque singulis hebdomadis lucrandam ab omnibus qui vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint. Pro qua gratia etc.»

RESCRIPTUM.

» Ssmus Dñus Noster Pius PP. IX. in Audientia habita ab infrascripto Card. Praef. S. Congñis Indulg. et SS. Reliq. die 10 Martii 1868 probe noscens quantum utilitatis ex praefata Pia Unione a S. Francisco Salesio nuncupata in populum christianum promanare possit, eam, eiusque finem, seu scopum ad quem tendit, amplissimis verbis commendavit, quin tamen aliquid auctoritati Sacrorum Antistitum locorum, praesertim pro illius

Digitized by Google

canonica erectione in propria cuiusque Dioecesi facienda, detractum intelligatur. Confidit vero dictae Piae Unionis Sodales pro eo, quo flagrare debent, religionis zelo, et charitatis studio in dies magis magisque curaturos, ut intentum finem ad Dei gloriam et Christi fidelium aedificationem consequantur. Ut autem Sodales ipsi ad frequentiorem Sacramentorum usum excitentur, Sanctitas Sua, praeter indulgentias ab Apostolica Sede iam obtentas, benigne eis in perpetuum concessit ut Indulgentiam plenariam etiam Defunctis applicabilem bis in mense lucrari valeant, dummodo pro unaquaque vice vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti aliquam ecclesiam devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro haeresum extirpatione, fidei propagatione, ac S. R. E. exaltatione et felici statu pias ad Deum preces effuderint. Praesenti absque ulla brevis expeditione valituro. Datum Romae ex Secr. eiusdem S. Congnis.»

Die 10 Martii 1868.

A. Card. Bizzarri Praefectus
A. Colombo Secr.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

DECRETUM. — Feria II. die 31 Augusti 1868.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

Essai sur le œuvres et la doctrine de Machiavel, avec la traduction littérale du Prince, et de quelques fragments historiques et littéraires; par Paul Deltuf. Paris. C. Rainwald, Libraire Editeur 1867.

Catecismo Politico Costitucional escrito por Nicola Pizarro Tercera edicion. Mejico imprenta de Ignacio Cumplido 1867.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX. *per me infrascriptum S. I. C. a secretis relatis,* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 2 Septembris 1868.

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus

Loco ✠ Sigilli

FR. ANGELUS VINCENTIUS MODENA Ord. Praed.
S. Ind. Congr. a Secretis.

Die 3 Septembris 1868 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, et Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloysium Serafini Apost. Curs.*

Philippus Ossani Mag. Curs.

Digitized by Google

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

NOMINATIONES EPISCOPORUM ET ECCLESIARUM DESCRIPTIONES QUIBUS SUNT PRAEPOSITI.

Die 22 Iunii 1868.

SSmus Dominus N. in consistorio secreto habito die 22 Iunii 1868, postquam duas Allocutiones habuisset, quarum una proposuit publicationem Bullae Indictionis Concilii oecumenici; altera vero de negotiis ad religionem pertinentibus in Austriae Imperio egit, sequentes proposuit ecclesias:

Cathedralem Ecclesiam Sabinen., cum ei adnexo titulo Abbatialis Ecclesiae S. Mariae Farfensis vacantem per obitum clar. mem. Hieronymi dum viveret S. R. E. Cardinalis de Andrea ultimi illius Episcopi in romana curia defuncti: eam optavit Emus et Rmus D. Carolus Augustus eiusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis de Reisach tituli S. Ceciliae et Commendatarius S. Anastasiae, dimisso tamen praedicto titulo et commenda.

In provincia Sabinensi, unde sedes Episcopalis nomen sumit, reperitur antiqua Cathedralis Ecclesia, olim residentia Sabinensium Antistitum, Bmae Virgini Mariae in coelum Assumptae dicata, quae postea a Leone Papa X. unita fuit Ecclesiae S. Liberatori Episcopo et Martyri sacrae in civitate Malleani constitutae, atque Apostolicae Sedi est immediate subiecta.

Urbs vero Malleani unius circiter milliarii ambitus quingentas fere continet domos, et a ter mille inhabitatur incolis eidem Apostolicae S. Sedi in temporalibus quoque obtemperantibus.

Eiusdem Cathedralis Ecclesiae Capitulum tres enumerat dignitates (quarum post Pontificalem prima est Archipresbyteratus) tredecim Canonicos cum utraque praebenda, octo Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Archipresbyterum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis. etc. extra urbem habet coemeterium.

Tres praeterea in urbe Malleani reperiuntur Paroeciales Ecclesiae, quarum una baptismali fonte munita, unum item pro viris, alterumque pro mulieribus monasterium, nonnullae laicorum sodalitates, conservatorium pro puellis, mons pietatis et seminarium.

Dioeceseos ambitus, iuxta postremam eiusdem circumscriptionem, ad quadraginta duo circiter milliaria protenditur, et ultra viginti sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam Segobricen. vacantem per obitum bo. me. Ioachimi Hernandez et Herrero ultimi illius Episcopi: ad illam translatus est R. P. D. Iosephus Ludovicus Montagut hactenus Antistes Ovatensis ex benignitate SSmi D. N. ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae.

Digitized by Google

Segorbia, vel Segobriga urbs regni Valentiae, in Hispania Tarraconensi, ac praecise in provincia Castilionensi ad Turulim fluvium sita, a millibus ac sexcentis inhabitatur familiis sub temporali dominio praefatae Serenissimae Reginae Catholicae.

Cathedralis Ecclesia, satis ampli aedificii, Assumptionis Bmae Virginis Mariae Titulo, Valentino Archiepiscopo suffragatur.

Verum Sedes Episcopalis Segobricensis transferetur Castilionem iuxta Literas Apostolicas « *Ad Vicariam* » datas Nonis Septembris 1851, quarum sanctionibus eius Capitulum quinque adnumerare debet dignitates, (quarum post pontificalem prima est maior Decanatus) quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio*, *septem de gracia* ac duodecim Beneficiatos.

Animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc.

Nulla alia praeter Cathedralem reperitur Segorbiae Paroecialis, vel Collegiata Ecclesia, nec mons pietatis, sed duo tantum adsunt mulierum monasteria, atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad sexdecim circiter leucas in latitudinem, ad septem in longitudinem protenditur, et plures sub se complectitur paroecias et oppida.

Cathedralem ecclesiam Ovetén. vacantem per translationem R. P. D. Iosephi Ludovici Montagut ad Sedem Segobricensem: illi praefectus est R. D. Benedictus Sans y Forès Presbyter Valentinae archidioecesis ex benignitate SSmi D. N. ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae; idem Promotus in s. theologia et iure canonico doctor post plura ecclesiastica munera gesta denique S. Rotae Abbreviator renunciatus fuerat.

Ovetum veteris principatus Asturiae urbs, et homonymae provinciae caput, amoeno fertilique in loco haud procul a Cantabrico mare aedificata, bis mille et amplius continet domos, et a quatuordecim circiter incolarum millibus inhabitatur sub temporali dominio dictae Serenissimae Reginae Catholicae.

Cathedralis Ecclesia magnificam gothicamque praefert structuram, SSmi Salvatoris titulo gloriatur, eaque iuxta Literas Apostolicas « *Ad vicariam* » datas nonis septembris 1851 Compostellano Archiepiscopo suffragari debet.

Eius Capitulum ex praecitatis Literis Apostolicis sex adnumerare debet dignitates, (quas inter Abbatem Sanctuarii in Ausenii montis spelunca positi *de Covadonga*, et ex quibus post pontificalem prima est maior Decanatus) quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio*, undecim *de gracia*, ac sexdecim Beneficiatos.

In Cappellanum maiorem e Capituli gremio ab Episcopo electum incumbit onus sacramenta administrandi servitio addictis Ecclesiae Ovetensis, ubi sacrarium adest etc.

Tres Ovetensi in urbe recensentur Paroeciales Ecclesiae et una Vicaria baptismali fonte munita, aliquot laicorum sodalitates, nonnulla nosocomia, ac duplex seminarium, cuius alterum extra civitatem; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad triginta circiter leucas in latitudinem protenditur, Collegiatam, Collegium pro missionibus Ordinis S. Dominici, ac decem continet mulierum monasteria, complectiturque sub se plura loca, et mille et amplius paroecias.

Cathedralem Ecclesiam Malacitan. vacantem per obitum bo. me. Ioannis Nepomuceni Castellana et Ordonez: ad illam translatus est R. P. D. Stephanus Iosephus Perez Fernandez hactenus Antistes Cauriensis ad praesentationem Sermae Reginae Catholicae.

Malaca perpulchra Andalusiae urbs et caput homonymae provinciae in ora mediterranei et ad ostia Malacae fluvii sita, a viginti sex millibus et amplius

Digitized by Google

familiarum inhabitatur sub temporali dominio dictae Serenissimae Reginae Catholicae.

Cathedralis Ecclesia, peramplae et magnificae structurae, corinthiaci ordinis Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo iuxta Literas Apostolicas « *Ad vicariam* datas nonis Septembris 1851 Granatensi Archiepiscopo suffragari debet. Eius Capitulum ex praecitatis litteris Apostolicis sex debet adnumerare dignitates (quarum post pontificalem prima est decanatus) quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio*, undecim *de gracia*, ac sexdecim Beneficiatos.

In Sacrarii paroecia Cathedrali adnexa, et baptismali fonte munita animarum cura per duos exercetur Coadiutores.

Novem recensentur Malacae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, decem pro mulieribus monasteria, ac novem aliae in dioecesi, duplex nosocomium bina pauperum hospitia, plures laicorum sodalitates, mons pietatis ac duo seminaria

Dioeceseos ambitus satis late patet, et centum triginta et amplius sub se complectitur paroecias.

Cathedralem Ecclesiam Catharen. vacantem per translationem R. P. D. Marci Calogerà ad Cathedralem Sedem Spalatensem; illi praefectus est R. D. Georgius Marchich Presbyter Dioeceseos Spalatensis ex benignitate SSmi D. N. ad nominationem C. M. Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici uti Dalmatiae regni etiam Regis vigore indulti Apostolici. Idem Promotus, post alia praeclara munera gesta, Professor theologiae dogmaticae et moralis in Seminario effectus ac Rector, Consiliarii Tribunalis ecclesiastici Consultoris fori metropolitani etc. munere perfunctus est, tandem Canonicus ad honorem et inter Cubicularios secretos supranumerarios SSmi D. N. adscitus est.

Catharum urbs Dalmatiae ad montis radices in planitie aedificata, medii milliarii est ambitus, sexcentas circiter continet domos, eamque una cum suburbio Spigliari ter mille circiter incolunt cives, quorum dimidia pars catholicam religionem profitetur sub temporali dominio dicti Serenissimi Imperatoris ac Regis. Cathedralis Ecclesia, antiquae elegantisque structurae, S. Tryphonis Martyris titulo, Iadrensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum, licet ex Apostolicis Literis « *Locum Beati Petri* » a S. M. Leone PP. XII pridie Kal. Iulii 1828 editis constitui deberet ex Praepositi et Decani dignitatibus, ex quatuor Canonicis titularibus ac totidem honorariis et ex quatuor Vicariis seu Praebendatis, tamen hactenus quatuor tantum enumerat Canonicos, quos inter Praepositus primam post pontificalem obtinens dignitatem, et duos Vicarios chorales, qui simul Parochi Cooperatores; theologalis ac poenitentiaria praebenda desideratur.

Per Canonicum Vicesgerentem Ordinarii animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. et inter Sanctorum reliquias caput et ossa corporis S. Tryphonis civitatis ac dioeceseos Patroni et caput S. Chrysogoni Martyris decenter adservantur, atque extra urbem extat coemeterium.

Nulla alia reperitur Cathari paroecialis Ecclesia, sed Collegiata, cui Abbas et septem Praebendati inserviebant, quaeque modo ministris omnibus caret, duplex pro viris monasterium, duae laicorum sodalitates, et pauperum hospitium; seminarium autem et mons pietatis desiderantur.

Dioeceseos ambitus ad duodeviginti mille passus circiter extenditur, duas civitates ac plura sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam Canarien. vacantem per translationem R. P. D. Ioachimi Lluch et Garriga ad sedem Salamantinam; ad eam evectus est R. D. Iosephus Maria de Urquinaona Presbyter Gadicensis ex benignitate SSmi D. N. ad praesentationem Seremae Reginae Catho-

Digitized by Google

licae: idem Promotus in s. theologia doctor, post plura munera gesta in animarum cura, Vicarius effectus atque in cathedrali Archipresbyter hactenus renunciatus.

In provincia Canariarum sita reperitur urbs, cui nomen Palma, quae caput est insulae Canariae magnae, et Episcopatus homonymi. Urbs huiusmodi ad littus maris Atlantici aedificata a quatuor circiter incolarum millibus inhabitatur sub temporali dominio dictae Serenissimae Reginae Catholicae.

Cathedralis Ecclesia, satis ampla ac solida, S. Annae titulo, gothicam praefert structuram, atque Hispalensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum ex Litteris Apostolicis « *Ad vicariam* » datis nonis Septembris 1851 quinque recensere debet dignitates, (quarum post pontificalem prima est decanatus) quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio*, septem *de gracia*, ac demum duodecim Beneficiatos.

In Ecclesia S. Augustini paroecia extat Sacrarii, et animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. atque inter Sanctorum Reliquias cranium S. Ioachimi decenter asservatur.

Duae aliae praeterea recensentur Palmensi in urbe Auxiliares Ecclesiae baptismali fonte munitae, unum mulierum monasterium, nonnullae laicorum sodalitates, bina nosocomia, hospitium, atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus tres complectitur insulas, Canariae magnae, Forteventurae, ac Lancerotae, pluresque sub se continet paroecias.

Cathedralem Ecclesiam de Durango in ditione Mexicana Americae Septemtrionalis vacantem per obitum bo. me. Iosephi Antonii Laureani de Zubiria ultimi illius Episcopi: ad eam promotus est R. D. Ioseph Vincentius Salinas Praesbyter dioeceseos de Antequera, qui in animarum curam maxime incumbens, Cantoratus dignitate hactenus renunciatus est.

Durangum urbs Mexicanae ditionis in America Septentrionali ad montium radices plano in loco aedificata, ampli est circuitus, et ultra triginta continet incolarum millia catholicam religionem profitentium.

Cathedralis Ecclesia, satis amplae ac pulchrae structurae, S. Matthaei Apostoli titulo, Archiepiscopo de Guadalaxara suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus) quatuor cum utraque praebenda Canonicos, duos integros ac totidem medios Portionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes:

Animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc.

Duae aliae recensentur Durangi paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, quaedam virorum monasteria, aliquot laicorum sodalitates, nosocomium ac seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, pluraque sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam Coren.

Sanctissimus Dominus Noster per Apostolicas Literas « *Ad universam agri Dominici curam* » datas nonis Martii 1863 ex peracta dismembratione praesertim sedis Episcopalis Emeritensis novam in ditione de Benezuela Americae Meridionalis erexit Cathedralem Ecclesiam in civitate de Barquisimeto quin ullus Antistes eidem fuerit hucusque praepositus. Per subsequens vero Sacrae Congregationis Consistorialis decretum exordiens « *Apostolicis Literis sub plumbo* » datum die decimaquarta Augusti 1867 a SSmo Domino Nostro adprobatum sedes ipsa de Barquisimeto suppressa, dein translata, atque erecta fuit in altera urbe de Coro nuncupata. Hinc SSmus

Digitized by Google

in Consistorio proposuit eamdem Ecclesiam Coren. ad Cathedralitatis honorem ceu sûpra evectam et a primaeva erectione sua vacantem; ad eam promotus est R. D. Victor Iosephus Diez Presbyter Corensis qui plura ecclesiastica munera sive in curam animarum sive in administrationem dioeceseos gesserat.

Corum pervetustae homonymae provinciae urbs in ditione de Benezuela Americae meridionalis haud procul a litore Oceani borealis sita ab octo circiter incolarum millibus inhabitatur.

Eius princeps paroecialis Ecclesia a S. M. Clemente VII. Episcopali sede ditata ad Cathedralitatis fastigium nuper evecta est, Sanctae Annae titulo, Archiepiscopo S. Iacobi de Benezuela suffragatur.

Capitulum unica conflatur Archidiaconatus dignitate, et quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicis de officio queis duo aut saltem alter Canonicus de gratia et congrûus Cappellanorum seu Mansionariorum et Administrorum numerus erit adiungendus.

Per Parochum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. atque extra urbem coemeterium.

Episcopale palatium adhuc desideratur et Gubernii expensis Episcopus aedes inhabitabit conductas.

Fructus taxati in Libris Camerae ad Florenos 33 ⅓, ascendunt ad quinquies mille scutata illius monetae a Gubernio persolvenda.

Altera praeterea recensetur Cori paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita ac tres filiales; deest autem mons pietatis, et seminarium erigendum erit.

Dioeceseos ambitus ad trecenta milliaria protenditur, pluresque sub se complectiur urbes et loca.

Metropolitanam Ecclesiam de Guadalaxara in ditione Mexicana Americae Septentrionalis vacantem per obitum bo. me. Petri Espinosa ultimi illius Archiepiscopi: ad eam translatus est R. P. D. Petrus Loza hactenus Antistes de Sora.

Guadalaxara perampla Mexicanae ditionis urbs in America Septentrionali et in provincia homonyma aedificata, puro ac saluberrimo pôtitur aere, atque a centum fere millibus incolarum catholicorum inhabitatur.

Metropolitanae Ecclesiae pulcherrimae elegantisque structurae, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo quatuor suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, (quarum post pontificalem prima est Decanatus) quinque cum utraque praebenda Canonicos, quatuor Beneficiatos-Portionarios, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Parochum a quibusdam Capellanis adiutum animarum cura exercetur in Sacrarii Ecclesia adnexa Metropolitanae, ubi fons adest baptismalis etc. et extra urbem habet coemeterium.

Quatuor aliae recensentur Guadalaxarae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, septem pro viris ac sex pro mulieribus monasteria, nonnullae laicorum sodalitates, duplex nosocomium mons pietatis atque seminarium.

Archidioeceseos ambitus latissime patet, plurimaque sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam Iucatan. in Mexicana ditione Americae Septentrionalis vacantem per obitum bo. me. Iosephi Mariae Guerra ultimi illius Episcopi: ad eam evectus est R. D. Leander Rodriguex de la Gala Presbyter dioeceseos Iucatanensis, qui doctor in sacra theologia, opera sedulo praestita in fidelium bonum, canonicus effectus est et munere Administratoris Apostolici sede vacante perfunctus est.

Iucatania, unde Episcopatus nomen habet, est provincia Americae Septentrionalis, eiusque urbs princeps Emerita, quae Sede episcopali decorata et in Mexicana ditione plano in loco sita quadraginta et amplius continet incolarum

Digitized by Google

millia catholicam religionem profitentium.

Cathedralis Ecclesia, satis amplae ac optimae structurae, S. Ildelfonsi titulo, Mexicano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum tres enumerat cum utraque praebenda Canonicos, (quos inter unica post pontificalem dignitas est Decanatus) decem Cappellanos vel Beneficiatos, aliosque Presbyteros et clericos divinis inservientes.

Per duos Rectores animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc.

Quaedam aliae recensentur Emeritae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, aliquot monasteria ac religiosa domus, nonnullae laicorum sodalitates, nosocomium atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, Tabascam etiam complectitur provinciam, pluraque sub se continet loca.

Cathedralem Ecclesiam de Queretaro in Mexicana ditione Americae Septentrionalis vacantem per obitum bo. me. Bernardi Garate ultimi illius Episcopi; ad eam evectus est R. D. Raymundus Canacho Presbyter Archidioeceseos de Quadalaxara qui doctor in s. Theologia, pluribus muneribus in fidelium bonum perfunctus, scholastici dignitate in Mechoacanensi Metropolitana honestatus est.

Urbs de Queretaro, provinciae homonymae caput in Mexicana Americae Septentrionalis, amoena fertilique in valle montibus circumdata sita, a quinquaginta circiter incolarum millibus inhabitatur catholicam religionem profitentium.

Cathedralis Ecclesia, amplae satis ac optimae structurae, S. Iacobi Apostoli titulo Archiepiscopo Mechoacanensi suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset Canonicos de officio (quorum post pontificalem prima dignitas est Archidiaconus) alterum theologum vel doctoralem alterum poenitentiarium sive magistralem: quatuor item de gratia, et sex Capellanos vel Beneficiatos divinis inservientes.

Animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc.

Episcopale palatium nondum est aedificatum, ac interea Antistes aedes inhabitat gubernii expensis conductas.

Tres aliae recensentur in illa urbe Ecclesiae paroeciales baptismali fonte munitae, unum pro viris ac triplex pro mulieribus monasterium, missionibus, studiisque addiscendis duplex collegium, aliquot pia instituta, atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, pluraque sub se complectitur loca.

Digitized by Google

EX SECRETARIA BREVIUM.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE.

QUIBUS NOMINATIM AC SOLEMNITER EXCOMMUNICATUR PRESBYTER CYRINUS RINALDI.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque legitimis Locorum Ordinariis, ac Dilectis Filiis Ecclesiasticis et Religiosis Viris, Cunctisque Christifidelibus Siciliae.

PIUS PP. IX.

«Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quisque vestrum optime noscit, Nos pro supremi Nostri Apostolici muneris officio de universae Ecclesiae bono, animarumque salute vehementer sollicitos ad maxima et gravissima mala, ac damna penitus amovenda, quae in istas Siciliae Ecclesias, et fideles ex praetensa Apostolica Sicula Legatione, et ita dicta Monarchia iamdiu redundabant, usque ab anno millesimo octingentesimo sexagesimo quarto Apostolicas Nostras sub Plumbo V. Kalendas Februarii edidisse Litteras incipientes « *Suprema* » ac die decimo mensis Octobris anno millesimo octingentesimo sexagesimoseptimo iuxta Nostra mandata ex more Romae vulgatas, quibus commemoratam Apostolicam Legationem, et sic appellatam Monarchiam, nec non Iudicem Delegatum, eiusque tribunal, omnesque ministros, et officiales de medio sustulimus planeque extinximus, et abolevimus. In quibus Nostris Litteris inter alia praescripsimus, ut post duos menses a die publicationis, et affixionis, earumdem Litterarum computandos deberent Litterae ipsae plenum suum effectum habere, et omnes, ac singulos, quos illae concernerent, perinde afficere,

obligare, et arctare, ac si unicuique eorum nominatim, ac personaliter intimatae fuissent. Neque ignoratis, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, qua cura et studio spiritualibus istorum fidelium indigentiis utilitatibusque consulere studuimus. Namque alias Nostras Litteras Annulo Piscatoris obsignatas incipientes *Multis gravissimis* et datas eodem die et anno quibus Apostolicae sub Plumbo Litterae editae fuerunt, emisimus. Quibus quidem Litteris opportunas, ac necessarias facultates vobis Venerabiles Fratres, aliisque legitimis in Sicilia Ordinariis tribuimus, ac simul statuimus modum quo causae ad Forum ecclesiasticum pertinentes possent, ac deberent iudicari, et agi. Ac neminem vestrum latet, die 15 mensis Octobris superiore anno a Nostra Congregatione negotiis Episcoporum, et Regularium praeposita missum fuisse supremo, et expresso Nostro iussu exemplar earumdem Litterarum sub Plumbo ad Presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui sic nuncupatae Monarchiae iudicis munere fungebatur, et eidem severissimum Monitum datum fuisse. Quo monito eidem Sacerdoti Rinaldi Nostro nomine, et Apostolica Auctoritate fuit denunciata maioris excommunicationis poena latae sententiae ipso facto incurrenda absque ulla alia declaratione, cuius absolutio Nobis est reservata, excepto tantum mortis articulo, quoties ipse seu directe, seu indirecte, et quovis alio modo ausus fuisset vel earumdem Litterarum exsecutionem impedire, vel nomen officii, quod gerebat retinere, vel eiusdem officii exercitio se immiscere sub quocumque titulo, praetextu, colore, et quocumque actu etiam extraiudiciali, et oeconomico per interpositam quoque personam peracto. Insuper eidem Presbytero Rinaldi declarabatur, huiusmodi excommunicationis comminatione minime derogari aliis ecclesiasticis poenis, et censuris, quas Sacri Canones, et Apostolicae Constitutiones in illos infligunt, qui exsecutionem Actorum huius Sanctae Sedis impediunt, vel ecclesiasticam iurisdictionem usurpant, vel liberum Episcoporum auctoritatis exercitium perturbant. Ac idem Presbyter Nostro etiam nomine etiam atque etiam monebatur, ut quoad actus per abusionem factos, quibus praeterito tempore locum dederat, sacerdotalis praesertim conditionis suae memor serio conscientiae suae consulere, ac severissima Dei iudicia formidare vellet.

Digitized by Google

» Iam vero etiamsi idem Presbyter Rinaldi monitum, et praedictas Nostras sub Plumbo Litteras acceperit, quae per publicas Romanas Florentinas et Siculas ac fere omnes ephemerides vulgatae fuerunt, tamen officii sui omnino obitus eo temeritatis, et audaciae devenit, ut supremam Nostram, et Apostolicae huius Sedis auctoritatem omnino contemnens, ac maioris Excommunicationis poenam plane despiciens, haud extimuerit pergere sacrilego prorsus et abominabili ausu sese immiscere praedicto sic appellatae Monarchiae iudicis officio a Nobis abrogato, ac plane sublato, et Actus exercere omnino nullos et irritos cum summo fidelium scandalo, animarum detrimento, ac gravissimis Episcoporum iniuriis et vexationibus. Taedet sane hic recensere singulos usurpatae iurisdictionis actus, quos ipse Presbyter Rinaldi post acceptas Nostras Litteras et Monitum audacissime admisit nihil dubitans minitari quoque Vobis, Venerabiles Fratres, pecuniarias mulctas. In tanta igitur, ac tam perniciosa huius Presbyteri contumacia, ad supremam Nostram, et huius Sanctae Sedis potestatem tuendam ad Episcoporum auctoritatem, iurisdictionemque vindicandam, ad tantum scandalum amovendum, et ad Siciliae fidelium salutem curandam dolenter quidem, necessario tamen illud consilium a Nobis omnino suscipiendum esse duximus, quod ex Sacrorum Canonum praescripto, ex Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo praesto est, ut nimirum exeramus gladium, quo Nos Deus ad Religionis, et iustitiae defensionem munivit. Quare auctoritate Omnipotentis Dei, et Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra eumdem Presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui ex vi commemorati Moniti in maiorem excommunicationem iam incidit, hisce Nostris Litteris solemniter, ac nominatim excommunicamus anathematizamus, et ab Ecclesiae corpore segregatum, ac prorsus ab omnibus vitandum esse statuimus, decernimus ac denuntiamus.

» Faxit dives in misericordia Deus, ut infelix hic Sacerdos hac acri sane, sed necessaria medicina a Nobis in ipsum adhibita sanetur, utque ipse gravissima sua recognoscens errata resipiscat, ac sincera et salutari poenitentia animae suae bono prospiciat, ne ad ulteriora procedere cogamur.

Digitized by Google

»Denique hac quoque occasione Vobis iterum animos addimus, Venerabiles Fratres, ut divino auxilio freti pergatis maiore usque studio in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate impavide tueri Dei, eiusque Sanctae Ecclesiae causam, et gregis curae Vestrae commissi salutem curare.

» Vos autem, Dilecti Filii, etiam atque etiam hortamur, ut nefarias inimicorum hominum insidias sedulo devitetis, et alacriore usque pede incedatis per semitas Domini et ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Ac praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, peramanter impertimus.

» Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23 Iulii Anno 1868. Pontificatus Nostri Anno vicesimotertio.» (1)

N. Card. Paracciani Clarelli.

(1) Litteras Apostolicas in forma Bullae, item in forma Brevis, nec non Monitum, de quibus hisce in Litteris mentio habetur, retuli in *Vol. III. pag.* 177, 186, 431.

Digitized by Google

APPENDIX II.

EPISTOLA CONFIDENTIALIS EMIN. CARD. PROSPERI CATERINI S. CONGREGATIONIS CONCILII TRIDENTINI PRAEFECTI ANNUENTE SANCTISSIMO D. N. MISSA AD EPISCOPUM N. DIE 8 APRILIS 1864, DE QUODAM CANONICO THEOLOGO PERPERAM SENTIENTE SUPER CIVILI R. PONTIFICIS PRINCIPATU.

(Versio ex exemplari Italico).

Illme ac Rme Domine.

«In praeclara Epistola tua, Illme ac Rme Domine, quae ad me die IV. praesentis mensis Aprilis pervenit, reperi exemplar literarum, quas tibi Canonicus Theologus N. dedit; quibus lectis, qualiter fuerim affectus, ipse per te facile potes coniicere.

» Attamen fatendum a me est, ex earumdem tenore rationem mihi suppetere iudicandi, ipsum corruptum corde non esse; eiusque obnitentiam a retractatione facienda ex defectu potius theologicarum et historicarum cognitionum, quam ex malitia oriri. Ipse namque protestatur se *obstinatum* non esse, rogatque *nova doctrina* instrui, quam *paucis ante annis inductam* reputat.

»Itaque quidni posses, Illme ac Rme Domine, eidem legendam exhibere percelebrem Collectionem super Dominio temporali S. Sedis; ubi non Allocutiones modo atque Encyclicae Bmi Patris, sed etiam omnium ferme Episcoporum Orbis protestationis literae afferuntur? In ea ille necessaria abunde reperiret documenta, unde hanc ratiocinationem facile posset suscipere: Pontifex Romanus atque Episcopi, seu quod idem est, universa catholica Ecclesia sic docet; cur igitur hanc ego non audiam? Si Ecclesiam non audiero, in eam illico metuendam censuram incidam, qua edicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Cum Papa loquitur, qui Magister universalis est, et Jesu Christi personam gerit, quis ei se audeat opponere, et renuat *captivare intellectum suum*, sive intelligat, sive non sermonis vim et praecepti rationem? Et quamvis in praesenti quaestione de articulo, qui *directe* ad Fidem pertineat, non agatur, ideone supremi Pastoris voci auscultandum non erit? Quis est qui nesciat, praeter eos qui Fidei articuli rigorose appellantur, et alios esse ad Fidem spectantes, et moralia etiam praecepta, ut illud, exempli gratia: *Non furaberis?*

» Quod si ipse per te huic Theologo necessarias praebere instructiones nolis, eius Confessario id munus poteris conferre, aut alii

Digitized by Google

ecclesiastico viro harum rerum perito, ut cum illo subinde colloquatur, atque charitatis et patientiae spiritu induens se, satagat eumdem illuminare et ad bonam frugem deducere, invocato quidem ante auxilio ab alto.

» Canonicus N. ob suam longaevam aetatem reminisci illius temporis deberet, quo Napoleon I. Ecclesiae Romanae Dominia armis invasit. Reminiscetur etiam protestantionum Pii VII. ac dein excommunicationis quam hic in usurpatores immisit. Non igitur *nova doctrina est*, *nec paucis abhinc annis inducta*, ut ipse opinatur, sed antiqua.

» Imo antiquissima. Perlegat opus Orsi *Sovranità temporale dei Pontefici* cum notis Cenni: item Brunengo: *Sovranità temporale dei Papi*: item opusculum Steccanella *Il valore e la violazione della dichiarazione pontificia sul Dominio della S. Sede*: item Bellarmini *De Romano Pontifice l. 5. c. 9.* et praesertim Theiner opusculum quod inscribitur *I due Concilii generali di Lione e di Costanza intorno al Dominio temporale della S. Sede*. (1) Et si ille fortasse ignoret Theinerii opusculum, ad utriusque Concilii Acta recurrat. Noverit, in Concilio Lugdunensi primo, Innocentio IV. Pontifice, ut acerrimo bello, quod Fridericus II. contra Ecclesiam et in civilem eius dominatum gerebat, finis imponeretur, postquam compertum fuit, excommunicationem iam pridem in ipsum latam nihil profuisse, cum imo eius scelera et usurpationes iugiter crevissent, quippe qui nonnullas Romanae Ecclesiae urbes invaserat, uti ibidem in sententia contra eum lata legitur *possessiones quoque Romanae Ecclesiae, videlicet Marchiam, Ducatum Beneventanum . . . Patrimonium B. Petri*, noverit inquam, Fridericum coram Patribus et Regum Oratoribus et coram suo ipso Defensore, regno sollemniter expoliatum esse. Hic solemnis Romani Pontificis, et Concilii oecumenici actus legitimitatem et vetustatem dominationis temporalis S. Sedis evidenter demonstrat, et confirmat eius inviolabilitatem, convenientiam, necessitatemque. Discet praeterea, in Concilio Constantiensi ratione haud minus solemni confirmatum item atque sancitum fuisse civilem S. Sedis dominatum per condemnationem propositionum Vicleffi, quarum XXXIII his erat verbis conflata « *Silvester Papa et Constantinus Imperator erraverunt dotando Ecclesiam* » qua quidem condemnatione, Concilium ipsum omnium Ecclesiae possessionum legitimitatem simul agnoscebat, eius praesertim possessionis, quae omnium nobilissima, maximeque utilis et necessaria est Romano Pontifici ad liberum atque absolutum spiritualis suae potestatis exercitium, cuiusmodi est temporalis eius dominatus. Sed facto etiam

(1) Perlegi etiam nunc poterit opus recens editum Roskovany, *Romanus Pontifex. Tom. V.* ubi exhibentur Documenta de civili Principatu a saeculo IV. ad annum MDCCCLXV.

Digitized by Google

concilium illud huius dominatus legitimitatem et necessitatem agnovit; utpote quod provinciarum Ecclesiae administrationem et temporale regimen sibi idem suscepit eo temporis intervallo quod ab intrusorum pontificum abdicatione ad novi legitimique Pontificis Martini V. electionem usque intercessit; quo profecto tempore Ecclesia destituta visibili capite ab uno hoc Constantiensi Concilio generali repraesentabatur. Hoc factum, et supremi regiminis exercitium ab eodem Concilio super Ecclesiae provincias susceptum exhibent monumenta a P. Theinerio in supradicto opusculo collecta. Sententia igitur qua affirmatur, convenientiam et necessitatem temporalis dominatus S. Sedis *novam doctrinam esse* et *paucis ante annis invectam, falsa* est historice, atque etiam in ratione doctrinae *erronea;* ita ut usurpationis et erroris insimularentur Pontifices dominatum civilem provinciarum Ecclesiae suscipientes ac retinentes, itemque duo illa celeberrima concilia Lugdunense et Constantiense condemnarentur quae verbo et facto dominatum illum ratum habuerunt atque sanxerunt. Qui vero contrarium adsereret, errorem Arnaldi Brixiensis et Calvini aliorumque haereticorum renovaret (sicut penes Natalem Alexandrum legitur Hist. Eccl. tom. 7. ad Saec. XI. cap. 4. art. 8. de Arnaldistis : et Bellarminum loc. cit. cap. 10. et Mamachium in opere *Del dritto libero della Chiesa ec.* Tom. 1. lib. 1. Cap. 5.) qui, ut erant Ecclesiae et Romanae Sedi praesertim infensi, alienum esse docuerunt ab Evangelii Spiritu, quod Spirituali potestati civilis dominatus coniungatur, quae quidem propositio eiusmodi est ut tanquam haeretica damnari mereatur.

» Erit tamen Canonico N. opportunior lectio Constitutionis Nicolai III. die XVIII. Iulii anno MCCLXXVIII. editae, quae incipit « *Fundamenta militantis Ecclesiae* » quae refertur in *Cap.* 17 *de Elect. in* 6, quaeque ad difficultatem a Canonico N. obiectam diluendam consulto lucubrata videtur. Cuius quidem in exordio haec leget: *Non absque miraculo factum esse conspicitur* ut in Summo Pontifice Romae dominatio coniungeretur. Ille quippe est Supremus Christianorum Magister, eique a Iesu Christo plenaria potestas data est Ecclesiam universam pascendi, dirigendi, gubernandi. Iam vero ad huius praemagni ministerii exercitium, utque hanc universalem actionem libere explicare Pontifex possit, utilis est imo necessarius civilis Principatus, sine quo potestatis spiritualis independentia salva esse non posset; supremus enim Ecclesiae Legislator praepeditus et subditus foret eiusdem loci Principi, qui ipsi dominaretur, cum omnium Christianorum spiritualis Pater conscientiarum subditorum suorum et Regum moderator, a peculiaribus commodis cuiuslibet Principis extraneus sit

Digitized by Google

oporteat; immo etiam a quoquam omnino liber atque independens; quod quidem semper contingere nequaquam posset, si non absolutus Princeps in ditione sua, sed subditus esset et ab alius imperio nutuque dependens. Absque hoc dominatu Pontifex nec esset nec videretur externa pressione immunis et liber: hinc fieret ut eius definitiones et oracula ob oppositionem Principis, cui Papa subesset, saepenumero edi non possent, quod ea sui Principatus utilitatibus contraria Princeps ipse putaret; si vero contraria non videantur, suspiciones, contentiones ac praetextus in aliis Principibus facile excitarentur nec Fidelium conscientiae securae evaderent, nec ea, qua par est, veneratione susciperentur. Hinc iure merito Nicolaus III. in supradicta Constitutione, de Pontificum dominatu scribens, uti potissimam huius dominatus rationem adstruit Ministerii Apostolici libertatem et independentiam his verbis « Non iustum » arbitrans ut ubi Sacerdotii prin» cipatum et Christianae Religionis » caput Imperator coelestis instituit, » illic Imperator terrenus habeat » potestatem; quin magis ipsa *Petri* » *Sedes* in romano *iam proprio solio* » collocata *libertate plena* in suis » agendis per omnia potiretur, *nec* » *ulli* subesset homini, quae iure » divino cunctis cognoscitur esse » praelata » His addit idem Pontifex alias quoque considerationes, et pecularia capit consilia ad utilitatem necessitatemque civilis dominatus in Romanis Pontificibus pro universalis Ecclesiae bono magis magisque confirmandam.

» Quod si quis obiiceret, Principatum civilem, sicuti prioribus Ecclesiae saeculis necessarius non fuit, ita nec hisce temporibus necessarium esse, viarum Domini satis ignarum se ostenderet. Qui omnia operatur *suaviter et fortiter*, operatur etiam suis temporibus, iisque modis, quos in sua infinita sapientia. expedire iudicat. Audiat quid scribit Bellarminus *loc. sup. cit. cap.* 9. «Et si absolute forte prae» staret, Pontifices tractare solum » spiritualia, et Reges temporalia; » tamen propter malitiam temporum » experentia clamat, *non solum uti*» *liter,* sed etiam *necessario, et ex* » *singulari Dei Providentia* donatos » fuisse Pontifici aliisque Episcopis » temporales aliquos Principatus. » Si enim in Germania Episcopi » Principes non fuissent, nulli ad » hanc diem in suis sedibus per» mansissent. Sicut ergo in Testa» mento veteri diu fuerunt Ponti» fices sine imperio temporali, et » tamen ultimis temporibus non » poterat Religio consistere et de» fendi, nisi Pontifices etiam reges » essent, nimirum tempore Ma» chabaeorum; ita quoque accidisse » videmus Ecclesiae, ut quae primis » temporibus ad maiestatem suam » tuendam temporali principatu non « egebat, nunc eodem *necessario* » indigere videatur. »

Digitized by Google

» Illi Constitutioni altera notissima aeque ac vetustissima Bulla addenda est, quae in *Coena Domini* nuncupatur, in qua expresse ii excommunicantur qui urbes pagosque Dominii Pontificii invadunt.

» Nec vero praetermittenda est magni et Sancti Pontificis Pii V. Bulla, quae incipit *Admonet* die XXIX. Martii anno MDLXVII. edita. Hic Pontifex cum temporalis dominatus non convenientiam modo, atque utilitatem, sed et necessitatem nosceret, velletque eidem, quibusque posset modis, consulere, quamlibet fieri vetuit alienationem, permutationem, imo infeudationem etiam *sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis;* gravissimasque poenas tam Cardinalibus, quam *aliis quibuscumque* comminatus est, atque ipsam excommunicationem *eo ipso* incurrendam, si suadere aut suggerere attentassent Pontifici *pro tempore* eiusmodi alienationes: ibid. *insinuentes* vel *suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi ab ipso Pontifice etc.* Edixit etiam ut novi Cardinales omnes huius Constitutionis observantiam iureiurando promitterent, « *nec Pontifici-* » *bus contrafacientibus consentire*, aut » absolutionem a iuramento prae- » stito non petere *nec oblatam*, » aut concessam *acceptare*...ac con- » trafacientes poenam periurii et » perpetuae infamiae iuris et facti » *eo ipso* incurrere » Nec satis. Sanctus iste Pontifex postquam dixisset « Quod nobis licere non pa- » timur, nostris successoribus in- » dicamus, quos non immemores » fore speramus ante Domini nostri » Iesu Christi in examine diei magni » adventus Tribunal, villicationis » nostrae rationem reddituros nos » esse » studio incredibili et satis ingeniose huius Constitutionis observantiam inviolabilem etiam in suis successoribus iterum curavit, iubens Cardinales in Conclavi congregatos denuo illius observantiam iureiurando promittere, ita ut « *per quemlibet eorum qui in Romanum Pontificem electus fuerit, et postmodum idem ad summi Pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem hoc ipsum promittere, et deinde post coronationem suam promissionem et iuramentum huiusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat.* »

» Haec authenticorum monumentorum veterum quidem atque praegravium, specimina, ut alia quae abunde suppetunt praetermittamus, si a sapiente viro rite exponantur atque explicentur, fieri non poterit quin Canonicum N. persuadeant atque evincant, si quidem ille, ut arbitror, bonae fidei vir sit rectique iudicii. Profecto hic fateri ac mirari debebit quanta sapientia quantoque iure gloriosus Pontifex Pius IX. in sua Allocutione die XX. Iunii anno MDCCCLIX. habita ac deinceps in Encyclica die XIX. Ianuarii anno sequenti edita hanc quae subiicitur sententiam pronunciarit: « Singulari » divinae Providentiae consilio fa-

Digitized by Google

» ctum est, ut in tanta temporalium
» Principum multitudine et varietate
» Romana quoque Ecclesia tempora-
» lem Dominationem, nemini pror-
» sus obnoxiam haberet, qua Ro-
» manus Pontifex, Summus totius
» Ecclesiae Pastor, nulli unquam
» Principi subiectus, supremam
» universi Dominici gregis pascendi
» regendique potestatem auctorita-
» temque ab ipso Christo Domino
» acceptam per universum, qua late
» patet, Orbem plenissima libertate
» exercere, ac simul facilius Divi-
» nam Religionem magis in dies
» propagare, et variis Fidelium in-
» digentiis occurrere, et opportuna
» flagitantibus auxilia ferre, et alia
» omnia bona peragere posset, quae
» pro re ac tempore ad maio-
» rem totius Christianae Reipubli-
» cae utilitatem pertinere ipse co-
» gnosceret.»

» Oporteret ut Canonicus Theologus serio consideraret, Arnaldistas redivivos qui se ferventes catholicos iactant incensosque populorum amatores, omnium esse crudelissimos hostes populorum ipsorum, multoque magis Ecclesiae; quam quo facilius perdant vano ac specioso nomine amoris patriae in civilem Pontificum Principatum, qui prae caeteris vetustissimus est, atque omnium maxime legitimus providus ac mitis, invehuntur, ideo sane quia probe norunt quantum hic Principatus valeat ad servandam Supremo Ecclesiae Rectori eam independentiam quae illi ad Apostolicum Ministerium in universo Orbe exercendum necessaria est, sperantes fore ut, abolito civili Principatu, Spiritualem etiam summi Pontificis potestatem auctoritatemque facile sibi abolere contingat; aut saltem ita spirituales eius influxus in Orbem universum infirmare, ut hic certissima ipsorum praeda fiat; ut deinceps in schismata, haereses, incredulitatem et turpiora quoque scelera homines pertrahant.

» Canonicus N. oculos in squalentem Italiae statum convertat, ad quem ab anno MDCCCLIX ac deinceps ea redacta sit, et facile mihi persuadeo fore ut ille dolore affectus lacrymas fundat. Videat quibus in angustiis Episcopi versentur, quorum alii in carceribus detinentur, alii a suis Dioecesibus exsulant, omnes vero exagitantur, aut minimum tacere coguntur, ut ne possint quidem Presbyteros aberrantes a Missae Sacrificio celebrando suspendere. Nisi Romanus Pontifex civilem Principatum possideret meliori ne ipse conditione uteretur quam caeteri Italiae Episcopi? Sed adhuc peius. Quid quaeso facere potuit Pius VII. carcere primum detentus ac dein in exteras regiones asportatus, et privatus omni ratione cum sibi subditis populis et cum caeteris omnibus in Orbe Fidelibus communicandi? Et quare? Quia conscientia sibi iniquis Napoleonis I. postulationibus assentiri interdicebat. Quae quidem facta saepissime renovarentur, et passim quotidie

Digitized by Google

contingerent, si Sabaudiae Rex aut alius Princeps Romae imperaret.

» His vero considerationibus nonne victas dare debebit manus Theologus ille, ac fateri convenientiam, antiquitatem, utilitatem ac necessitatem civilis Pontificum dominatus?

» Expectabo ut certior fiam de felici harum pastoralium tuarum, Illme Domine, sollicitudinum successu, et de efficaci actione illius viri, cui Canonicum N. edocendi instruendique munus ipse commiseris, dum praecipuae observantiae significationibus, tibi exosculans manus, me profiteor..... »

Servum verum

P. Card. CATERINI.

Quinam autem harum literarum successus fuerit, constat ex epistola, quam Episcopus N. ad Emum Card. rescripsit: haec enim inter caetera idem Episcopus enarravit: *Per Archidiaconum huius cathedralis Capituli caput eas litteras recitari iussi; quas cum serio perpendisset Theologus N. venit ad me lugens ac suspirans, rogansque de iis quae a se acta essent absolvi; eum coram tribus Ecclesiasticis viris* (iuxta traditas facultates) *reconciliavi etc.*

Ex quibus colligi potest. I. causam de civili R. Pontificis Principatu, quem a vetustis Ecclesiae temporibus *non sine divinae providentiae miraculo* Romana ecclesia obtinet, causam gravissimam esse et ad universam Ecclesiam pertinentem.

II. Eumque civilem R. Pontificis Principatum non solum convenientem sed necessarium esse ad plenam liberamque explicationem supremae divinitus eidem collatae potestatis in universum orbem, atque ita ab Ecclesia atque Romanis Pontificibus fuisse consideratum, et ab omnibus considerari debere.

III. Quare conatus omnes, quotquot excogitari velint, sive aperte sive subdole adversus eumdem Principatum, aestimari debere sine tergiversatione tamquam conatus ad coercendum supprimendumque exercitium dictae supremae potestatis divinitus collatae (1).

(1) Perbelle Barbosa *De officio et potest. Episcopi, Par.* 1 *tit.* 2 *cap.* 2 defendens Apostolicae Sedis civilem Principatum ab haereticorum illius temporis cavillationibus, antequam eas confutaret, haec scripsit: « Paveant vero adversantes » illud Hilarii *de Trinit. lib.* 4, ubi ita ait: *Hoc Ecclesiae proprium est, ut tunc » vincat cum laeditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur; » dum persequitur floret; dum opprimitur, crescit; dum contemnitur, proficit : » tunc stat cum superari videtur.* Quare et Augustinus *Super Matth.* ait: *Adhuc » habet Ecclesia, quod crescat, donec illud impleatur: Dominabitur a mare » usque ad mare.* Et Cassiodorus *Super psal.* 30: *Ecclesia magis incipiet esse » uberrima, cum ad finem saeculi erit perducta.* »

Digitized by Google

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE.

Ad omnes Episcopos Ecclesiarum Ritus Orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes.

PIUS PP. IX.

« Arcano Divinae Providentiae consilio, licet sine ullis meritis Nostris, in hac sublimi Cathedra haeredes Beatissimi Apostolorum Principis constituti, qui *iuxta praerogativam sibi a Deo concessam firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit* (1), impositi Nobis oneris sollicitudine urgente, ad eos omnes in qualibet terrarum Orbis regione degentes, qui christiano nomine censentur, curas Nostras extendere, omnesque ad paternae caritatis amplexus excitare vehementissime cupimus et conamur. Nec vero absque gravi animae Nostrae periculo partem ullam christiani populi negligere possumus, qui pretiosissimo Salvatoris Nostri sanguine redemptus et sacris baptismi aquis in Dominicum gregem adlectus, omnem sibi vigilantiam Nostram iure deposcit. Itaque cum in omnium procurandam salutem, qui Christum Iesum agnoscunt et adorant, studia omnia cogitationesque Nostras indesinenter conferre debeamus, oculos Nostros ac paternum animum ad istas convertimus Ecclesias, quae olim unitatis vinculo cum hac Apostolica Sede conglutinatae tanta sanctitatis caelestisque doctrinae laude florebant, uberesque divinae gloriae et animarum salutis fructus edebant, nunc vero per nefarias illius artes ac ma-

(1) S. Greg. Nyssen. Laudatio altera S. Steph. Protomart. ap. Galland. VI. 600.

Digitized by Google

chinationes, qui primum schisma excitavit in caelo, a communione Sanctae Romanae Ecclesiae, quae toto Orbe diffusa est, seiunctae ac divisae cum summo Nostro moerore existunt.

»Hac sane de causa iam ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio Vobis pacis caritatisque verba toto cordis affectu loquuti sumus (1). Etsi vero haec Nostra verba optatissimum minime obtinuerint exitum, tamen nunquam Nos deseruit spes fore, ut humiles aeque ac ferventes Nostras preces propitius exaudire dignetur clementissimus ac benignissimus salutis pacisque Auctor, *qui operatus est in medio terrae salutem, quique oriens ex alto pacem sibi acceptam et ab omnibus acceptandam evidenter ostendens, eam in ortu suo Angelorum ministerio bonae voluntatis hominibus nunciavit, et inter homines conversatus verbo docuit, praedicavit exemplo* (2).

»Iam vero cum nuper de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio Oecumenicam Synodum futuro anno Romae celebrandam, ac die octavo mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro incipiendam indixerimus et convocaverimus, vocem Nostram ad Vos rursus dirigimus, et maiore, qua possumus, animi Nostri contentione Vos obsecramus, monemus et obtestamur, ut ad eamdem generalem Synodum convenire velitis, quemadmodum Maiores Vestri convenerunt ad Concilium Lugdunense II. a recol. mem. B. Gregorio X. Praedecessore Nostro habitum, et ad Florentinum Concilium a fel. record. Eugenio IV. item Decessore Nostro celebratum, ut dilectionis antiquae legibus renovatis, et Patrum pace, caelesti illo ac salutari Christi dono quod tempore exaruit, ad vigorem item revocata (3), post longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingratamque caliginem serenum omnibus unionis optatae iubar illucescat (4).

»Atque hic sit iucundissimus benedictionis fructus, quo Christus Iesus nostrum omnium Dominus et Redemptor immaculatam ac dilectissimam Sponsam suam catholicam Ecclesiam con-

(1) Epist. ad Orientales, *In Suprema* die 6 Ianuarii 1848.

(2) Epist. B. Greg. X. ad Michaelem Palaeologum Graec. Imper. die 24 Octobr. an. 1272.

(3) Epist. LXX. al. CCXX. S. Basilii Magni ad S. Damasum Papam.

(4) Defin. S. Oecum. Synodi Florent. in Bulla Eugenii IV. *Laetentur coeli.*

Digitized by Google

soletur, eiusque temperet et abstergat lacrymas in ac asperitate temporum, ut, omni divisione penitus sublata, voces antea discrepantes perfecta spiritus unanimitate collaudent Deum, qui non vult schismata esse in nobis, sed ut idem omnes dicamus et sentiamus Apostoli voce praecepit; immortalesque misericordiarum Patri semper agantur gratiae ab omnibus Sanctis suis, ac praesertim a gloriosissimis illis Ecclesiarum Orientalium antiquis Patribus et Doctoribus, cum de caelo prospiciant instauratam ac redintegratam cum hac Apostolica Sede catholicae veritatis et unitatis centro coniunctionem, quam ipsi in terris viventes omnibus studiis atque indefessis laboribus fovere et magis in dies promovere tum doctrina, tum exemplo curarunt, diffusa in eorum cordibus per Spiritum Sanctum caritate Illius, qui medium maceriae parietem solvit, ac per Sanguinem suum omnia conciliavit et pacavit, qui signum discipulorum suorum in unitate esse voluit, et cuius Oratio ad Patrem porrecta est: Rogo ut omnes unum sint, sicut et Nos unum sumus.

» Datum Romae apud S. Petrum die 8 Septembris anno 1868. Pontificatus Nostri Anno Vicesimotertio. »

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

Ad omnes Protestantes, aliosque acatholicos.

« Iam vos omnes noveritis, Nos licet immerentes ad hanc Petri Cathedram evectos, et iccirco supremo universae catholicae Ecclesiae regimini, et curae ab ipso Christo Domino Nobis divinitus commissae praepositos opportunum existimasse, omnes Venerabiles Fratres totius orbis Episcopos apud Nos vocare, et in Oecumenicum Concilium futuro anno concelebrandum cogere, ut

Digitized by Google

cum eisdem Venerabilibus Fratribus in sollicitudinis Nostrae partem vocatis ea omnia consilia suscipere possimus, quae magis opportuna ac necessaria sint, tum ad dissipandas tot pestiferorum errorum tenebras qui cum summo animarum damno ubique in dies dominantur et debacchantur, tum ad quotidie magis constituendum, et amplificandum in christianis populis vigilantiae Nostrae concreditis verae fidei, iustitiae, veraeque Dei pacis regnum. Ac vehementer confisi arctissimo et amantissimo coniunctionis foedere, quo Nobis, et Apostolicae huic Sedi iidem Venerabiles Fratres mirifice obstricti sunt, qui nunquam intermiserunt omni supremi Nostri Pontificatus tempore splendidissima erga Nos, et eamdem Sedem fidei, amoris, et observantiae testimonia praebere, ea profecto spe nitimur fore, ut veluti praeteritis saeculis alia generalia Concilia, ita etiam praesenti saeculo Concilium hoc Oecumenicum a Nobis indictum uberes, laetissimosque, divina adspirante gratia, fructus emittat pro maiore Dei gloria, ac sempiterna hominum salute.

» Itaque in hanc spem erecti, ac Domini Nostri Iesu Christi, qui pro universi humani generis salute tradidit animam suam, caritate excitati, et compulsi, haud possumus, quin futuri Concilii occasione eos omnes Apostolicis, ac paternis Nostris verbis alloquamur, qui etiamsi eumdem Christum Iesum veluti Redemptorem agnoscant, et in christiano nomine glorientur, tamen veram Christi fidem haud profitentur, neque catholicae Ecclesiae communionem sequuntur. Atque id agimus, ut omni studio et caritate eos vel maxime moneamus, exhortemur, et obsecremus ut serio considerare et animadvertere velint, num ipsi viam ab eodem Christo Domino praescriptam sectentur, quae ad aeternam perducit salutem. Et quidem nemo inficiari, ae dubitare potest, ipsum Christum Iesum, ut humanis omnibus generationibus redemptionis suae fructus applicaret, suam hic in terris supra Petrum unicam aedificasse Ecclesiam, idest unam, sanctam, catholicam, apostolicam, eique necessariam omnem contulisse potestatem, ut integrum inviolatumque custodiretur fidei depositum ac eadem fides omnibus populis, gentibus, nationibus traderetur, ut per baptisma omnes in mysticum suum corpus cooptarentur homines, et in ipsis semper servaretur, ac perficeretur illa nova vita gratiae, sine qua nemo potest unquam aeternam mereri et

Digitized by Google

assequi vitam, utque eadem Ecclesia, quae mysticum suum constituit corpus in sua propria natura semper stabilis et immota usque ad consummationem saeculi permaneret, vigeret, et omnibus filiis suis omnia salutis praesidia suppeditaret. Nunc vero qui accurate consideret, ac meditetur conditionem, in qua versantur variae, et inter se discrepantes religiosae societates seiunctae a catholica Ecclesia, quae a Christo Domino, eiusque Apostolis sine intermissione per legitimos sacros suos Pastores semper exercuit, et in praesentia etiam exercet divinam potestatem sibi ab ipso Domino traditam, vel facile sibi persuadere debebit, neque aliquam peculiarem, neque omnes simul coniunctas ex eisdem societatibus ullo modo constituere, et esse illam unam et catholicam Ecclesiam, quam Christus Dominus aedificavit, constituit, et esse voluit, neque membrum, aut partem eiusdem Ecclesiae ullo modo dici posse, quandoquidem sunt a catholica unitate visibiliter divisae. Cum enim eiusmodi societates careant viva illa, et a Deo constituta auctoritate, quae homines res fidei, morumque disciplinam praesertim docet, eosque dirigit, ac moderatur in iis omnibus, quae ad aeternam salutem pertinent tum societates ipsae in suis doctrinis continenter variarunt, et haec mobilitas, ac instabilitas apud easdem societates nunquam cessat. Quisque vel facile intelligit, et clare aperteque noscit, id vel maxime adversari Ecclesiae a Christo Domino institutae in qua veritas semper stabilis, nullique unquam immutationi obnoxia persistere debet, veluti depositum eidem Ecclesiae traditum integerrime custodiendum, pro cuius custodia Spiritus Sancti praesentia, auxiliumque ipsi Ecclesiae fuit perpetuo promissum. Nemo autem ignorat, ex hisce doctrinarum, et opinionum dissidiis socialia quoque oriri schismata, atque ex his originem habere innumerabiles communiones et sectas, quae cum summo christianae, civilisque reipublicae damno magis in dies propagantur.

» Enimvero quicumque religionem veluti humanae societatis fundamentum cognoscit, non poterit non agnoscere, et fateri quantam in civilem societatem vim eiusmodi principiorum ac religiosarum societatum inter se pugnantium divisio, ac discrepantia exercuerit, et quam vehementer negatio auctoritatis a Deo constitutae ad humani intellectus persuasiones regen-

Digitized by Google

das, atque ad hominum tum in privata, tum in sociali vita actiones dirigendas excitaverit, promoverit et aluerit hos infelicissimos rerum, ac temporum motus, et perturbationes, quibus omnes fere populi miserandum in modum agitantur, et affliguntur.

»Quamobrem ii omnes, *qui Ecclesiae catholicae unitatem et veritatem* non tenent (1), occasionem amplectantur huius Concilii, quo Ecclesia Catholica, cui eorum Maiores adscripti erant, novum intimae unitatis, et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibet argumentum, ac indigentiis eorum cordis respondentes ab eo statu se eripere studeant, in quo de sua propria salute securi esse non possunt. Nec desinant ferventissimas miserationum Domino offerre preces, ut divisionis murum disiiciat, errorum caliginem depellat, eosque ad sinum sanctae Matris Ecclesiae reducat, in qua eorum Maiores salutaria vitae pascua habuere, et in qua solum integra Christi Iesu doctrina servatur, traditur et caelestis gratiae dispensantur mysteria.

» Nos quidem cum ex supremi Apostolici Nostri ministerii officio Nobis ab ipso Christo Domino commisso omnes boni pastoris partes studiosissime explere, et omnes universi terrarum orbis homines paterna caritate prosequi, et amplecti debeamus, tum has Nostras ad omnes christianos a Nobis seiunctos Litteras damus, quibus eos etiam, atque etiam hortamur et obsecramus, ut ad unicum Christi ovile redire festinent; quandoquidem eorum in Christo Iesu salutem ex animo summopere optamus, ac timemus, ne eidem Nostro Iudici ratio a Nobis aliquando sit reddenda, nisi quantum in Nobis est, ipsis ostendamus, et muniamus viam ad eamdem aeternam assequendam salutem. In omni certe oratione et obsecratione cum gratiarum actione nunquam desistimus dies noctesque pro ipsis caelestium luminum, et gratiarum abundantiam ab aeterno animarum Pastore humiliter, enixeque exposcere. Et quoniam vicariam Eius hic in terris licet immerito gerimus operam, iccirco errantium filiorum ad catholicae Ecclesiae reversionem expansis manibus ardentissime expectamus, ut eos in caelestis Patris domum amantissime excipere, et inhexaustis eius thesauris ditare possimus. Etenim ex hoc optatissimo ad veritatis, et communionis cum catholica Ecclesia reditu non solum

(1) S. August. Epist. 61. al. 223.

Digitized by Google

singulorum, sed totius etiam christianae societatis salus maxime pendet, et universus mundus vera pace perfrui non potest, nisi fiat unum ovile, et unus pastor.

» Datum Romae aqud S. Petrum die 13 Septembris 1868. Pontificatus Nostri Anno Vicesimotertio.»

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

REINTEGRATIONIS.

Die 27 Augusti 1864.

Praesentem causam, quae ex indole sua in nostris ephemeridibus locum habere debuisset, omiseramus, quia *extra numerum* agitata fuit (1): sed cum in publicis Galliarum ephemeridibus evulgata maxime sit, ut videre est *Journal de Paris, die* 4 *et* 20 *Maii* 1868; *et Revue critique de législation etc. tom.* 32 *mense Iunio* 1868 et quidem non sine scandalo, ex eo quod adhuc Resolutio non sit exsecutioni mandata, eam synoptice referemus.

Compendium facti. Ioannes Presbyter N. Gallicae nationis, qui ad sacros Ordines promotus fuerat anno 1828, laude exercuit plura paroecialia officia, ita ut ex Vicario-curato meritus sit anno 1855 eligi Parochus conspicuae paroeciae primi ordinis, qui Parochi in Gallia *Cantonaux* appellantur, et distinguuntur ab illis, qui veniunt sub nomine *Desservants,* qui amovibiles sunt.

Circa hoc tempus serpere visi sunt quidam rumores Ioannis famam laedentes super bonis moribus. Sed ab initio est ordiendum.

(1) Causae *in folio,* quae dirimendae proponuntur in S. Congregatione Concilii singulis vicibus sunt numero septem. Quando aliqua causa praeter hunc numerum proponitur, appellatur causa *extra numerum*. Proponuntur autem causae extra numerum ob aliquam extrinsecam rationem, puta ne causa facile evulgetur vel quia reservatione quadam pertractetur.

Digitized by Google

Anno 1840 Ioannes Paulum fratrem suum iuniorem e seminario egressum in sua domo excepit, qui cura eiusdem Ioannis, matrimonio sibi iunxit puellam Agnetem, habuitque ex ea duos filios. Ex actis, quae prae oculis habemus, non videtur fuisse Paulus gravi prudentique iudicio praeditus.

Intra domesticos parietes non defuerunt inter eos fratres aliquae dissensiones, quae tamen respiciebant familiaria bona.

Optare praeterea visus est Paulus a Ioanne abscedere ut cum sua uxore et filiis liber vitam degeret; ideoque exquirere visus est a fratre bona ut congrue cum sua familia vivere posset.

Cum autem Ioannes anno 1854 ex una Vicaria paroeciali ad alteram sit promotus atque translatus, tunc dicitur ortus gravior dissensus ex eo quod Paulus noluerit cum sua familia sequi fratrem suum Ioannem. Persistens vero Paulus in hoc proposito uxorem dereliquit et filios. Eadem uxor et filii sub vigilantia, uti asseritur, auctoritatis ecclesiasticae sequuti sunt Ioannem.

Promotus Ioannes anno 1855 ad conspicuam primi ordinis paroeciam et Parochus constitutus secum etiam tulit eamdem derelictam a fratre familiam. Tunc nonnullae suspiciones subrepere visae sunt super familiaritate Parochi cum Agnete; quod quidem eruitur ex quibusdam epistolis, quas ipse Paulus scripserat fratri natu maiori; namque mense Augusto anno 1855 sic Paulus scripserat: « meum officium est declarandi, inter fra» trem meum (Ioannem) meamque uxorem, nihil intercedere » quod adversetur bonis moribus: haec est mea firma persuasio.» Item in alia epistola ad eumdem fratrem natu maiorem mense Septembri 1856 scripsit: « Si Ioannes insimularetur de inhone» sta vivendi ratione vel eius affinis Agnes, eos defende. »

Caeterum eodem anno 1856 quidam Vicarius-curatus eiusdem paroeciae cui praeerat Ioannes eumdem Ioannem accusavit penes civilem loci auctoritatem de suspecta eiusdem ratione vivendi cum Agnete.

Officialis civilis inquisitione facta et pertractato negotio cum Vicario Generali Curiae ecclesiasticae Parochum absolvit, eumdem amice admonens, ut aures non praeberet calumniis, quas suscitare eius adversarii niterentur, ac paratus esset ad novas aggressiones; cum eius adversarii repressi quidem, sed nullimode victi fuissent.

Digitized by Google

Curia ecclesiastica postea siluit, prout antea siluerat.

Orta deinde est quaedam controversia inter fratres, idest inter Parochum et Paulum super praediolo, quod Parochus uni ex suis nepotibus donaverat: hoc enim praedium sibi iure pertinere Paulus acriter contendebat; sed contrarium a civili Iudice fuit definitum ac Parochus victor evasit.

Interea Ordinarius decessit. Eius successor existimavit rationem habendam esse suspicionum, quae contra mores Parochi motae fuissent.

Eo tandem res devenit ut initio anni 1859 Promotor Fiscalis et Vicarius Generalis quamdam secretam et extraiudicialem inquisitionem super Parochi moribus instituerint. Non deest unum vel alterum documentum extraiudiciale (namque nihil in hac causa pertractatum fuit in forma iudicii) ex quibus, erui posse videtur, Promotorem Fiscalem accessisse ad privatas personas et inopportunis et importunis interrogationibus exegisse quodammodo ut contra Parochum testarentur (1), quamvis id Curia postea negaverit.

Hac peracta inquisitione, Vicarius Generalis anno 1859 primo voce, deinde scripto Parochum hortatus est ad dimittendam e paroeciali domo Agnetem. Die vero 21 Aprilis auctoritate edixit ut eamdem dimitteret. Cum Parochus huic mandato parere differret, die 16 Iunii novas litteras ab eodem Vicario accepit,

(1) Nihil est magis erroneum et reprobandum in inquisitione facienda, quam interrogationes suggestivae, captiosae et importunae ut testes cogantur quodammodo verbis dicere quod animo non cogitent, vel ut ipsis ingerantur ideae, quas Inquisitor sua mente nutriat. Sic in praesenti casu inter caetera Promotor Fiscalis *animi commiseratione* dicitur interrogasse Paulum: *certusne omnino es tu hos filios esse tuos?* (seu Gallice *sont à vous?*) ex qua interrogatione exasperatus quoque Pauli animus devenisse dicitur.

Inquisitiones enim fiunt ac fieri debent ad parandam idoneam materiam ad rectum iudicium ferendum, non autem ad praeveniendum iudicium, et ad captandas probationes praeconcepti iudicii. Prudens ac peritus Inquisitor bene noscit parare idoneam interrogationum telam ut veritas deinde a Iudice erui possit, incipiendo etiam a remotissimis interrogationibus, quas neque persona inquisita neque testes identidem noscunt quo tendant; et plenam imo plenissimam libertatem relinquere debet personis inquisitis aut testibus, ut quod sciant quodque cogitent, et unde sciant et ex qua ratione ita cogitent libere patefaciant; nec non ut libere corrigant si quid minus recte expressisse dicant. Huiusmodi inquisitio sive processus suppeditabit idoneam materiam, cui postea inniti possit Iudex ad recté iudicandum.

Digitized by Google

quibus sub poena privationis facultatum dimittere deberet Agnetem intra praescriptum dierum tempus.

His mandatis Parochus obedit et fratriam suosque nepotes in domum transtulit quam suis impensis conduxit ex adverso positam presbyterio, et Curia quievit.

Duo anni postea elapsi sunt quo tempore etsi Agnes e domo Parochi egressa praeesse tamen rei familiari Parochi perrexerat.

Die 8 Augusti 1861 hoc mandatum e Curia exiit : « Conside-
» rando, quod Parochus, neglectis monitionibus repetitis, rela-
» tiones habeat frequentes cum Agnete uxore fratris sui ; quod
» ex hoc grave scandalum per paroeciam derivet, Parocho probi-
» buimus et prohibemus sub poena suspensionis ipso facto in-
» currendae et sub aliis iuris poenis, ne recipiat penes se Agne-
» tem fratriam neque eam visitet in eius domo, ne relationem
» ullam habeat cum ipsa in quovis alio loco.»

Huiusmodi Decretum iniustum et observatu impossibile reputans Parochus, nec non suae famae laesivum ad Ordinarium accessit et coram audiri expostulavit; sed frustra : namque eiusmodi responsionem recepit: « Si ego te viderem, nihil aliud es-
» sem facturus, quam te excitare ad dimittendam paroeciam;
» sed cum nullimode tu sis ad hoc dispositus petitus congres-
» sus nihil produceret: praeferendum est, ut res semel incoe-
» ptae suam prosequantur viam. »

Suis precibus reiectis, Parochus canonicam inquisitionem et iudicium postulavit; sed frustra: namque Vicarius Generalis respondit: « Auctoritatem dioecesanam satis cognoscere, quid pu-
» blice produxerint relationes tuae cum Agnete sorore fratris
» tui: proindeque intentionem esse firmam auctoritatis dioece-
» sanae, ut tu obedire tenearis sine ulla declaratione indictae
» prohibitioni, quae plenum obtinebit effectum in casu inobe-
» dientiae. »

Tunc Parochus rursus, plurimis collectis testimonialibus literis Parochianorum qui favore eius testabantur, Ordinarium adiit, eumdemque precatus est, ut his perspectis literis, probationes adversus accusationes admitteret : sed rursus repulsam tulit.

Cum autem Parochus sibi suasisset eam prohibitionem esse iniustam, publice fratriam nepotesque invisit atque in sua domo recepit, licet rarius quam antea consueverat. Citatus itaque fuit

Digitized by Google

die 30 Ianuarii 1862 et coram tribunali violationem indictae prohibitionis fassus est, simulque conquestus est de Curia quae calumniis inimicorum credidisset, item de inquisitione praepostere facta, se coram tribunali defendens.

Reiectis rationibus Parochi ab alio Promotore Fiscali, Praeses Tribunalis consilium Parocho dedit, ut debitae submissionis actum scriberet illumque Ordinario traderet. Quod libenter Parochus fecit, atque simul submisse postulavit, ut indicta prohibitio aliqua ratione mitigaretur.

Idem Tribunal, quod illud consilium dederat, iterum comitia habuit die 6 Februarii ad sententiam ferendam: nonnullis enim praehabitis haec edixit: « virtute facultatum quas Sac. » Concilium Trid. Ordinario concedit *cap.* 4 *sess.* 14, invocato » Sancto Dei Nomine declaramus, Ioannem N. in suspensionem » incurrisse: cum autem ipse exercuerit functiones sacri Ordi» nis Irregularitatem contraxisse. » Praeterea iniunctum eidem est, ut absolute prohibitioni indictae se subiiceret et a quolibet actu paroeciali aut sacerdotali exercendo se abstineret donec solutionem a censura et dispensationem ab irregularitate non esset consequutus. Reprehensus insuper graviter est, « quod verbis » usus esset haud convenientibus adversus id quod de eo dispo» situm fuerat, et adversus auctoritatem Vicarii Generalis. »

Illius sententiae vi Parochus depressus, maluit se subiicere, ut quamprimum a censuris liberaretur, quam a prolato iudicio appellare. Quare sequenti die Ordinarium supplex adiit novum emittens *plenae* submissionis actum, deplorans simul quidquid egerit quod submissionem non saperet. Supplices insuper preces ad SSm̃um D. N. ab Ordinario commendatas misit ut super irregularitate contracta dispensaretur; quas preces Sanctissimus Pater propitio Rescripto remisit ad Ordinarium. Sed dilata huius Rescripti exsecutione, Parochus innixus cuidam concessioni stolam gestavit et solemnem cum SSm̃o Sacramento Benedictionem Populo impertitus est; quare iterum petiit die 10 Martii dispensationem ab irregularitate ab Ordinario commendatus, et propitium pariter obtinuit a SSm̃o Rescriptum: tempore huius secundi Rescripti Parochus iam dimiserat e paroecia Agnetem prout promiserat, quae discessit die 28 Februarii eiusdem anni, atque in aliam urbem se transtulit.

Digitized by Google

Attamen Ordinarius facultatibus concessis usus non est. Quin imo die 16 Aprilis Decretum edidit, quo Administratorem paroeciae nominavit « qui unice administrare deberet paroeciam » cum iuribus et emolumentis temporalibus, quae *lex civilis* at» tribuit Ecclesiastico ab Episcopo nominato atque subrogato » in Curam animarum.» Idemque Decretum e suggestu publicari Ordinarius in paroecia mandavit.

Siluit per aliquot dies Parochus, et novum subiectionis et humilitatis actum conscripsit, quem ad Ordinarium mittens exorabat simul ut audiretur: in hoc altero submissionis actu memoria recolebat, se tradidisse literas eidem Ordinario subsignatas sui favore a ducentis conspicuis paroeciae personis.

Ad huiusmodi preces Ordinarius die 23 Maii respondit: « unicum superest medium imponendi finem huic tristi nego» tio... hoc autem esset ut per te dimitteres paroeciam; cum » autem ipse non videaris dispositus, res propriam viam pro» sequi debent. »

Eadem autem die 23 Maii Promotor Fiscalis, cum frustra Parochum ad resignationem paroeciae etiam excitasset, sententiam iam a die 15 eiusdem mensis subscriptam eidem tradidit, qua, praemissis octo animadversionibus Parochus paroecia privabatur.

In hac simplici narratione fortasse Lector iam animadvertit, opus non esse canonica iurisprudentia ad ostendendam nullitatem remotionis; sed satis esse noscere dierum successionem, quibus exposita decreta et respondentes Parochi actus prodierunt. Postquam enim Parochus plene se submisisset editis decretis, e paroecia fuit expoliatus.

Sed tamen ne videamur Parochi defensionem suscipere (nihil enim nostra interest, an pro una vel pro altera parte ratio militet) rationes adducemus, quibus communita est sententia remotionis. Displicet solummodo quod nostras paginas impleant sine utilitate; inservient tamen ad ostendendam iustitiam Resolutionis a S. Sede datae, quae ab illis, qui nimiam fortasse obedientiam a sibi obnoxiis exigunt, exsecutioni adhuc mandata non fuit, ita ut scandalum superveniens ob violatam debitam submissionem Auctoritati Supremae vehementer superaverit scandalum, quod Parocho imputatum est.

Digitized by Google

Haec porro fuit illius Curiae sententia latine fere ad verbum versa, cui nonnulla nostra animadversionis verba interseremus.

I. « Considerando, quod in censu nostrorum episcopalium munerum et officiorum quae sunt inseparabilia *(haec ultima verba sunt superflua)*, nihil gravius sit et essentialius, quam illud tutandi, quantum in nobis est, bonum regimen cuiusvis paroeciae *(tamen iuxta sacrorum canonum mensuram)* dioecesis nostrae, et vigilandi, ut Parochi, quibus credita est animarum salus, sese ostendant in exercitio sancti ministerii fideles legum observatores et Ecclesiae disciplinae, evitando non solum id quod locum dare posset alicui reprehensioni seriae, sed etiam illi omni, quod non satis responderet ideis, quas ostendere debent, dignitatis et excellentiae eorum missionis inter populos.

II. » Considerando, quod in casu contrario, quando praesentia et vivendi ratio alicuius Ministri Religionis exercentis in aliqua paroecia functiones pastorales, potiusquam proficuas, influentias noxias spargant, cuius rei causa ipse (Episcopus) defensor fidelis esse debet, nostrum officium est, postquam infructuose tentaverimus omnia media praeveniendi malum seu apponendi finem *(in praesentia finis iam fuerat impositus per obedientiam Parochi Curiae decretis praestitam)* recurrendi ad unicum remedium, quod possit rumpere cursum, seu ad depositionem regularem Parochi, qui forte in his adiunctis reperiretur.

III. » Considerando, quod paroecia N. primi ordinis, quam a septem abhinc annis rexit Ioannes, multum passa sit, praesertim in ultimis quatuor annis quoad rationes gravissimas sub adspectu diverso mox consideratas, praesentiae presbyterio paroeciae N. et modi essendi cuiusdam personae affinis Parocho, quam hic antea penes se habebat cum esset Vicarius, *(sed id temporis reprehensione dignus Parochus habitus non fuit)* quamque conservavit in sua habitatione in paroecia N. cum persistentia deplorabilissima, idque, ratione habita conditionis huius personae, quae virum habebat, sed cum eo non amplius vivebat, produxit publice impressiones indolis fastidiosissimae, *(hoc fastidium constat creatum fuisse Curiae, non autem constat creatum fuisse fidelibus)* quae reflexae sunt in personam pastoris paroeciae in eius aestimationis detrimentum iugiter auctum, et eius ministerii.

Digitized by Google

IV. » Considerando, quod admonitiones repetitae factae Ioanni praesertim post annum 1859, ut separaretur a persona de qua agitur, manserint sine effectu *(hoc non est omnino verum ; nam effectum habuerunt iuxta primi mandati tenorem)* sicut etiam formales iniunctiones quae sequutae sunt sub comminatione censurarum, ita ut declarari tandem debuit ab Ordine et ab Officio suspensus die 6 Februarii. *(Hic habetur quaedam confusio: nam elapsis duobus annis a primo mandato, per novi mandati transgressionem Parochus declaratus est, incidisse in censuras. In sequenti* Considerando *non dicitur nova res sed quid egerit Parochus dicitur post primum mandatum separationis, quod ostendit mandatum illud non mansisse sine effectu.)*

V. » Considerando, quod ratione habita illius quod praecedit, et poenae censurae, qua irretitus est Ioannes, difficultates positionis non amplius integrae, auctae sint in scandalum paroeciae et in detrimentum rerum spectabilissimarum *(verba nimis generica),* quamvis tandem in extremis, mulier affinis Ioanni Presbiterium dereliquerit, sed ut habitaret domum ex adverso positam illi quam inhabitat Parochus, usque dum ipsa recenter domicilium transtulit in aliam urbem N. *(sed hoc non fuit delictum; immo fuit exsecutio plenissima mandati quae depositionem Parochi nullam apertissime reddit.)*

VI. » Considerando, quod una ex consequentiis, quarum ratione haec positio reperta est singillatim implexa, illa est, quod necessarium fuerit Romam recurrere prima vice die 7 Februarii, et altera vice die 10 Martii sequentis, ut facultates speciales obtinerentur, *(magnum incommodum! Est res digna ut inter causas removendi Parochum innueretur!)* ad absolvendum virum ecclesiasticum de quo agitur, *non quidem* a suspensione, qua fuit percussus die 6 Februarii 1862, cum haec potestas ad Ordinarium pertineat, *(maxime intererat id animadvertere! cave ne S. Sedes falcem ponat in messem alienam!),* sed a poena irregularitatis, quam incurrunt Clerici, quando suspensionem violant, quemadmodum id accidit Ioanni, quae reservata est Summo Pontifici, quin tamen, ob culpam Ioannis *(quaenam sit haec posterior culpa ignoratur; ita appellari certe non possunt humillimi subiectionis actus, et plena exsecutio praescriptionis)* possibile fuerit eidem applicare gratiam obtentam tum prima tunc secunda

Digitized by Google

vice: ex quo resultabat inevitabiliter productio indefinita status deplorabilis rerum in paroecia N. Hinc Ioannes ligatus irregularitate manens *(causa Curiae; quae fortasse contra suum officium, exsecutioni non mandavit dispensationem super irregularitate)* et privatus omni exercitio ordinis et iurisdictionis.

VII. » Considerando, quod, ratione habita excessus ad quem malum pervenerat, nulla spes aut experimentum supererat rei melioris, et res quoad Nos fuit absolutae necessitatis *(fortasse dicitur,* quoad Nos; *quia haec absoluta necessitas fuit abscondita in mente Curiae, cum extra non appareat)* dandi regimen paroeciae N. cuidam Sacerdoti administratori, ut ita consuleret indigentiis populi et imminueret, quantum possibile esset, prosequutionem huius acervi funestarum circumstantiarum: quod fecimus die 16 ultimi mensis cum ordinatione transmissa die sequenti 17 Aprilis Suae Excellentiae Ministro Cultus *(hoc nullum creavit incommodum: agebatur enim de actu subiectionis in re ecclesiastica Laico viro)* patefacta eodem die Clero paroeciae, membris Consilii Fabricae, eidem Ioanni, et publicata ex suggestu seu publice lecta coram fidelibus in ecclesia paroeciali coadunatis. *(Eiusmodi triumphalis solemnitas sine dubio actum Curiae iustum reddidit, si fortasse iniustus fuisset; et ideo heic indicandus!)*

VIII. » Considerando, quod in huiusmodi adiunctis, et in dispositionibus quae factae sint, quaeque etiam fieri possunt in moderamine in re tractanda, in patientia, a qua nunquam et voluissemus et abscedere vellemus *(magnum aequitatis et misericordiae desiderium!)* impossibile est non cognoscere, quod Ioannes non posset rehabilitari in sua paroecia N. et iterum constitui in suo officio deinceps in quibusdam conditionibus, quae sperare facerent pro paroecia et Religione aliquod bonum per eius praesentiam *nec* non ex functionibus ecclesiasticis cuius exercitium reassumeret. *(Idest, impossibile est non cognoscere, quod si Curia Parochum iterum in suo officio constitueret, se ipsam accusaret rei non recte gestae. Sed humanis commodis praevalere iustitia debet).*

» Visis titulis et documentis relativis huius negotii *(qui tamen tituli et documenta S. Sedi non fuerunt transmissa, quia non aderant, ut postea dictum est, vel fortasse, quia non merita sunt ostendi).*

Digitized by Google

» Invocato Sancto Dei nomine (*tamquam iustitiae teste*) et audito nostro Consilio, mandavimus et mandamus id quod sequitur:

1° » Paroecia N. declaratur vacans *per depositionem*, quam nos facimus et pronunciamus, Ioannis, qui eius titularis erat a mense Iunio 1855.

2° » N. N. nominatus administrator dictae paroeciae nostro mandato diei 16 Aprilis suum servabit officium, usque ad constitutionem novi Parochi cuius nominatio a nobis fiet et supponetur *gratae annuentiae Imperatoris*.

3° » Praesens mandatum simul cum documentis et titulis canonici processus (!!) transmittentur Suae Excellentiae Ministro Cultus (*hic minister videtur esse suprema ecclesiastica auctoritas!*) ut ipsum mandatum, postquam transmissum erit gratae annuentiae Imperatoris ac sancitum cum imperiali decreto, *suum plenum et integrum obtineat effectum.*»

Hac Parochus accepta sententia recurrit ad Consilium Status ut nullas redderet *abusus causa* dispositiones episcopales, quae eius examini essent expositae, nec non ut adhaerere Consilium recusaret sententiae depositionis. Duos libellos typis edidit, quo recursum illum defendit quoad iura temporalia; plene noscens quoad alia in Decretis contenta nonnisi ad Romanum Pontificem appellare se debere.

Die vero 11 Augusti 1862 supplices preces obtulit SSmo Patri, quibus suam agendi rationem excusans: *ita ut adeo caute et canonice se gesserit, ut ne quidem usque modo ad Consilium Status pro iuribus temporalibus primus recurrerit, nolens sibi imputari* (praeclare!) *quod ad saeculares diverterit, spreta Ecclesiae iurisdictione*, postulavit, ut hac in causa delegarentur a SSmo ecclesiastici iudices.

Decessit interea Ordinarius, ideoque preces remissae fuerunt novo Antistiti cum quo S. Sedes egit, ut pacifice res componi possent: scilicet ut novus Antistes acta examinaret, et si sententia depositionis iuri ecclesiastico minus conformis videretur, Parochum in eamdem, vel saltem in paroeciam eiusdem dignitatis et redditus restitueret, si vero bene iudicatum existimaret, acta processualia ad S. Congregationem transmitteret: novus autem Antistes respondere censuit: «Si S. Sedes in sua sa-

Digitized by Google

» pientia existimet causam non suscipere, tum Ioannis nil aliud » facere debet quam pure et simpliciter se meae dispositioni » committere, et tunc ego finem negotio imponam, eo iustiori » et opportuniori modo, quo iudicabo: si contra S. Sedes ad- » mittat recursum atque causam suscipiat iudicandam, meum » est officium expectandi eius definitivum iudicium, et dirigendi » pro eius sententia rationem agendi quoad Ioannem... Quoad » revocationem a me sponte faciendam dispositionum Praedeces- » soris, omnia motiva me dissuadent.»

Sed cum nullum transmisisset Antistes Processum iterum S. Sedes ut illum Antistes transmitteret quaesivit, ac simul patefaceret consilium quod ipse proponere Ioanni cogitaret, ut S. Sedes negotium finire posset sine detrimento iustitiae et Curiae decoris.

Antistes reposuit, opinionem cleri et populorum generatim Ioanni adversari: suam esse opinionem, non posse Ioannem in paroeciam restitui sine gravi inconvenientia, eiusque praesentiam in ea paroecia eventuram esse deplorabilem et funestam: super natura accusationum et merito processus se non iudicare, cum causa transmissa esset ad S. Sedem: quoad consilium suum, se nihil dicere ne praeiudicaretur S. Sedis iudicium, seque expectare iudicium illud, *ut in sua positione se collocaret.*

Cum itaque S. Congregationis mandata suo frustrata essent effectu; SS̃mus Pater expresse iussit a Curia transmitti ad S. Congregationem acta processualia. Antistes ad SS̃mum Patrem litteras misit, quibus petiit, ut Parochus ab appellatione ad Consilium Status desisteret cum haec appellatio iuri canonico contraria esset, ob quam in censuras incurrisset; et tamquam subditum, sibi Superiori, non se Superiorem illi subdito facere propositiones debere: protestatus autem est idem Antistes, se permanere in rigore iurium suorum seque defendere debere honorem defuncti Antistitis; ideoque se expectare dumtaxat mandata *praecisa et formalia,* quibus tamquam filius obediret.

Rescriptum itaque fuit Antistiti (in irritum cessa quavis amicabili negotii pertractatione), quaestionem ad tramites iuris esse cognoscendam; ideoque sine mora acta processus transmitteret, et S. Congregationem rationem esse habituram recursus

Digitized by Google

Ioannis ad laicam potestatem, rem ita pertractaturam, ut, *salva iustitia,* Curiae decori et Religionis bono consuleret.

Antistes rescribens, duo folia transmisit, in quorum uno refutabat, ea quae Parochus S. Congregationi exposuerat saepe assertiones assertionibus Parochi opponens: in altero adduxit, documenta officialia, quae iam exposita erant a Parocho.

Sed cum haec non sufficerent, iterum rogatus Antistes est ut omnia cuiuscumque generis documenta ad rem facientia, praesertim depositiones testium, quas delegatus a Curia ad inquisitionem faciendam collegerit, transmitteret.

Sed cum frustra plures menses praeterlapsi essent, et dissimulari non posset sapientis illius Curiae studium esse ut longius quo fieri posset res protraheretur ut Parochi vires frangerentur, qui a quindecim fere mensibus Romam venerat, re ad SSmum Patrem delata, determinatum fuit tempus, quo causa in plena Congregatione ventilata esset: tum iterum Antistes rogatus rescripsit, *negotium de quo agitur pertractatum non fuisse rigorosa ratione et iuridica: se dedisse huius rei plures rationes: haec sufficere debere ad explicandum, quomodo documenta quae petantur non existant, et quomodo ea non transmiserit.*

Cum haec sit causae totius substantia a disceptatione referenda abstinemus; honore enim laesus penes Curiam fuerat Parochus prout asseritur: Curia ad decreta contra Parochum devenit. De eorum decretorum merito non est amplius disceptandum, cum Parochus iisdem se plene submisisset.

Dubium.

« An sit locus reintegrationi ad paroeciam, ita ut et in qua » summa sit locus restitutioni fructuum et emolumentorum; seu » potius sustineatur poena privationis in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 27 Augusti 1864, causa discussa, respondere censuit: *Decretum privationis paroeciae non sustineri: stare tamen in suo robore suspensionem ab Officio et Beneficio a Curia inflictam, a qua suspensione Parochus praeviis spiritualibus exercitiis per decem dies in aliqua domo religiosa* (ab Ordinario) *designanda peragendis, ab eodem* (Ordinario) *relevetur.*

Digitized by Google

Ex audientia SSmi diei 29 Augusti 1864.

« Facta relatione per infr. Pro-Secretarium, SSmus Resolutio-
» nem Sacrae Congregationis approbare et confirmare dignatus est,
» ac facultates necessarias, quatenus opus sit, *(Ordinario)* imper-
» titus est ad hoc, ut eumdem Parochum a suspensione ac irregu-
» laritate quomodolibet incursis absolvere ac dispensare valeat.»

Ex quibus satis colligi potest.

I. Multo facilius in iudicio sustineri posse inflictam suspensionis poenam sive ab Officio sive etiam a Beneficio, quam poena privationis paroeciae.

II. Ad privandum propria paroecia Parochum, qui inamovibilis dicatur, necessariam esse canonicam causam et canonicam formam.

III. In praesenti casu apertissime erratum fuisse saltem in forma canonica, cum Parochus paroecia fuerit privatus, postquam causam quamlibet remotionis repulerit.

IV. Denique colliges: in illis regionibus, in quibus anomalum viget ius, quo civilia gubernia, tamquam Apostolica Dataria, stipendia Clericis conferunt, nullimode eadem Gubernia posse ac debere de causis Clericorum iudicare.

V. Neque eos a censuris excusari, qui ad eiusmodi Gubernia civilia causas ecclesiasticas deferant, ut competens ecclesiastica auctoritas ad quam sit appellandum declinetur, vel ut eius auctoritatis decreta frustrentur (1).

(1) Non erat reprehendendus Parochus si ad Consilium Status recurrit ad suspendendam civilem, ut aiunt, Decretorum Curiae exsecutionem: namque ad id quodammodo impellebatur ne eius conditio deterior evaderet; reprehendendus quidem erat si, spreta auctoritate ecclesiastica, appellavisset ad Consilium Status ut illud iudicaret de causae iustitia, quodcumque sit nomen, quo eiusmodi appellatio vocitetur, ut ea est quam in Gallia dicunt *ab abusu.*

Sed quid iuris si, causa a S. Sede definita, imploretur laica auctoritas praetextu civilium legum ne Resolutio exsecutioni mandetur? Quid si id eo animo fieri videatur, quasi vero ius appellationis ad S. Sedem esset denegandum? Et tamen publicae ephemerides haec evenisse narrant, ita ut Parochus adhuc non fuerit in suo officio constitutus. Quod quidem esset singulare factum illam Curiam dumtaxat denigrans in conspectu aliarum Galliae Curiarum, quae apprime verbis et factis noscunt quanta sit Apostolica Beati Petri auctoritas, quae tota in eius heredes ex constitutione Divina transmissa est et transmittetur, quaeque tantum patet, quantum oves Christi Domini et agni; tanta potentia fulget, ut quidquid in terra solvat solutum in caelis sit censendum. Confer etiam quae de recursu ad laicam potestatem scripsimus in *vol. I. pag.* 567.

Digitized by Google

Die 1 Februarii et 18 Iulii 1868.

Summaria precum. In regione N. vetustissima adest Collegiata ecclesia, sub titulo S. Mariae, quae a saeculo XVI. in renovatione urbis eiusdem regionis extra moenia mansit, a qua ducentis passibus distat atque in imo insalubrique loco posita. Altera fuit aedificata ecclesia intra eamdem urbem, sub invocatione S. Laurentii Martyris quae paroecialis est et filialis dictae Collegiatae ecclesiae.

Septem sunt Canonici eiusdem Collegiatae. Cum non sine gravi incommodo et valetudinis periculo Canonici in eo vetusto templo divina officia peragerent, cumque nemo fere fidelium templum illud conveniret, et e converso paroecialo templum frequentaretur in quo multa SS. Martyrum corpora quiescunt, Capitulum anno 1824 temporaneum indultum Apostolicum obtinuit explendi choralia officia et onera anniversaria Missarum in filiali ecclesia S. Laurentii a die 1 Novembris ad integrum mensem Februarium, exceptis tantum Sabbatis, in quibus Missa Conventualis in vetusta ecclesia celebrari deberet, nisi forte dies Sabbati festivus esset.

Haec Apostolicae Sedis indulgentia pluries in posterum fuit repetita.

Cessante fere tempore ultimi indulti obtenti, anno 1864, Capitulum institit (prout alia vice, quamvis frustra, fecerat) ut nova et amplior et perpetua gratia concederetur, rogans ut divina officia perpetuo celebrari possent in ecclesia S. Laurentii in maxima anni parte. Eiusmodi preces, quas favore prosecutus erat Vicarius Capitularis sede vacante, non alium habuerunt effectum, quam gratiam prorogationis prioris indulti ad aliud decennium: hoc enim exiit Rescriptum: *Pro gratia prorogationis ad aliud decennium ad formam praecedentis Indulti, in reliquis, Relatum.*

At die 20 Maii 1867 novas Canonici admoverunt preces enucleatius quoque referentes rerum adiuncta: namque ecclesia S. Mariae non solum hyemali tempore, sed etiam aestivo, non-

Digitized by Google

nisi cum gravissimo incommodo adiri poterat, ita ut duo medici retulerint de periculo valetudinis cui obnoxii essent Canonici si dictis temporibus in templo illo diurnas horas persolverent: unde non raro eveniebat ut perexiguus esset Canonicorum numerus sive ob aegritudinem, sive ob distantiam, sive etiam quod Prior Capituli in paroeciali ecclesia S. Laurentii suo munere fungi teneretur, ita ut divina officia non eo, quo par est, decore peragerentur.

Alias insuper graves causas Canonici exponebant, quod scilicet in eo vetusto templo nullum exerceri poterat ministerium fidelibus, qui non aderant, neque S. Eucharistia asservabatur, ne Confessionalia quidem extabant: cum e converso omnia praesto essent in ecclesia S. Laurentii.

Rogatus est de more huius dioecesis Archiepiscopus, qui haec retulit: « Tribus fere ab hinc annis ipsi Canonici nova » edocti experientia ac urgentiori coacti necessitate supplicem » libellum exhibuerunt... Rationes quas adducunt in examen » vocavi, nec latum quidem unguem a veritate absonas esse » agnovi... Quare, ut ecclesiae Collegiatae debitus honor conci- » lietur, cum populi et Capituli utilitate ac necessitate, orato- » rum vota favorabiliter excipienda esse arbitror et enixe depre- » cor, ita tamen ut ipsi divina officia et legatorum onera in » ecclesia S. Laurentii valeant obire a die 1 Iulii ad totum men- » sem Augusti, et a die 1 Novembris ad integrum Aprilem sub- » sequentis anni; reliquis vero mensibus in Collegiata implere » teneantur, in qua insuper quolibet die Sabbati, qui festivus » non fuerit, Conventualis Missa celebranda erit, nec non agenda » de more solemnitas Annunciationis B. M. V. et eiusdem As- » sumptionis supplicatio incipienda, addita lege, ut in hoc po- » stremo festo per integros octo dies post divina officia de sero » adstante Capitulo, sacra functio in honorem Bmae Virginis so- » lemniter fiat in ecclesia S. Laurentii. »

His expositis atque nonnullis ex officio animadversis, quas infra referam, preces propositae fuerunt die 1 Februarii 1868 S. Congregationi, a qua Rescriptum prodiit: *Dilata; et scribatur Episcopo iuxta mentem.* Mens S. Congregationis fuerat ut Emus Archiepiscopus magis praecise referret super oneribus Missarum, legatorum, anniversariorum sacrarumque functionum, quae ab

Digitized by Google

Ecclesia S. Mariae ad S. Laurentii transferendae essent: quinam redditus cuique Praebendae inesset: an chorale servitium quotidie ageretur, et utrum incolae penes veterem ecclesiam inhabitarent.

His omnibus satis faciens Emūs Archiepiscopus, tabellam onerum transmisit, ex qua erui visum est universa onera annuatim adimplenda in ecclesia S. Mariae esse triginta anniversaria, et Missas lectas tres et trecentas. Ex his decem anniversaria celebrabantur certis anni diebus infra octo menses, atque infra illos octo menses, in quibus officiaturae translatio efflagitata est; caetera vero ad libitum vel reliquis quatuor mensibus remissa.

Missas vero centum et octo celebrandas esse ad libitum infra annum: reliquas stata die in hebdomada vel in mense dispertitas reperiri, ita ut plurimae inciderent in dictos octo menses. Praeter haec, non aliae visae sunt adesse in S. Mariae functiones sacrae. Quae de more fierent tum die Annunciationis, tum Assumptionis sub indulto non cadebant.

Transmisit praeterea idem Emūs Archiepiscopus singulos Praebendarum status, qui in sacra Visitatione exhiberi solent, ex quibus eruebatur, Prioralis Praebendae redditum ab omni onere solutos ascendere ad scut. 238; caeterarum vero scut. 100 attingere.

Chori servitium ad dies festos tantum, retulit, coerceri: prope vero ecclesiam S. Mariae habitantes deesse, nec esse posse etiam ob aeris inclementiam et loci squallorem.

Animadversiones ex officio. — Animadversum scilicet inter caetera est, quoties in facto intercesserit necessitas vel evidens ecclesiae utilitas, onerum translationem indulgere consuevisse S. Cong. ut in *Bononien.* 28 Iunii 1724 in *Comen. Translationis Missarum* die 24 Novemb. 1764: praesertim vero si nec divini cultus detrimentum, nec populi incommodum pertimescendum esset, ut in *Leodien. Reductionis et Translationis* die 24 Maii 1823, et in *Lunen. Sarzanen. Reductionis* die 17 Septembris 1831 §. *Ex*.

Verumtamen caute semper processisse S. Congregationem in translationibus indulgendis, ut in *Montis Alti Absolutionis Reduct. et Translationis* die 21 Iulii 1832; praesertim cum in ecclesia, ex qua transferendae sint Missae, corpora testatorum, quibus

parentandum est, sepulcro condita fuerint. Hac de causa Missarum translationem denegasse S. C. in *Lucana Reductionis et Translationis* die 4 Decembris 1833.

Quod si Emi Patres annuendum esse censuissent Canonicorum et Archiepiscopi votis, consultum iam esse veteri ecclesiae, ne omnino deserta maneret, iuxta Trid. *in Sess. 21 c. 7 de Refor.*

Itaque precibus repropositis die 18 Iulii 1868, S. Congregatio rescripsit: *Pro gratia iuxta Votum Emi Archiepiscopi, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Ad ecclesiastica officia, quae in designato templo peragi debeant et a longaevo tempore peracta fuerint, in aliud templum transferenda, requiri graves causas et Apostolicam veniam.

II. Eiusmodi causas reduci ad necessitatem et evidentem Ecclesiae utilitatem, quae sunt canonicae universalesque causae ad aliquam immutationem inducendam in rebus ecclesiasticis rite statutis.

III. In immutatione quacumque facienda, curandum esse quammaxime, ut tantum immutetur quantum necessitas aut evidens ecclesiae utilitas cum minori detrimento rei immutatae exigere prudenter videatur.

IV. Ratio enim postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. *Conc. Trid. sess.* 25 *de Ref. c.* 5, neque testatorum fundatorumque voluntates defraudentur.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

SALTEN.

Die 26 Septembris 1868.

Decretum. « Rmus Dominus Bonaventura Rizo Episcopus Salten. Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod - Altaria Ecclesiarum dioeceseos sibi commissae in quibus Feria V. in Coena Domini SSmum Eucharistiae sacramentum asservatur perpulchre quidem ornari soleant, attamen absque statuis, imaginibus aliisque repraesentationibus. Verum Regulares Missionarii Ordinis Seraphici Sancti Francisci in hac civitate a duobus vel tribus annis statuas et alia similia ponere coeperunt in hunc modum, videlicet: Passionis Dominicae aliquas scenas repraesentant, imagines et statuas de novo absque Episcopi approbatione collocant, imo etiam hoc praesenti anno imaginem Domini Nostri Iesu Christi in horto orantis, et Angelum ipsum confortantem posuerunt, ita tamen ut, positis genibus manibus ad coelum extensis, tunica aperta et pectore discooperto et denudato appareat, nulla habita ratione narrationis Evangelistarum, nempe, S. Matth. *cap.* XXVI. *v.* 32 *usque ad* 47; S. Luc. *cap.* XXII. *v.* 41 *usque ad* 47; S. Marc. *cap.* XIV. *v.* 35 *usque ad* 43; S. Ioan. *cap.* XVIII. *v.* 4 *et seq.*, unde accidit, ut quidam litteralis narrationis S. Evangelii veracitatem alteri cuidam libro postponerent, quod mirum non est in hisce regionibus, in quibus Bibliorum studium non multum curatur.

» Iudas etiam apparebat ad Dominum accedens cum cohorte in actu ipso orationis et confortationis, Apostolorum dormientium statutis longius apparentibus, ut si Dominum in actu orationis repente invenisset, quod procul dubio textui evangelico contradicit, cum iuxta ipsum, Dominus Iesus, postquam oravit, discipulis annuntiaverit proditoris adventum, et processerit Iudae et cohorti in occursum. Porro, haec omnia fidem in Evangelium et litteralem SS. Evangelistarum narrationem minime servant, sed potius contradicunt, cum plures, prout repraesentatum est, et non prout narratur in Evangelio, accidisse crediderint.

Digitized by Google

» Accedit, quod SSmum Sacramentum sub talibus statuis et arborum picturis, in quadam parvae speluncae specie et super plano presbyterii collocatum sit, quin collocaretur, nec collocari possit super altare et super eo sex candelabra etc. iuxta praescriptum Caeremon. Episcoporum *l.* 2 *c.* 23 *n.* 2 et Rubric. Missal. dicta Feria V. in Coena Domini. Super dictam etiam speluncae speciem, et super SSmum Sacramentum laicus quidam conventus continuo ascendebat et deambulabat, lampades, quae erant coram statuis, curandi gratia, coram populo circumstante.

» Praeterea populus magis ad statuas et picturas, quam ad SSmum Sacramentum attendit, et plurimae irreverentiae locum habent in hisce repraesentationibus, quae etiam usque post sanctum diem Paschae asservantur.—

» Attentis expositis et scandalis, quae occasione huiusmodi repraesentationum vitari non possunt, ab eadem Sacra Congregatione humillime postulavit solutionem sequentium dubiorum.

I. « Utrum huiusmodi repraesentationes in sacello, in quo Feria V. maioris hebdomadae reponi debet altera Hostia consecrata, tolerari possint.

II. » Et quatenus negative ad primum: an Regulares ab Episcopo coerceri possint ad huiusmodi repraesentationes non faciendas.

» Quum autem haec dubia super quibus votum suum typis cusum exaravit alter ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris in Ordinariis Sacrorum Rituum comitiis, hodierna die ad Vaticanum habitis, retulisset Emus et Rmus D. Cardinalis Aloisius Bilio huius Causae Ponens constitutus, Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuerunt:

« Ad I. *Usum expositum esse contrarium Caeremoniali Episcoporum et Rubricis Missalis Romani, et in casu de quo agitur Episcopus curet illum eliminari etiam auctoritate Sacrae Rituum Congregationis.*

» Ad II. *Provisum in primo.* Atque ita rescripserunt die 26 Septembris 1868. »

Animadversiones Consultoris.

Quoad primum dubium, constare inquiebat Consultor, feria V. in Coena Domini ideo augustissimum Christi corpus in

Digitized by Google

quadam capsula reconditum asservatum fuisse, ut Sacerdos sequente feria VI. Missam Praesantificatorum peragens communicaret: namque a quarto saltem saeculo tum occidentalis tum orientalis ecclesia a Sacramento conficiendo ea feria abstinuit, quae iccirco a Scriptoribus ecclesiasticis dicta fuit dies aliturgicus.

Hanc autem fuisse rationem ob quam sacra Hostia asservaretur, ostendebat ex vetustis Sacramentariis; sic enim Sacramentarium Gelasianum: *Non faciunt pacem, sed communicant et reservant de ipso Sacrificio in crastinum unde communicent.* Item Ordo Romanus primus omnium antiquissimus: *Pontifex venit ante altare, et communicat omnis populus ordine suo et servat de Sancta usque in crastinum.*

Inquiebat autem lapsu temporis hunc diem iamdiu a veteribus *Calicis natalem* appellatum celebrari impensius coepisse praesertim saeculo XI. occasione haeresis Berengarii realem Christi Domini praesentiam in Eucharistia impugnantis: et Romanum Ordinem, qui saeculo XI. exaratus perhibetur, haec commemorare: *Pontifex in sua Sede communicat illos, qui communicare volunt. Reservantur tamen oblatae integrae de Corpore Domini in die Parasceve.... Sed antequam Pontifex revertatur ad altare ad complendam Missam, iunior Presbyterorum Cardinalium portet Corpus Domini positum in pyxide ad locum praeparatum, praecedentibus cum cruce et luminaribus et papilione desuper etc.* Saeculo XIV. Fr. Petrum Amelium Episcopum Senogalliensem et Sacrarii Pontificii Praefectum qui plenius coeremonias collegit, quibus Romani Pontifices eo saeculo sacras functiones tum Avenione tum Romae celebrare consueverunt, ita de *Die Iovis Sancta* scripsisse: *Postquam Dominus Papa intrat ad sacrificandum conficit duas Hostias unam pro se et aliam pro die Veneris... Percepto Corpore et Sanguine D. N. I. C. cum calice et sine calamo... antequam abluat manus in magnis bacilibus, ipse Papa vel Episcopus Cardinalis qui servit sibi in Missa, praedictum calicem cum Corpore Christi sic coopertum portat ad armariolum in quo conservatus usque in crastinum, antecedentibus luminaribus, cruce et incenso processionaliter cum devotione, quo reposito genuflexus thurificet Corpus Christi, quo facto revertitur ad altare.*

Haec similibus documentis confirmabat Consultor. Quod si in nonnullis occidentalibus ecclesiis, quae propria uterentur li-

Digitized by Google

turgia, ut in Moguntina, Suessionensi, Baiocensi, Sarisberiensi, etiam ad significandam Christi Domini sepulturam eiusdem Corpus servarent, id tamen peculiari ritu factum fuisse omnino distinctum ab eo de quo agimus; testabatur enim Consultor in illis ecclesiis feria V. tres consecratas fuisse Hostias, quarum unam consumptam fuisse in Missa, alteram consumptam sequenti die; tertiam vero post Vesperas feriae VI. inclusam fuisse cum Cruce in monumento usque ad diem Sanctum Paschae.

Hisce animadversis, ad aperiendam rei de qua agimus originem, adnotabat Consultor a saeculo XVI. ritus Cappellae Pontificiae moderari iuxta Caeremoniale S. R. E. ab Augustino Patrizi Senensi, Episcopo Pientino et Sedis Apostolicae caeremoniarum Magistro exaratum; reliquas vero dioeceses sequi teneri Coeremoniale Episcoporum et Rubricas Missalis Romani. Dictum autem Caeremoniale de feria V. in Coena Domini nn. 2. 3. 13. haec praescribere: *Praeparandum igitur ornandumque erit aliquod sacellum intra ecclesiam, quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post Missam huius diei recondendum SSm̃um Sacramentum et in altare cum sex candelabris ac cereis. Praeparetur etiam baldachinum album perpulchrum, thuribula duo cum navicula velum unum parvum pro Sacramento, alterum magnum et amplum, quod circa humeros Episcopi ponetur dum sacramentum portabit: et ambo haec vel sint serica vel aureata aut pulcherrime ornata: calix item amplior et pulchrior caeteris ubi sacratissima Hostia reponetur: fanalia seu candelae cerae albae in numero sufficienti pro Canonicis et Clericis: item duae Hostiae consecrandae etc. Episcopus accipiet paramenta alba.... intrat sub baldachinum portans SSm̃um Sacramentum devote, Canonici parati cum intorticiis praecedunt ordine solito: cum pervenerint ad Sacellum, ubi Sacramentum deponi debet, relinquitur extra illud baldachinum et Cantores in cantu pio et devoto cantant* O salutaris Hostia etc. *vel* Tantum ergo Sacramentum, *donec Sacramentum fuerit per Episcopum repositum et incensatum.* » Eadem praescribi in Missali Romano: *Hodie Sacerdos consecrat duas hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti... Hodie paratur locus aptus in aliqua cappella ecclesiae vel altari decenter, quoad fieri possit ornetur cum velis et luminibus...* »

Quare concludebat, Ecclesiam in praesenti liturgica disciplina non immutasse scopum et formam repositionis de qua agimus, sed ut Novatorum saeculi XVI. perversos ausus retunderet atque fideles magis magisque ad recolendum eximium Redemptoris nostri beneficium, hoc Sacramentum ea ipsa die instituentis, excitaret, locum repositionis intra templi parietes statuendum, magnificentissime exornandum et publicae adorationi exponendum esse praescripsisse.

Hisce praemissis, haec sua sponte consequi adnotabat 1° non alia de causa asservatum fuisse SSm̃um Christi Domini corpus quam ut Sacerdos communicaret in sequente aliturgico die; 2° pompa solemnissima eiusmodi asservationem factam deinde esse ad SSm̃i huius Sacramenti institutionem ea die ulterius celebrandam.

Cum autem illa a vetustis temporibus fuerit Ecclesiae sententia, nimis recedere eos omnes, observabat, qui eiusmodi Sacramenti asservationem considerent atque peragant tanquam repraesentativam sepulturae Dominicae: eosdemque, ordinem SS. Functionum perturbare, ita ut ipsimet fideles merito sibi persuadere identidem non possint quomodo Ecclesia sepulturam priusquam Christi Servatoris mortem commemoret.

Quare S. R. Congregationem in *Lauden*. diei 21 Ianuarii 1662 prohibuisse quominus Feria V. *obtegeretur Cappella pannis lugubribus;* et in *Narnien*. ad dubia: utrum posset apponi sigillum in ostiolo ubi reconditur SSm̃um Sacramentum: et utrum ipso recondito cantari possit antiphona *Sepulto Domino*, respondisse die 7 Decembris 1844 ad utrumque *negative*. Edixisse pariter in *Albens*. die 8 Augusti 1835 non licere *in altari velum album apponere quod e magna cruce descendens Eucharistiam cooperiret*.

Neque aliter sentiisse Rubricarum interpretes, Catalanum, Gavanto, Cavalieri, Bisso et Bauldry, qui quamcumque scenicam repraesentationem, luctus moestitiaeque signa a sacello repositionis excludunt.

Praxim insuper esse Pontificii Sacelli et ecclesiarum Patriarchalium Urbis ut nonnisi aulaeis, floribus, candelis ex cera alba, aliisque pretiosis ornamentis parentur.

Post haec non esse consideratione habenda, animadvertit Consultor, ea quae obiiciuntur desumpta ex vulgari appellatione

Digitized by Google

Sepulcri, et ex more satis servato apponendi in sacello repositionis crucem aliaque Dominicae Passionis symbola: primum enim opponi legibus liturgicis: secundum non omnino pervertere Ecclesiae observantiam, si symbola Passionis ita intelligantur ut significetur, eadem ipsa die qua Servator seipsum in cibum et potum dedit, tortores eidem tormenta crucemque parasse.

At vero Minoritis non licere opinatus est Consultor ex adductis sacellum parare feria V. ea forma, quam descripserat Episcopus: eo vel magis, quod id non solum adversaretur expositis, sed etiam Ordini Coeremoniali eorumdem Minoritarum qui eadem fere praescribit, quae Coeremonialis Episcoporum et Rubrica Missalis.

Quoad secundum dubium animadvertebat Consultor pastoralis sollicitudinis esse sedulo invigilare, ut adamussim rituales leges serventur: Synodum Trid. *sess.* 21 *c.* 8 *de Ref.* edixisse: *Quaecumque ad Dei cultum spectant ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum esse.* Nec secus S. R. Congregationem in *Mexicana* diei 4 Aprilis 1620 decrevisse: *Archiepiscopum pro sua prudentia providere debere, ut abusus circa ritus et coeremonias ecclesiasticas introducti iuxta eiusdem Caeremonialis praescriptum corrigantur.* Et in *Nuscan.* diei 9 Iunii 1668 rescripsisse: *Ad Episcopum spectare tollere abusus, si qui obrepserunt in ecclesiis Regularium.*

Verum cum Doctores non plene inter se conveniant super qualitate abusuum quos Episcopus in ecclesiis Regularium rescindere possit, cumque S. Congregatio exsecutionem cuiusque huius generis Decreti Episcopis committere soleat, ab hac quaestione pertractanda Consultor abstinuit.

Ex quibus colligi potest:

I. Repositionem augustissimae Hostiae Feria V. in Coena Domini, ex sua primaeva institutione, nullam peculiarem significationem praesetulisse: eamdemque Hostiam repositam esse ut asservaretur pro sequente aliturgico die.

II. Lapsu temporis eamdem sacratissimae Hostiae repositionem et asservationem maiori extrinseca pompa fuisse celebratam ad tanti Sacramenti institutionem etiam atque etiam recolendam.

Digitized by Google

III. Etsi fidelis populus, huius ritus originem et indolem ignorans, illis dulcissimae Passionis memoriae diebus, sua veluti sponte feratur in considerationem Dominicae sepulturae; officium tamen esse Cleri ea omnia symbola in hac asservatione removendi, quae eamdem sepulturam contra Ecclesiae institutionem adsignificarent (1).

(1) Sacrae functiones eorum dierum indole sua passionem Dominicam in mentem fidelium complexive revocant: unde nihil facilius, quam fideles per eam asservationem insueto modo factam et ex sese idoneam ad significandam directe Dominicam sepulturam, eamdem ita considerent et appellent; id etiam Romae frequentari videmus. In qua re nullum adest erroris periculum, saltem in regionibus catholicis: exurgit dumtaxat in populo rudiori quaedam idearum confusio, qui sibi explicari non potest quomodo Ecclesia prius sepulturam, quam mortem Domini consideret, sed praeterea nihil.

Tamen cum non sit Ecclesiae intentio per eam asservationem considerare directe Dominicam sepulturam, ut ex indicatis legibus liturgicis patet, non licet Clericis adversus eiusmodi intentionem et leges eam repositionem ita celebrare, ut sequantur fidelium potius pietatem quam liturgicum Ecclesiae ordinem.

Dixi periculum erroris non esse saltem in regionibus catholicis: namque sciunt fideles, quadam veluti ingenita consuetudine, ritus et solemnitates mysteriorum in suo complexu exprimere quidem catholica dogmata et ecclesiae fidem aut veritates quas profitetur, non autem per se singulos ritus actus seorsim sumptos considerandos semper esse tamquam expressiones accuratas alicuius fidei dogmatis aut veritatis catholicae, maxime vero si de temporis successione agatur. Quare in quaestione proposita generatim considerata nihil aliud obstare videtur praeter liturgicam Ecclesiae legem, quae tamen plus quam satis est ut repraesentationes huiusmodi sepulturam Dominicam praeseferentes publice in ecclesia factae eliminentur. In praesenti insuper casu, iuxta Episcopi expositionem, non est mihi dubium, Episcopum ipsum iure etiam proprio potuisse eas repraesentationes in ecclesia Regularium factas eliminare, cum Tridentina dispositio *sess.* 25 *de Regul. in Decreto de Invocatione etc.* hos casus consideraverit.

Digitized by Google

VINDOBONEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS.

VEN. SERVI DEI

CLEMENTIS MARIAE HOFBAUER

Sacer. Professi e Congregatione SSm̃i Redemptoris ac propagatoris insignis eiusdem Congregationis ultra montes.

Causa prosequitur Ven. Servi Dei Clementis Hofbauer. De eius causae introductione egimus in *Vol. II. pag*: 465 ubi vitam Servi Dei delineavimus et nonnulla inter caetera, quae disceptata fuerunt, adduximus. Item in *Vol. III. pag.* 266, de secundo huius Causae actu egimus qui versatur *super non cultu.*

Tertio causa redit atque agitur de processu, auctoritate Apostolica constructo super fama Sanctitatis, Virtutum et Miraculorum in genere.

Ad instantiam Causae Postulatoris Rm̃i P. Brixi Queloz, ut SSm̃us Dominus Noster dignaretur dare Litteras Remissoriales ad construendum in Civitate Vindobonensi dictum processum Apostolicum, eiusmodi Litterae datae sunt Em̃o Archiepiscopo Vindobonensi cum facultate eligendi, loco Vicarii Generalis qui in hoc negotio versari non poterat, Rm̃um D. Dominicum Mayer Episcopum Cisamensem, et loco quatuor Canonicorum Ecclesiae Metropolitanae alios Sacerdotes dignos, doctrina et morum gravitate conspicuos, sive saeculares essent sive Regulares, ita tamen ut si aliquis Regularis eligeretur non esset ex Congregatione ad quam pertinuit Ven. D. S.

Adiectae insuper sunt conditiones ut Em̃us Archiepiscopus cum Cisamensi Episcopo vel eorum unus cum duobus ex quatuor electis Viris, vel utroque impedito, iidem quatuor viri singulis actis coniunctim assisterent et praescripto termino unius anni a die praesentationis Litterarum computandi dicta inquisitio absolveretur.

Citatus insuper fuit R. P. D. Sanctae Fidei Promotor Petrus Minetti coram Em̃o Card. De Reisach causa Relatore ad dicendum

Digitized by Google

contra dictam Commissionem et successive contra positiones et articulos in actis datos, ad videndum illas et illos etc. ad testes super iisdem inducendos, ad exsequendas Litteras Remissoriales, ad concordandum de iudicibus antedictis termino et locis, locorumque locis et Portitore, ad dandum interrogatoria in iisdem Litteris includenda ad constituendum aliquem seu aliquos Fidei Subpromotores per actum Notarii et Cancellarii, qui in Civitate Vindobonensi commode citari possint, ac Processui et examinibus Testium interessent, alias videndum dictos testes examinari sine dictis Interrogatoriis etc.

Inde omnibus rite peractis Litterae datae sunt ab Emo Card. Patrizi S. C. SS. RR. Praefecto quibus forma accuratissime sub canonicis poenis servanda in processu Vindobonae construendo praescripta est, ac delegati fuerunt a S. Fidei Promotore duo praestantissimi Ecclesiastici viri qui officium Subpromotorum Vindobonae agerent.

Constructo processu tam Iudices delegati quam Subpromotores ad S. C. SS. RR. rescripserunt (1), et processu Romam transmisso, Causa agi coepit iuxta morem.

(1) Haec est praeclarissima epistola, quam subscripti Iudices delegati ad S. C. SS. RR. miserunt: « Emi et Rmi Domini. Divina favente gratia Processum in causa Venerabilis Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer,... super fama Sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere, Apostolica Auctoritate Vindobonae construendum intra designati temporis terminum absolvimus. Prontissima erga Sanctissimam Sedem Apostolicam et Sacrorum Rituum Congregationem obedientia repleti, Literarum Remissorialium praescripta aliave ad Causam spectantia in omnibus et singulis religiosa qua decet mente exsequi contendimus; si tamen in aliquo nos deliquisse contigit, humillimo corde veniam precamur, ne peritiae defectus causae cedat in praeiudicium. Omnibus Sessionibus praeerant Iudices praescripto modo iurati, et quidem a secunda ad decimam nonam usque, quae est processus penultima, Episcopus Cisamensis una cum duobus Sacerdotibus per Eminentissimum ac Reverendissimum Cardinalem Archiepiscopum Vindobonensem electis. Sessiones semper in in loco sacro, in prima Sessione designato, habitae sunt, et interfuit semper alter Fidei Sub-Promotorum, debito modo iuratorum. Testes foribus clausis, primo super Interrogatoriis et dein super Articulis examinati sunt, eorumque depositionibus nullus interfuit, nisi supradicti Iudices, alter Sub-Promotorum ac Notarius Actuarius specialiter deputatus et iuratus, qui testium depositiones idiomate germanico quo factae sunt, in scriptis redegit. Tam testium depositiones, quam Interrogatoria semper clausa et sigillis Iudicum obsignata fuerunt ita ut in actu examinis tantum aperirentur, et in fine cuiuslibet examinis iterum clauderentur et sigillo munirentur. Acta Processus originalis debito modo publici iuris facta, per duos Amanuenses, iuramento ad munus fideliter

Digitized by Google

Orator Informationem concinnavit, ostendens primo adamussim servatam fuisse praescriptam formam in construendo processu; secundo ex dictis testium ostendit praeclaram realemque Sanctitatis famam Ven. Servi Dei.

Disceptatio synoptica.

ANIMADVERSIONES FIDEI PROMOTORIS. — Fidei Promotor, qui ex proprio officio omnia debet hisce in causis perscrutari, ac animadversiones facere, nihil animadvertendum reperire potuit su-

exercendum obstrictos, transcripta sunt, et copia hoc modo exarata per Notarium Actuarium et Notarium Adiunctum ex praecepto iuratum tanta diligentia cum Autographo collata est, ut Notarii et Iudices testari et confirmare potuerint. Exemplum ad singula verba concordare cum Autographo. Persoluta Sessione vicesima, quae est totius Processus ultima, Copia a Iudicibus delegatis propria manu subscripta, sigillis munita, et in publicam authenticamque formam redacta ad modum per Literas Remissoriales praescriptum, et tandem clausa, obsignata et Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Vindobonensis sigillo pluribus in locis ab extra communita, Portitori specialiter deputato et iurato tradita est, ut per illum ad Sacram Rituum Congregationem deferatur, Acta autem Processus originalia in Archivio Archiepiscopali Vindobonensi asservantur sub sigillis in perpetuam rei memoriam. Testes quod attinet, in Causa octo sunt examinati, et quidem sex a Causae Postulatore inducti, duo vero ex officio vocati; repraesentant statum laicalem et clericalem huncque tam saecularem quam religiosum, et exceptis teste sexto et septimo Venerabilem Servum Dei coram noverunt. Omnes ad examen praestandum paratos sese et promptos exhibuerunt, nulla laborant infamiae macula, vivunt sub obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae, et tanta morum probitate conspicui sunt, ut de sincerissma eorum voluntate, nonnisvera dicendi, dubitare non liceat. Deposuerunt omnes aperte et simpliciter, sine haesitatione et dubietate, sicut qui peri suasum sibi habent, quod deponunt, ita ut eorum depositiones omnem fidem mereantur. Iudices quoque subscripti ex propria, quam acquisiverunt scientia testari possunt et confirmare, Venerabilis Servi Dei famam, de qua agitur, hisce diebus vigere apud omnes, qui illum coram noverunt aliosque quamplurimos, rei catholicae ex corde addictos, de sanctitate vitae, virtutibus heroicis et suffragiis Venerabilis Servi Dei miraculose operantibus delectantes, et enixis precibus efflagitantes, ut Ecclesia Sancta Catholica et Apostolica, gravibus in diebus nostris afflicta miseriis, novum obtineat gloriae augmentum novumque fidei romano-catholicae et fortitudinis apostolicae exemplar et patronum.

» Eminentissimorum et Reverendissimorum Dominorum purpuram humillime osculamur. Vindobonae die decima nona Februarii anno millesimo octingentesimo sexagesimo octavo. Eminentiarum Vestrarum

» Humillimi, devotissimi et obsequentissimi Servi,

» Dominicus Mayer Episcopus Cisamensis Iudex delegatus-Ioannes Schwetz Iudex delegatus-Rudolphus Koller Iudex delegatus.»

per Inquisitione a Iudicibus delegatis Vindobonae peracta; immo has laudes iisdem tribuere prorsus insuetas coactus est: « Duo » sunt disquisitionis huiusce capita. Primum inquisitionis ratio» nem et legitimas formas ac prope dixerim faciem respicit; » aliud intimam vim seu documenta, quibus fama constet, » quam nunc potissime investigamus. De primo capite animad» versio sileat necesse est, cum Emus Archiepiscopus Vindobo» nensis aliique delegati Iudices tanta sedulitate ac studio rei » perficiendae vacaverint, ut nihil ingesserint a iure devium, » nihil omiserint, quod ab eo requiratur. Maximis itaque laudibus » cumulandi, et summopere optandum, ut Inquisitiones omnes » hoc pacto fiant caeterisque isthaec exemplo sit. »

Paucas nec magni momenti animadversiones facere potuit Promotor super Sanctitatis fama, considerans testium depositiones; inter caetera autem haec animadvertit: etsi sanctimoniae fama pollere dicatur Ven. Dei Servus ac in omnes fere orbis plagas diffusa, eius tamen famae diffusionis causam testes repetere ex studio eiusdem discipulorum; de qua re testis I. sic deposuit: *Eius discipuli Congregationem SSmi Redemptoris in regiones remotas propagaverunt... ubique etiam laudem Patris V. S. D. diffuderunt... Ipsorum quoque studio Ven. Dei Famuli exuviae anno* 1862 *in ecclesia Congregationis SS. Redemptoris Vindobonae depositae sunt ac translatio isthaec solemnissima fuit.* Hisce adde, ait Promotor, recentis V. S. D. sepulchri faciem, opus, materiam et continuum ornatum, quae omnia in templo fiunt, quod Venerabilis ipsius Servi Dei alumni accolunt, et in quo sacris funguntur officiis. Qua de re prae oculis habenda generalia Decreta Urbani VIII. quibus ita elicitur: *Magnopere etiam considerari debet... ut exploretur in loco ubi mortuus fuerit vel requiescit ille pro quo petitur Canonizatio, si ad praesens fuerit et vigeat communis reputatio et fama sanctitatis et unde ortum habuerit: an sponte... an vero arte et diligentia humana procuretur id exhiberi, quod non procuratum non exhiberetur.*

Quid regereret causae orator. — Orator huic animadversioni eleganter sic reposuit: « Luculentissimo huius famae splendore percitus universalem eam esse atque in omnes fere orbis plagas diffusam candide fatetur Censor. Nihilominus gravitatem atque amplitudinem huius facti nobilissimi extenuare adnititur, in-

quiens, illud acceptum referendum esse studio et sermonibus discipulorum Servi Dei, qui eius nomen una cum Congregatione SSmi Redemptoris in regiones dissitas propagaverunt. Nescio equidem, an Imperatores duo, Ferdinandus et Franciscus Iosephus, nec non Carolina Augusta aliique principes complures et S. R. E. Cardinales, qui vel datis litteris vel testimonio exhibito de hac fama testati sunt, cum de causa introducenda ageretur, Ligoriano Instituto nomen dederint unquam; sed hoc omitto. Hoc unum dicam, non recte ad famam universalem transferri, quod de locali celebritate sapientissime Urbanus VIII. inquirendum edixit. Nam quod discipuli cuiusdam pauperis Presbyteri (quem vere Sanctum non fuisse supponis) artificio suo potuerint annis quinquaginta in aliquo loco famam et celebritatem fictitiam adstruere et servare, id potest fieri, et non inepta erit inquisitio. At cum fama omnes orbis plagas pervagari potuerit, et credulos ubique auditores reperire, iam quaestio de adhibitis artificiis puerilis evadit. Si minora licet cum maioribus comparare, hoc perfugium ad artem humanam, in specie proposita, redolet imprudentiam incredulorum, qui diffusionem nominis et doctrinae Christi in omnes plagas orbis facillime explicari dicunt ex arte, studio et industria discipulorum. Caeci non vident, in hoc adamussim maximum rei momentum ac miraculum constare quod in omnem terram exierit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum. » Sic Orator.

Sed praeterea non negavit Orator Congregationem SSmi Redemptoris in propaganda fama Sanctitatis V. S. D. partem aliquam habuisse; filios enim bonos parentem optimum etiam post mortem laudibus et honoribus ornare par est. Veruntamen praefracte negavit nonnisi per alumnos Congregationis famam Ven. S. D. fuisse servatam et late diffusam. Idque probavit Orator ex ipsis testibus, qui Congregationi Ligorianae non addicti, quorum plures in locis degebant ubi nullum habent collegae Servi Dei domicilium, de fama Sanctitatis testati sunt et ex propria persuasione et scientia; de qua re sic Testis II. *Depositionibus meis hucusque factis plene probasse mihi videor, famam Sanctitatis, Virtutum heroicarum et gratiarum supernaturalium, qua gaudet Ven. S. D., minime ex fonte impuro artificiose ortam fuisse, sed originem naturalem ducere ex Sancta vita et operibus Ven. Servi Dei.*

Et Testis IV. sic deposuit: *Certum est, Ven. Servum Dei hodie adhuc in summis honoribus haberi, et id quidem propter persuasionem de eius sanctitate, quam non solum personae infimae conditionis, sed etiam altioris ordinis, cultae et eruditae de eo habent.*

Dubium.

« An constet de validitate et Relevantia processus Apostolici Vindobonae constructi super fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praefati V. S. D. in casu et ad effectum de quo agitur.»

Resolutio. — Sacra Congregatio SS. RR. causa discussa die 26 Septembris 1868 respondere censuit: *Affirmative.*

Ex quibus colliges:

I. In causis Servorum Dei per ingentes accuratosque labores ordinarii processus et reliquorum quae ex praescripto in Romana Curia consequi debent pro causae introductione, nihil fere videri gestum.

II. Tum causam revera incipere, cum Apostolica Auctoritas eam sibi pertractandam assumit, et propria auctoritate processum iterum construit remque per suos delegatos omnibus solemnitatibus adhibitis pertractare incipit.

III. Quamvis Sancta Sedes plerumque reliquas causas summarie et oeconomice iudicet, rei dumtaxat veritate ex documentis exhibitis inspecta; attamen, cum de causis Servorum Dei agitur, rigorosissimum processum in quovis iudicio ferendo exigere omnibus praescriptis solemnitatibus munitum.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

SUPER PERTINENTIA PRETII.

Die 6 Martii 1868.

Compendium facti. In instituenda via ferrea in regione N., contigit ut, ea intersecare deberet nonnullos fundos ecclesiasticos, quorum unum possidebat Canonicus Poenitentiarius A. alterum Canonicus Theologus B.

Fundus praesertim Poenitentiarii partim planus erat partim montosus: et ea pars, quae montosa erat, lapidibus, arena tofo etc. coalescebat. Cum autem Institores viae ferreae hisce mineralibus materiis indigerent, per magnas effossiones partem illam montosam solo fere aequarunt eas asportantes materias. Ex hac opera fundus non factus est deterior; quin imo fertilior erat evasurus.

Cum autem dicti Institores omnia pecuniâ compensaverint, idest sectionem pro transitu viae ferreae, damna fundis illata, nec non materiam mineralem submotam, quaestio orta est circa pretium huius materiae, an illud pertineret ad Beneficium vel potius ad Beneficiarium; namque de reliquis nulla quaestio.

Disceptatio synoptica.

Ea quae favore Poenitentiarii deducta sunt. — Canonicus Poenitentiarius contendens pretium illud sibi Beneficii possessori pertinere non autem Beneficio; proposuit S. Congregationi Votum cuiusdam Iurisconsulti, qui haec deducebat.

Totam quaestionem pendere inquit a consideratione, utrum eiusmodi materia mineralis submota atque venumdata recenseri deberet inter Beneficii fructus vel secus: si enim inter fructus recensenda esset Poenitentiario pretium illud pertinuisset.

Ut autem illud ostenderet, rem totam hac ratiocinatione perstringebat: Beneficiarius est usufructuarius suae Praebendae: ad usufructuarium pertinet quidquid ex fundo percipi potest sine detrimento fundi: ergo etc.

Digitized by Google

Maiorem propositionem huius sillogismi demonstratione non indigere inquiens, totam orationem Iurisconsultus convertit ad minorem propositionem, quam sic ostendebat.

Ususfructus natura iam determinata est in iure, et in *l.* 9 *ff. de usufr. et quemad.* sic legitur: « *Item si fundi ususfructus sit legatus, quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius fructus est, sic tamen ut boni viri arbitratu utatur* §. 1. *Et si apes in eo fundo sint, earum quoque ususfructus ad eum pertinet. Si et si lapidicinas habeat et lapidem cedere velit, vel cretifodinas habeat, vel arenas, omnibus iis usurum Sabinus ait, quasi bonum patremfamilias. Quam sententiam puto veram.* »

Neque obiici posse, inquiebat, eiusmodi legem protendi non posse ad fundos, qui eiusmodi lapidicinas vel cretifodinas non habeant, sed in illis novae instituantur: nam usufructuarium suum facere quidquid ex fundo et ex fundi rebus percipi potest dummodo agricolturae non noceat, eamdemque legem haec pariter considerare cum sic prosequatur: « *Sed et si haec metalla post usumfructum legatum sint inventa, cum totius agri relinquatur ususfructus, non partium, continentur legato.* »

Nec minus claram esse legem 5 *ff. eod. tit.* « *Inde est quaesitum, an lapidicinas, vel arenifodinas, vel cretifodinas ipse* (usufructuarius) *instituere possit? Et ego puto etiam ipsum instituere posse, si non agri partem necessariam huic rei occupaturus est. Proinde venas quoque lapidicinarum et huiusmodi metallorum inquirere poterit. Ergo et auri et argenti et sulphuris et aeris et ferri et caeterorum fodinas, vel quas paterfamilias instituit exercere poterit, vel ipse instituere si nihil agricolturae nocebit.* »

Quas quidem leges per se claras sic illustrat Voet ad *pand. lib.* 7. *tit.* 1. *n.* 24. « Metalla autem et cretam et arenam et lapides quod attinet, ita ius est, ut etiam cedant usufructuario fundi; non tamen omnia, nec modo eodem: aut enim iam ruta vel caesa erant eo tempore, quo primitus nascebatur ius ususfructus, aut contra. Si iam tum ruta erant atque caesa ex fundo fuerint, nullum omnino ius usufructuario fundi in istis quaesitum videri potest, etiamsi nondum ex fundo aut fodinis educta sint; cum eo ipso quo a solo separata sunt caedendo aut eruendo, desierunt pars soli esse, ac ne emptori quidem fundi cedere debeant etc. Si vero nondum ruta aut caesa sint, sed naturaliter

cohaereant, *in fructu ea esse responsum est*, sive fodinae hae metalli, lapidis, cretae, similiumve ante usumfructum acquisitum inventae fuerint, *sive demum usufructu iam constituto detectae appareant*... Nam et fodinas quas paterfamilias proprietarius iam instituerat exercere potest fructuarius et venas.... inquirere... ac *ipse instituere* si nihil agricolturae noceat.»

Quaestionem praeterea movit idem Iurisconsultus, quam Auctores pertractant, idest, quid iuris si fodinae denuo repertae aut institutae fundum deteriorem reddant? Hanc quaestionem resolvit auctoritate Doctorum, Garziae *tract. de Expens. et meliorum c.* 22 *n.* 47. ubi scripsit: « Alter casus est, ut etiamsi lapidicinae, salinae, minerae, metalla, cretae, arenae, auri, argentive fodinae *non sint antiquae, sed denuo repertae,* si id quod percipitur renascatur, plane ad fructuarium pertinet, vassallum, emphyteutam, Praelatum, possessorem maioratus et fructuum conductorem, quia is fructus est qui renasci solet *l. fin. ff. de fund. dot*.... Tertius casus est, si talis sit lapidicina,...ut ex ea effossum... non renascatur; tunc quidem in emphyteuta, vassallo, marito, Praelato, Episcopo, Rectore et in aliis id genus possessoribus, qui dominium *(utile)* obtinent, ad quod non solum fructus, verum proventiones et emolumenta, commodaque pertinent, dicendum est marmora illa effossa et reliqua metalla etiam non renascentia *ad eos pertinere,* qui tamen expensas de suo facient, *et si fundum fecerint peiorem de damno tenebuntur* ... In fructuario igitur recipiendam esse tertiam conclusionem existimamus.... Unde ex dicta lege *Item si fundi,* et *l. Usufructo legato,* iuncta *l. Aequissimum,* fructuarius *facit suos, lapides, arenam, cretam, aurum et argentum* etiamsi non renascatur, si utatur boni viri arbitratu, quod interpretamur ex dicta lege *Aequissimum,* idest *si fundus melior fiat,* quantumvis lapides excavet, quantumvis formam fundi mutet, si fundo prosit mutatio illa: quod si deteriorem fecerit, tunc de damno tenetur, et excavata, educta et effossa restituet ex dictis legibus, ita sentit Paulus de Castro etc.» Idem docet Castillo *de Usufr. c.* 37 *n.* 7 *et seq.*

Porro, prosequebatur Iurisconsultus, agricolturae peritos in praesenti themate testari, effossiones factas meliorem reddidisse fundum, cum pars fundi montosa et sterilis aequata solo fuerit, quaeque per supervenientes cretae stratus fertilis esset evasura.

Digitized by Google

Nec posse comparari, inquiebat Iurisconsultus, praesentem casum, cum sylva vel arboribus haud caeduis, quae in fundo sint. Namque arbores non caeduas tanquam fundos considerari ex quibus fructus percipiantur; et ideo caesionem harum arborum in fructu non esse, iuxta *leg.* 7 §. 12 *ff. Solut. matr.* « *Si fundum viro uxor in dotem dederit, isque inde arbores deciderit... Puto autem si arbores caeduae fuerunt, vel gremiales, dici oportet in fructu cedere: sin minus, quasi deteriorem fundum fecerit maritus, tenebitur.* » Haec tamen locum non habere in praesenti themate, cum agatur de fundi parte arenacea et petrosa, in qua, si arenae deductio in fructu non sit, in nulla alia re fructus posset consistere.

Nec dici posse in praesenti themate de novo fructu agi praeter consuetos fundi fructus; namque et id considerasse Romanas leges superius adductas, in quibus quaesitum reperiri de novis fodinis institutis in fundo qui fortasse ad agricolturam sit destinatus, unde rationem dubitandi ortam videri.

Neque praesentem casum posse confundi cum thesauro in fundo reperto; cum thesaurus pars fundi non sit: eumque iuxta *l.* 31 §. *ff. de Acquir. rer. dom.* ita describi: *est vetus quaedam repositio pecuniae, cuius non extat memoria, ut iam dominum non habeat.*

Concludebat autem Iurisconsultus praesentem disceptationem allegando auctoritatem Barbosae *solut. Matr. L. Divortio* §. *Si Vir* in qua de expensis reficiendis agitur ab eo, qui excavationes eiusmodi instituerit.

Animadversiones ex officio. — Nonnullae animadversiones prout moris est factae sunt in contrarium: animadversum scilicet est, etsi Beneficiarius in multis aequiparetur usufructuario; non tamen in omnibus, de qua re eumdem Castillo e contrario allegatum ita tradere *De Usufr. c.* 79 *n.* 8.« Sed neque de iure com» muni praedicta aequiparatio usufructuarii et Beneficiarii vide» tur secura, quoniam fructuarius libere de illis (fructibus) » disponit, ut certissimum est, Beneficiatus vero alio et diverso » iure. »

Item excavationem de qua agimus comparatam omnino fuisse cum fodinis, quae quidem fundi destinationem immutant: in praesentia tamen, fundum non immutasse destinationem, sed ex

Digitized by Google

accidentali causa partes fundi sectas fuisse, ex quo dicitur etiam fundus melior factus.

Eiusmodi iccirco accidentalem sectionem materiei melius fortasse comparari posse invento in fundo thesauro, qui dicitur *fortunae donum,* quae si ita comparetur, pretium non ad Beneficiarium, sed in Beneficii utilitatem esse investiendum. De qua re duae recolebantur Resolutiones S. C. C. idest in *Praenestina* 17 Decembris 1796, in qua agebatur de statuis magni valoris repertis in fundis canonicalibus spectantibus ad Massam seu ad mensam Canonicorum antiquae erectionis: Canonici huius antiquae Massae sibi diviserunt pretium ex venditione harum statuarum. Propositis deinde dubiis: I. «An sit locus restitutioni » pretii simulacrorum de quibus agitur in casu: et quatenus affir» mative: an, quomodo, et cuius favore idem pretium sit inve» stiendum in casu:» S. C. C. respondit: ad I. *Affirmative et ad cautelam Canonici Massae antiquae consulant conscientiae suae, et amplius:* ad II. *Affirmative favore Massae antiquae; et ad Emum Episcopum pro executione, et amplius.*

Item in Romana diei 28 Ianuarii 1834, cum Canonici Lateranenses indicia habuerint in fundo Capituli quaedam monumenta magni valoris recondita iacere, excavatione facta et monumentis repertis, proposuerunt S. C. C. dubia: « An et cuius favore » constet de pertinentia ex integro vel ex parte summae retra» ctae ex venditione monumentorum in casu: » quibus S. C. respondit: *affirmative favore Mensae capitularis ex integro.*

Et reapse, cum thesaurus dici non possit *in fructu esse,* pertinere non debere ad fructuarium seu Beneficiarium: item cum excavatio de quibus agimus, in fructu esse dici non possit; quin imo, cum pars sit etiam eiusdem fundi, in fundi eiusdem utilitatem convertendam videri, quemadmodum pretium partium fundi ecclesiastici venditarum ut via ferrea aperiatur, in utilitatem fundi sit investiendum, prout decisum fuit in *Hortana* et *Verulana Emphyteusis*. Quas causas exposuimus in *Vol. III p.* 518 harum ephemeridum.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium.

« An, quomodo, et ad quem pertineat pretium in casu.»

Resolutio. — S. Congregatio Episcoporum et Regularium re discussa die 6 Maii 1868 respondere censuit: *Pecuniam solutam*

Digitized by Google

in pretium magnae et extraordinariae effossionis lapidum, arenae et cretae spectare Beneficio et investiendam esse, et ad mentem.

Mens autem S. C. fuit, ut quoad Canonicum Poenitentiarium, data eidem indemnitate pro expensis factis et pro amissione fructuum naturalium, investienda essent tantum scutata sexcenta praeter scut. 25: 13: iam deposita: quo vero ad Canonicum Theologum, Episcopo pro taxanda summa investimenti iuxta normas superius expositas.

Ex quibus colliges:

I. Quamvis Beneficiarius in multis aequiparari possit ac debeat usufructuario, non tamen aequiparari posse in omnibus.

II. Fundos ad usufructuarium dari veluti ad dominum, qui tantum in sui commodum utilitatemque percipiat, quantum percipere possit, deteriori saltem non reddita fundi conditione: ad Beneficiarium autem dari ad honestam sui sustentationem: quare eumdem non eodem gradu iure utendi fruendique gaudere.

III. Hinc pretium ex magna et extraordinaria excavatione partis fundi, quae per accidens fundum meliorem reddat, licet fortasse ad usufructuarium pertineret, non tamen pertinere pari iure posse ad Beneficiarium: ideoque in utilitatem Beneficii eiusdem esse investiendum.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

URBIS

« Decretum. In constitutionibus Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Romae editis anno 1825 ad lucrandum privilegium *Sabbatinum* appellatum pro adscriptis Sodalitati eiusdem tituli habetur – *Litteras habentes Officium saltem parvum B. M. Virginis quotidie recitare* – et in libello instructionis anno 1840 in urbe impresso reperitur – *Qui sciunt legere tenentur recitare horas canonicas in*

Digitized by Google

officio magno vel parvo - Ex parte itaque Rmi Procuratoris Generalis Congregationis SSmi Redemptoris suppliciter S. Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum proposita sunt resolvenda sequentia dubia.

I.» Num Confratres S. Scapularis valentes officium recitare, teneantur saltem ad parvum B. V. officium persolvendum pro assequenda Indulgentia Sabbatina?

II. » Num officium parvum recitandum sit, secundum ritum Romanum?

III. » Num dictum officium parvum quotidie sit recitandum?

IV. » Num totum officium parvum quotidie sit recitandum, vel unum Nocturnum cum Laudibus?

» Emi PP. in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Iulii 1868, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis respondendum esse duxerunt:

Ad I. *Affirmative, exceptis iis qui iam tenentur ad recitationem Divini officii.*

Ad II. *Affirmative, nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum.*

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. *Recitandum esse Nocturnum diei cum laudibus et caeteras horas eiusdem officii.*

» Et facta de praemissis relatione Ssmo D. N. Pio PP. IX. a me infrascripto Card. Praefecto in Audientia habita die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua Resolutionem S. Congregationis ratam habuit.

» Datum Romae ex Secretaria. eiusdem S. Congregationis die et anno ut supra.

A. Card. Bizzarri Praefect.

A. Colombo Secretarius.

Animadversiones Consultoris.

Consultor, qui erat Religiosus Ordinis Carmelitici, antequam suam opinionem manifestaret, haec consideravit: inter alia privilegia, quibus Beata Virgo Ordinem Carmeliticum insignivit, et illud maximum reperiri, quo opem se promiserit praestituram Confratrum animabus igne piaculari detentis primo Sabbato post eorum obitum; hinc Sabbatinum privilegium fuisse appellatum,

Digitized by Google

atque Constitutionem Ioannis XXII de hac re agentem, Bullam Sabbatinam fuisse appellatam: in eadem Constitutione, cuius contenta privilegia confirmarunt Alexander V. Clemens VII. Gregogorius XIII., Confratribus iniungi recitationem horarum canonicarum his verbis: *Ipsi Confratres et Consorores teneantur horas dicere canonicales secundum regulam datam ab Alberto.* Apud Casanatum item legi: *Sed volo quod ipsi Fratres vel Sorores* (sacri Scapularis) *teneantur horas dicere canonicas secundum regulam datam ab Alberto.* In Constitutione Clementis VII. edita die 12 Augusti 1530, *Ex Clementi,* confirmante privilegia Ordinis Carmelitici, in parte expositiva legi: *Quodque confratres ipsi gratiarum earundem praedecessorum participes fieri volentes, horas canonicas, iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini concessam et ordinatam recitare deberent:* inde patere Confratres indulgentiam Sabbatinam quaerentes adstringi ad recitationem canonici officii secundum formam quam S. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus proposuit Eremitis Montis Carmeli.

Subiungebat autem Consultor, eumdem Beatum Albertum in sua regula *de Horis canonicis cap.* 8. aliud non praecipere quam recitationem officii divini secundum institutionem SS. Patrum et approbatam Ecclesiae consuetudinem: et Carmelitas vi propriae regulae ad nullum determinatum officium teneri, sed ab initio illud recitasse iuxta ritum Hierosolymitanum, quod illi ecclesiae essent addicti, eumdemque modum adhuc servare: eosdem Carmelitas semper docuisse iuxta propriae regulae sententiam, ad consequendum dictum privilegium necessariam non esse recitationem peculiarem dicti officii, sed sufficere recitationem alterius cuiusque iuxta approbatam Ecclesiae consuetudinem.

Cum autem secundum approbatam Ecclesiae consuetudinem recitetur etiam officium parvum B. V. Mariae, hinc per horas canonicas generice sumptas etiam hoc officium intelligi posse Consultor sentiebat, sicuti Navarius *de Orat. c.* 10. *n.* 4. illud partem horarum canonicarum esse censuit, et per plura saecula penes Monachos et Clericos etiam sinodali sententia Concilii Claromontani sub Urbano II. indictum et ad laicos quoque utriusque sexus extensum fuisse, prout narrat Baronius ad an. 1095: hinc iure merito antiquiores Carmelitas, quos inter Lucius Belga, Silvestranus, Thomas a Iesu, docuisse sodales sacri scapularis

Digitized by Google

sola officii parvi recitatione satisfacere obligationi recitandi horas canonicas: quam quidem sententiam ratam habuïsse S. Congregationem S. U. Inquisitionis Decreto anni 1613, quod oraculo Pauli V. confirmatum fuerit: *officiumque parvum recitaverint.*

Quamvis autem in indicatis Constitutionibus non legatur expresse recitatio *quotidiana*, tamen cum in his commemoretur recitatio iuxta formam Alberti, quae est iuxta institutionem SS. Patrum et approbatam ecclesiae consuetudinem, idcirco quotidianam recitationem Confratribus videri praescriptam.

Praeterea officium parvum integrum esse recitandum arguebat Consultor tum ex carentia rationis quae contrarium suaderet, tum ex eo quod officium maius sit integre recitandum; ideoque non sufficere unum tantum nocturnum officii parvi cum laudibus ad eam indulgentiam consequendam.

Ex quibus colliges :

I. Indulgentiam Sabbatinam appellatam, quae ab ipsa Virginis Mariae promissione originem sumpsisse piissime creditur, non ab omnibus Confratribus sacri Scapularis percipi.

II. Ad eam lucrandam praeter admissionem ad piam sodalitatem, requiri quotidianam recitationem canonici officii saltem parvi, illis, qui officium recitare valent (1).

III. Conditionem offici parvi recitandi satis impleri per recitationem unius nocturni diei cum laudibus caeterisque horis iuxta canonicam consuetudinem.

(1) Illi Confratres, qui officium recitare non valent, eam indulgentiam Sabbatinam lucrari possunt per alia opera loco officii iniuncta: haec opera iniuncta in allegata superius parte expositiva Constitutionis Clementis VII. ita designata fuerunt: *Ignari vero litterarum, diebus, quibus sancta Ecclesia ieiunare praecipit, ieiunare, nec non quarta feria et Sabbato toto tempore vitae eorum, praeterquam die, quo aliqua ex feriis praedictis Nativitatem Domini N. I. C. occurrere contigerit, a carnibus abstinere deberent.* In hac Constitutione confirmata fuerunt omnia privilegia Ordinis Carmelitici, nec non, pro potiori cautela, ea omnia de novo concessa.

Digitized by Google

APPENDIX III.

De generali decreto S. Congregationis SS. Rituum, quo definita est quaestio, an sacra Communio in Missis Defunctorum dari possit fidelibus aperiendo tabernaculum etiam ante et post Missam vestibus nigris celebratam.

Hoc generale Decretum attuli superius pag. 42, sed cum haec quaestio ex professo pertractata fuerit coram S. C. SS. Rituum ut penitus definiretur, expedit, ut per summa capita exponam, quid per Consultores fuerit ample deductum.

Sub omni respectu, quo considerari haec quaestio poterat, fuit considerata, id est historice archeologice hermeneutice et etiam dogmatice.

In praesenti Appendice exponam dumtaxat historicum quaestionis statum. Non est opus, ut referam Decreta S. C. SS. RR. quae iam ab anno 1683 prodierunt, quae quidem in ipso generali Decreto magna ex parte ita indicantur, ut demonstrent, eiusmodi quaestionem veluti in suspenso mansisse, ut tandem ex professo pertractata definiretur, quemadmodum reapse ex ipsis actis eiusdem S. C. aperte eruitur.

Quaestio agitata fuit inter rerum liturgicarum scriptores, an excludi deberet in Missa Defunctorum sacra Communio: hanc Communionem exclusit Gabriel de l' Aubespine in opere *De veteribus Ecclesiae ritibus, lib.* 1. *observ.* 17. et qui eum sunt sequuti, sive *absolute,* ut Carolus Venanzi, *Pratica delle sacre Ceremonie cap.* 7, sive *discretive*, ut illi, qui docuerunt congruum non esse sacram Communionem diribere in huiusmodi Missis, ut Michael Bauldry, *Manuale sacr. coeremoniarum par.* 3. *c.* 7. *tit.* 11 *n.* 4, Bartholomaeus Gavanto, *Thesaurus sacr. Rituum par.* 2 *tit.* 10 *n.* 6, qui tamen *par.* 2 *tit.* 13 *Rubr. n.* 1 *litt. u,* Communionem in Missis de Requie posse administrari absolute supponit.

Altera quaestio quammaxime inter Auctores disceptata haec est, an Communio in iisdem Missis dari posset Particulis praeconsecratis. De hac praesertim quaestione scripserunt Caesar Benvenuti, Caietanus Maria Merati et postea Ioan. Michael Cavalieri et Ferdinandus Tetamus. Benvenuti opusculum edidit anno 1726 cui titulus *Sacerdos ad altare celebrans in Missa privata,* in quo negativam sententiam est prosecutus: e contra Meratus in opere ad Gavantum *par.* 1. *tom.* 1. affirmativam defendit.

Cavalerius sententiam Benvenuti defendit in *Comment. in auth. Decret. tom* 4 *Decret.* 6. *cap. in Ord.* 39.

Cavalerio respondit Tetamus in *Diario liturg. tom.* 4 *tr.* 1. *l.* 3 *par.* 2 *c.* 2 *not.* 2 *nov. sub.* 3 *n.* 72.

Sed ut quaestionis status speci-

Digitized by Google

men aliquod habeatur, expedit nonnulla decerpere ex auctorum expositione. Cavalerius *loc. cit.* ita scripsit: « Fidelium Communionem in » Missis defunctorum admittit Ca- » staldus *libr.* 2 *cap.* 34 *n.* 8, reiicit » Gavantus, *part.* 2 . . . Abbas Ben- » venuti distinguit, et illam conce- » dit cum particulis in eadem Missa » consecratis et negat ex praecon- » secratis, sed novissime insurrexit » Meratus, contra morem, Gavan- » tum deserens, et Benvenuti dis- » tinctionem tamquam novam re- » iiciens, praedictam Communionem » declarat licitam, sive fiat ex par- » ticulis in eodem sacrificio conse- » cratis, aut ex praeconsecratis; » et Merati opinionem adoptat Be- » nedictus XIV. *Annot. tom.* 2 *part.* 4 » *sect.* 2 *n.* 161. Quoad particulas in » eadem Missa consecratas nititur » 1 in Concilio Tridentino, quod » *sess.* 22 *cap.* 6 generaliter se opta- » re declarat, *ut in singulis Missis,* » (adeoque in illis defunctorum) » *Fideles adstantes sacramentali Eu-* » *charistiae perceptione, et non so-* » *lum spirituali affectu communica-* » *rent, quo ad eos Sanctissimi huius* » *sacrificii fructus uberior proveniret.* » 2°. Quoniam etiam in Defuncto- » rum Missis dicitur antiphona *Com-* » *munio,* et oratio *Postcommunio;* » illa vero cantabatur, quando Fi- » deles communicabant; haec, com- » pleta fidelium communione. 3°. In » illis verbis Canonis: *Ut quotquot* » *ex hac altaris participatione sacro-* » *sanctum filii tui Corpus et Sanguinem* » *sumpserimus etc.... Haec commixtio* » *et consecratio fiat nobis accipienti-* » *bus in vitam aeternam etc.* 4°. De- » nique in Rubrica sub Pontificatu » Urbani VIII. in Missale Defuncto- » rum invecta: *Si qui sunt commu-* » *nicandi, eos communicet, antequam* » *se purificet.*

II. » Qui oppositum sentiunt, » haec producunt argumenta: 1° Pro- » posito dubio S. R. C. *an in Missis* » *de Requiem sacram liceat distribue-* » *re Eucharistiam,* eadem Congre- » gatio die 22 Iunii 1701 respon- » dit: *negative*: 2° Quod in Missis » Defunctorum antiquitus non ad- » ministraretur Sacra Sinaxis, unde » Guillelmus Abbas loci vulgo Hir- » saug *vet. discipl. Monast. fol.* 457 » scribit: *Si Missas Defunctorum can-* » *tat, nemo nisi ipse solus, communi-* » *cat*: 3° Quia in Missis Defunctorum » licita non est benedictio in fine » Missae; quare communicati abs- » que benedictione ulla deberent » dimitti. Ad haec reponit Meratus » *par.* 2 *tit.* 10 *num.* 28, et ad pri- » mum, quod quidem praefatum » prodiit Decretum, sed cum ob » rationes validas ab eadem Con- » gregatione die 21 Martii 1711 su- » spensum fuerit, atque inhibitum » eiusdem copiam extra dari, non » esse attendendum, et maxime cum » in Urbe ipsa Romae non fuerit » usu receptum. Ad secundum, ita » quidem, sed non praecise quia » essent Missae Defunctorum, sed » quia tales Missae erant privatae, » uti diserte eruitur ex canone 4

Digitized by Google

» Concilii Vasensis anni 529; in privatis autem Missis sive vivorum » forent vel mortuorum non administrabatur Eucharistia, sed in » solis sacris solemnibus, sicut ex » Albasp. *de Vet. ritib. lib.* 1 *observ.* 17 notat Gavantus *par.* 2 » *tit.* 10 *num.* 4 *lit.* 1. At cum modo vetus disciplina desierit, et » nova successerit, quae indiscriminatim in Missis omnibus, ne quidem exclusis illis Defunctorum, » admittit fidelium Communionem, » quemadmodum superius tradita » plene evincunt, dubitandum nullatenus est super licita fidelium » Communione in Missis de Requiem. Ad tertium, carentiam » benedictionis in fine Missae non » afficere Communionem Fidelium, » qui, media Eucharistia, recipiunt » benedictionum fontem ipsum et » Auctorem.

III. »Haec plurima quidem sunt, » et adeo validis innixa rationibus, » ut recedendo a decisis per S. C. » probata fuerint, quae propterea » in praesenti Decreto in Defunctorum Missis probat fidelium Communionem ex particulis in eadem » Missa consecratis. Momenta promamus modo, quibus idem Auctor utitur ad probandam communionem item licitam ex particulis praeconsecratis et ex tabernaculo extractis. Sunt autem » 1 quia, argumenta cuncta, quibus » comprobatur licita administratio » Eucharistiae intra Defunctorum » Missam, loquantur generaliter, » non limitate de solis particulis in » eadem Missa consecratis. 2. Quoniam si, ut supra, limitate accipienda forent, idipsum esset de » Missis vivorum, in quibus tamen » nullus Auctor edocet Eucharistiam » distribui non posse cum particulis praeconsecratis. 3. Quia differentia illa, quam nonnulli faciunt » particulas in eadem Missa consecratas inter, et praeconsecratas » (quod nempe Communio cum illis facta est participatio sacrificii, » non sic facta cum praeconsecratis), ex eo nulla noscitur, quod » fideles sacrificio adstantes vere » dici non possunt sacrificantes, » sed magis participare de altari, » seu victima oblata, unde in illa » Canonis oratione, *supplices te rogamus*, quam Sacerdos, peracta » consecratione, recitat, dicitur: *ut quotquot etc.* 4. Nam Tridentinum » *loc. cit.* optat quod fideles adstantes etc.»

Has rationes non habuit tanquam validas Cavalerius: sed contra Cavalerium insurrexit Tetamus, ut supra dixi.

Ex hoc specimine Lector videt, quo in statu haec quaestio repereretur. In alia Appendice in compendium redigemus eamdem quaestionem archeologice ab uno ex Consultoribus prertractatam.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

IURIUM, PRAEEMINENTIARUM ET VOCIS IN CAPITULO.

Die 11 Ianuarii et 29 Augusti 1868.

Compendium facti. In oppido dioecesis N. unica erat antiquitus paroecialis ecclesia, quae deinde excrescenti populo impar evasit. Romanus Princeps eiusdem oppidi Baro munificentissimus saeculo elapso novum e fundamentis templum aedificavit rebus necessariis eleganter ornavit ac sacris supellectilibus apprime munivit, atque in illud opus quinquaginta circiter scutatorum millia impendisse dicitur.

Ut praeclari templi decorem etiam atque etiam perficeret in augmentum Divini cultus, a R. P. Benedicto XIII. Apostolicas Litteras die 1 Septembris 1725 obtinuit, quibus paroecialis eadem ecclesia in Collegiatam erecta est, cuius Capitulum constituerent duae Dignitates, idest Abbas et Primicerius, qui antiquo Parochorum munere fungerentur, decem Canonici et quatuor Beneficiarii *cum Capitulo, choro, mensa capitulari, archa, bursa, sigillo communibus.* Dos pro Capitulo constituta est atque facultas eidem Capitulo tributa pro administratione et regimine eiusdem ecclesiae.

Quibus ita constitutis idem Pontifex Principi fundatori eiusque haeredibus et successoribus ius patronatus et praesentandi adscripsit, *non ex privilegio Apostolico, sed ex primaeva, reali et actuali plena integra omnimoda fundatione et perpetua dotatione laicali ex bonis mere laicalibus factis.*

Exeunte praeterito saeculo quidam Antonius suo testamento haeredem fiduciarium instituens Sacerdotem Ioannem, eidem commisit, ut haereditatem erogaret in aliquam causam piam. Ioannes officium sibi commissum apprime adimplens, proposuit erectionem duorum Canonicatuum in eadem Collegiata, quorum uni officium esset adnexum Poenitentiarii, alteri vero Theo-

Digitized by Google

logi officium *dummodo tamen Princeps actualis patronus suum necessarium consensum praestaret*. Si autem eiusmodi consensus obtineri non posset duas Cappellanias Episcopo erigendas proposuit.

Capitulum iuxta haeredis fiduciarii vota consensum exquisivit die 9 Iunii 1795 a Principe patrono, ita tamen ut eisdem Canonicis non aliud concederetur praeter sedem in choro et communia canonicalia insignia. Patronus autem inquirendum esse respondit utrum per eam erectionem sarta tectaque omnino manerent sua suorumque successorum iura, nec non an laederentur, quamvis in re minima, Canonicorum et Beneficiariorum iura. Hinc sexennii fere mora intercessit.

Instantes vero duo Presbyteri, iam a Ioanne designati, pro consensu Capituli et Patroni, eum ab utroque obtinuerunt: idest a Patrono, ita tamen ut erigendorum Beneficiorum possessores nullimode sese ingerere possent in negotiis capitularibus, ideoque abessent ab omnibus sive ordinariis sive extraordinariis capitularibus comitiis; pariterque ut iidem possessores postremam semper in choro sedem haberent post Canonicos ab eodem Principe nominandos: quin immo, idem Patronus addidit, ut praesens assensus praestitus valere deberet pro duobus dumtaxat supplicantibus, ac deinceps et in perpetuum singuli futuri novique Canonici consensum eumdem obtinere deberent ab actuali Collegiatae Patrono.

Pariter a Capitulo consensum obtinuerunt, ita tamen ut neque admittendi essent ad participanda emolumenta ex funeribus, Anniversariis caeterisque functionibus vel legatis Capitulo relictis vel relinquendis, neque acquirere possent ullam vocem activam seu consultivam etc.

Iuxta has conditiones a Patrono et Capitulo appositas, Procurator Ioannis institit penes Ordinarium, ut Instrumentum erectionis conficeretur: quod quidem confectum fuit *cum dictis respectivis assensu approbatione et capitularibus legibus et reservationibus*.

Instituti itaque fuerunt novi Canonici iuxta eiusmodi leges, quae adamussim usque in praesens ab illis et ab eorumdem etiam successoribus servatae fuerunt.

Verum praesentes Canonici Theologus et Poenitentiarius, quamvis praescriptas leges hactenus servassent, tamen statum

Digitized by Google

quo se reperirent nimis gravem humilemque reputantes reclamarunt, ea de causa, ut nullae et inefficaces declararentur expositae conditiones.

Quare audito Episcopo reliquisque servatis, dubia quae in calce ponimus S. C. dirimenda proposita fuerunt.

Disceptatio synoptica.

Defensio Capituli. — Orator, qui iura Capituli sustinuit, initio animadvertit, etsi fundator non possit leges statuere *naturae* Beneficii contrarias, posse tamen seligere eas Beneficiorum formas, quas meliores ipse iudicaverit: in praesenti themate haeredem fiduciarium, cuius plenae potestati commissa erat fundationis ratio, erigere praetulisse duas Praebendas in ea Collegiata Ecclesia pro officiis Poenitentiarii et Theologi accedente consensu tum Capituli tum Patroni, ita ut, ex pactis conventis, Praebendae haberent quidem Canonicatus nomen, sed destituerentur omnibus iuribus quae canoniam propriae dictam constituant, ipsique novi Canonici eatenus perfruerentur honore *stalli* seu sedis, et *insignium canonicalium,* quatenus a Patrono id indulgeretur: quare eiusmodi honores non quidem novis Canonicis inhaesisse iure Praebendarum, sed ipsis tribuendos esse singulis vicibus: eosdemque Canonicos teneri ad onera choralia non quidem ratione canoniae, sed ex speciali obligatione a fundatore imposita: proindeque eos habendos esse tamquam Canonicos supranumerarios seu mere honorarios.

Haec confirmabat Orator doctrina S. Rotae in *Novarien. Praecedentiae* 3 *Iulii* 1713 *coram Lancetta* §. *Quibus,* ubi legitur: «Domini existimarunt, Canonicatum a Fausto possessum connumerari posse dumtaxat inter Canonicos, qui supranumerarii dicuntur, ac nullam habent connexionem et unionem cum vero Capitulo, idque, retento facto supra exposito, desumebant ex actibus gestis in ipsa erectione, nec non ante et post erectionem. Quantum enim attinet ad ea quae praecesserunt erectionem, instrumentum assensus praestiti a Capitulo pro erectione istius Canonicatus satis clare praesefert, *nullatenus huiusmodi Canonicatum esse incorporatum atque adnexum aliis sex,* et quia Canonici revera praebuerunt consensum, sed cum clausula praeservativa - ibi - *absque ullo praeiudicio Capituli, ipsiusque*

» *iurium parochialium quorumcumque etc.* – ita ut ex ista dubita-
» ri nequit, Capitulum voluisse solum admittere *Canonicatum*
» *supranumerarium et extraneum a Capitulo,* minime vero augere
» numerum ultra sextarium, dum hoc profecto praeiudicium pro-
» duxisset antiquis Canonicis, ut ex Castrens. *Consil.* etc.»

Item in decisione illius confirmatoria *diei* 11 *Decem.* 1713 *coram Barbadico* §. *Haecque,* legitur: « Haecque adeo plana in-
» telligentia indeclinabilis reddebatur ex eo, quod sequuta ere-
» ctione Canonicatus per Faustum possessi, eius procurator ad
» illius possessionem immissus fuit sub ea explicita declaratione,
» quod nunquam possit nec habere debeat in futurum vocem in
» Capitulo, prouti nec habent alii tres Canonici, qui non sunt
» de gremio Capituli, eique adsignatus extitit ultimus sedendi
» locus post eosdem tres Canonicos supranumerarios. Exinde
» enim ad evidentiam convincitur, praecedentem erectionem Ca-
» nonicatus non aliter admissam et adprobatam fuisse ab anti-
» quis Canonicis quam sub conditione constituendi Canonicum
» mere *honorarium* a corpore Capituli segregatum. Tum quia
» conventum extitit, quod ipse nullo unquam tempore in rebus
» capitularibus se immisceret, quod certe omnimodam praesefert
» segregationem a Canonicis capitularibus, cum alias ei denegari
» non debuisset facultas suffragium ferendi circa ea quae ad Ca-
» pitulum spectant... »

Hanc autem doctrinam in nostro themate locum habere usque ad evidentiam Orator ostendit ex actis quae erectionem duorum Canonicatuum de quibus agimus sunt consequuta. Hi enim Canonici considerati semper fuerunt ut a Capitulo seiuncti ut supranumerarii ut honorarii, neque onera persentierunt quae subeunt Capitulares, ut est *media annata* (1) ut prospiciatur carentiae reddituum pro fabrica et sacristia, neque caetera onera, quae cultus Collegiataeque decorem respicerent.

Hisce autem positis, mox allegatam S. Rotae doctrinam confirmavit Orator auctoritate Doctorum, de qua re sic Fagnanus in *Cap. Dilectus de Praeb. n.* 16 *et seqq.* « Revoco igitur in du-
» bium, an Canonici ultra numerum recepti habere debeant stal-

(1) De hac *media annata* agitur in Constitutione Benedicti XIII. *Pius ac misericors,* edita in Conc. Romano anno 1725 pro Italia et Insulis adiacentibus, de qua consuli potest causa, quam adduxi in *Vol. II. pag.* 93.

Digitized by Google

» lum in choro, vocem in Capitulo et quotidianas distributiones...
» Ego existimo sic distinguendum... aut receptio ultra numerum
» fit a Capitulo *simpliciter,* et sic receptus habere debet stallum
» in choro, vocem in Capitulo etc. Aut receptio ultra numerum
» fit a Capitulo *non simpliciter,* sed eo adiecto, ut receptus sit
» supranumerarius, et tunc non consequitur iura canonicalia; quia
» Capitulum, recipiendo cum tali adiectione seu protestatione,
» censetur noluisse numerum frangere, sed quoddam ius extra-
» ordinarium dare: unde sic receptus non habet ius integrum et
» ordinarium. »

Item Card. De Luca *de Canon. disc.* 37 *n.* 5: « Altera est spe-
» cies illorum Canonicorum supranumerariorum, qui non sint de
» corpore Capituli, nec participent de eius massa distributionum,
» sed revera sint Beneficiati in illa ecclesia cum honorifica nun-
» cupatione Canonicorum, iuxta speciem illius Canonicatus de
» quo agitur *dec.* 294 *etc.* et pariter intrat eadem propositio ex
» identitate rationis, quod isti *non sint vere Canonici in re, sed*
» *in sola honorifica nuncupatione.*» Idem Panimoll. *decis.* 98 *n.* 1.
Ceccoper. *Lucubr. canon. l.* 1 *tit.* 14 *n.* 35 et praesertim S. Rota
in *cit. decis. coram Barbadico,* in qua insuper legitur: « At cum
» in casu, de quo agitur, praeservato antiquo Canonicorum nu-
» mero, Canonicus de novo admissus nullam habeat cum Cano-
» nicis antiquis participationem aut societatem, et constituat fi-
» guram Canonici mere honorarii et supranumerarii, hinc neque
» dicitur de gremio Capituli, neque per consequens potiri valet
» iuribus et praerogativis ad antiquos Canonicos pertinentibus.»

Post haec removebat Orator difficultates quae opponi possent
ex litteris collationum in quibus scribi consuevit possessio *cum*
stallo in choro ac loco in Capitulo dictae ecclesiae Collegiatae cum
dicti iuris plenitudine: hanc enim diluit Orator eiusdem S. Ro-
tae doctrina in allegata confirmatoria decisione, in qua ad rem
legitur: « Eiusdem immo minoris revelantiae reputata fuit suc-
» cessiva institutio ad eumdem Canonicatum per Faustum repor-
» tata, ubi omnia conferuntur iura caeteris Canonicis pertinentia,
» tum quia Ordinarius non poterat, variando praecedenter di-
» sposita, concedere institutionem ab erectione et fundatione dif-
» formem in praeiudicium Capituli: tum etiam quia, eadem in-
» stitutione minime attenta, Faustus Canonicatus possessionem

Digitized by Google

» acceptavit et approbavit tamquam Canonicus supranumerarius
» et a corpore Capituli separatus...»

Alteram removebat difficultatem ex eo petitam, quod in casu nostro easdem collationum litteras per Apostolicam Datariam concedi consuevissent. Exploratum enim in iure esse ostendit, per collationes etiam a Summo Pontifice peractas, nunquam Beneficiorum statum immutari, nisi novandi animus in Summo Pontifice aliunde pateat sicuti docet S. Rota in *Decis.* 263 *p.* 4 *t.* 1 *n.* 3 *recen.* praesertim vero in *Decis.* 104 *p.* 10 *n.* 13 ubi legitur: « Collationes vero Apostolicae de anno 1629 et 1636 non merentur allegari, cum non sint aptae immutare statum Beneficii, nisi concurrant Quadragenaria, animus et intentio Pontificis illum immutandi, et scientia et patientia illorum, qui » ex hac status mutatione praeiudicium recipiunt. »

Sed cum difficultas potior, quae prima fronte animo sese offert, ea esset quae petitur ex officio Poenitentiarii et Theologi, qui propter haec nobiliora officia a gremio Capitulo seiuncti esse non posse viderentur: eiusmodi difficultas hisce considerationibus ab Oratore removebatur.

Quoad Poenitentiarium animadvertit, eumdem ad normam iuris constitutum, considerari veluti Parochum totius dioecesis, de quo sic tradit Barbosa de *Canon. et Dignitat. c.* 26 *n.* 12. « Eo » ipso, quod Poenitentiarius institutus fuerit, habet a iure et » Concilio facultatem audiendi confessiones poenitentium illius » Dioecesis et iurisdictionem ad absolvendum a peccatis, et est » veluti Parochus totius dioecesis. » Item Fagnanus in *cap. Grave de Praeb. et Dignit.* de eo ita scribit, ut sit « quasi Parochus » totius dioecesis, habetque ius audiendi dioecesanorum confes» siones non ex speciali Episcopi commissione, sed a lege, id » est a Tridentino Concilio, ideoque ordinarius censeri debet. »

Quare cum Poenitentiarii officium ex quo illae facultates et iurisdictio dimanant sit a lege ecclesiastica constitutum, protendi non posse inquiebat, praeter casum ab ipsa lege expressum: porro Tridentinam legem *sess.* 24 *c.*8 *de Refor.* de Poenitentiarii institutione disponentem, de ecclesiis cathedralibus dumtaxat locutam esse: idque etiam pluries definivisse S. C. C., quare, si de ecclesiis Collegiatis agatur, Poenitentiarii officium erigi non posse sine Beneplacito Apostolicae Sedis quemadmodum animad-

vertit Angelus Lucidi in suo opere *de VV. SS. LL. tom.* 1 *p.* 78 *n.* 71: «Monendum est, quod cum Poenitentiarius ex vi sui mu-» neris confessiones excipiat aliasque facultates habeat non posset » Episcopus sine Beneplacito Apostolico, saltem Poenitentiarii » facultates officio inhaerentes, Poenitentiario in Collegiata sta-» tuendo tribuere.»

Hisce animadversis sic concludebat Orator: aut officium Poenitentiarii in Collegiata de qua agimus erectum ab Ordinario sine Apostolica venia est toto coelo diversum a munere praescripto in Tridentino Concilio, et tunc adversarii iniuria reclamant praerogativas canonicales; aut Ordinarius verum Poenitentiarii officium erigere intellexit, et tunc eiusmodi erectio in irritum cadit, neque eiusmodi erectio sine competenti auctoritate facta posset convertere in verum Canonicatum Beneficium sua indole simplex.

Quoad Theologi officium, inquiebat Orator, Concilium Tridentinum statuisse quidem instituendum illud esse in *Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido:* sed cum Iudicis arbitrio sit relictum iudicium circa eiusmodi oppidorum genus, in praesenti themate haberi tacitum iudicium Benedicti XIII.

Hic enim Pontifex die 19 Maii 1725 ediderat celebrem Constitutionem, *Pastoralis officii,* qua inculcavit erectionem Theologalis Praebendae. Tribus post mensibus ecclesiam paroecialem de qua agimus in Collegiatam erexit; ad ipsum oppidum ipse accessit consecraturus novum templum; Dignitates et Canonicatus Collegii distribuit, quin de officio Theologi verbum diceret.

Quare, inferebat Orator, eumdem Pontificem non iudicasse illud oppidum Tridentinae legi hac in re subiectum: si igitur illud officium erectum postea fuit praeter legis necessitatem, pariter praeter necessitatem legis potuisse adiici simplici Beneficio.

Haec autem validius confirmabat ex ipsa Tridentina dispositione in *sess.* 5 *c.* 1 *de Ref.* iuxta quam Theologi officium potest coniungi etiam cum Praestimonio vel quovis nomine nuncupato stipendio.

Quod si illi novi Canonici considerari vellent iure canoniae praediti, ita ut quaestio coerceri vellet ad ius praecedendi de quo in primo dubio agitur, iterum ostendebat, in hisce quaestionibus servandam esse consuetudinem tamquam principem

Digitized by Google

normam, et legem insuper fundationis, quae, si iubeant aliquem Canonicum sedere perpetuo debere in ultima sede, sunt omnino servanda, prout pluries id servandum edixit S. C. C. in similibus causis.

Et hac in re nonnullas S. C. C. Resolutiones allegabat Orator; nominatim vero causam *Civitatis Castellanae* anni 1833, in qua cum Capitulares primae erectionis in cathedrali ecclesia duos admisissent novos Canonicos sub conditione, ut novi duo Canonicatus non gauderent praecedentia sedis, ut duas ultimas sedes perpetuo occuparent, neque in casu vacationis possent ad superiores sedes ascendere, dubium propositum fuit S. C. C. die 16 Iulii eiusdem anni: « An sit confirmanda vel infirmanda conditio » a Capitulo apposita in erectione in casu: » cui respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam*. Et quamvis S. C. anno post ab hac Resolutione recesserit, id non alia ex causa contigisse, ait Orator, nisi quia innotuerit lex fundatricis, quae in suo testamento aequiparare voluerat Canonicatus erigendos aliis duobus Canonicatibus iam erectis, qui praecedendi iure fruebantur: huic enim fundatricis voluntati derogare nemo poterat nisi Summus Pontifex.

Item in *Romana Praecedentiae* 18 Februarii 1865 disputatum fuit dubium: « An constet de iure praecendentiae in » choro et processionibus favore Canonicorum Magnoni, Amidei, » Belli et Piccolomini una cum Canonicis primae erectionis in » casu: » et cum Canonicos Amedei et Belli lex erectionis a iure praecedendi indubie excluderet, quoad eos responsum prodiit, *negative*.

Quod si aliter quandoque resolutum fuisse videatur, id ex eo repetendum esse, inquiebat, quod ageretur vel de congruentia *legis dicendae* Canonicatui *erigendo*, vel de Canonicatu erecto cum conditionibus *contrariis voluntati fundatoris*.

Quoad secundum dubium, observabat, illud subesse debere duplici limitationi, quarum primam esse, ut novi Canonici non possent partecipare legata nominatim Capitulo primae erectionis relicta; et hoc ex certo iure. Alteram limitationem esse, inquiebat, ut si quando pro funeribus detur certa pecuniae summa generatim diribenda cum iure accrescendi interessentibus, eam participare nequeant Canonici novae erectionis, quoniam secus detrimentum

Digitized by Google

persentirent Canonici primae erectionis, prout perpendit Card. De Luca *de Canon. Disc.* 6 *n.* 14.

At vero, in facto, ostendebat, eosdem novos Canonicos Capitulum admisisse ad participationem emolumentorum, quando ex speciali Benefactorum voluntate censerentur vocati; eosdem tamen exigere non posse ut ad participationem admitterentur legatorum aliorumque, quae ad Capitulum ex constanti consuetudine pertinere soleant, de qua re adducebat Resolutionem S. C. C. in *Faventina* diei 21 Decembris 1564, in qua proposito dubio: « An idem Archipresbyter ut supra exclusus *(in Bulla erectionis)* » a participatione distributionum et emolumentorum possit par» tecipare de eleemosynis, quae dantur Capitulo pro funeralibus » et anniversariis occasione funeralium, quae inter praesentes » distribuuntur: » responsum prodiit: *Archipresbyterum participare non debere de his quae proveniunt ad manus Camerarii, ex quibus diminueretur portio aliorum Canonicorum.*

Neque posse exigere eosdem Canonicos ius accrescendi in portionibus Capitularium qui fortasse absint, tum quia ius accrescendi supponeret sociorum communionem in re diribenda, *Cap. Quia, de Clér. non residen.* tum quia novi Canonici vicissim admittere deberent Capitulares ad perceptionem suorum emolumentorum.

Quoad tertium dubium, quoniam adversarii exigerent interventum in capitularibus sessionibus, in quibus non ageretur de massa Praebendarum Capituli, respondebat Orator, omnes redditus sacristiae et fabricae distingui quidem in ea Collegiata a redditibus Praebendarum sed ex eadem dote et Mensa provenire, eorumdemque omnium administrationem commissam fuisse Capitulo ex Litteris Apostolicis, ita ut unam massam constituant.

Cum autem haec administratio inter iura Capituli propria recenseretur, frustra novos Canonicos quaerere dictum interventum, ceu in *Eugubina Erectionis Canonicatuum* die 26 Martii 1703 ad dubium: « An et in quibus negotiis iidem Canonici ius ha» beant capitularibus sessionibus interessendi etc. » S. C. C. respondit: *Affirmative in omnibus, exceptis iis, quae respiciunt interesse et iura particularia veterum Canonicorum.* Item in *S. Miniatis* die 24 Nov. 1827 ad dubium: « An et in quibus negotiis » Canonicus Theologus gaudeat voce activa et passiva in casu: »

Digitized by Google

respondit: *Affirmative in omnibus, exceptis negotiis respicientibus massam communem, et bona ad Capitulum spectantia ante erectionem Praebendae theologalis.*

Excludendos pariter esse eosdem Canonicos in electione Officialium et Inservientium Collegiatae ceu docet Ceccoperius *Lucubr. canon. lib.* 1 *tit.* 14 *n.* 34: «Si emolumenta et salaria pro » dictis officialibus ecclesiae et sacristiae inservientibus persol- » verentur ex massa antiquorum Canonicorum, eatenus novi Ca- » nonici admittendi forent ad ferenda suffragia in eorumdem » officialium electionibus, quatenus etiam ipsi pro rata concur- » rerent ad stipendia; nam si se subrahere vellent ab onere so- » lutionis, excludendi etiam essent ab actu electionis, quia Cano- » nici novi sicut admittuntur ad praerogativas et iura canonica- » lia debent etiam subire incommoda, ut omnis aequitas suadet.»

Hactenus Orator Capituli. Etiam Patronus Princeps sua iura per proprium Oratorem defendit; sed satis sit haec retulisse.

Defensio theologi et poenitentiarii. — Horum Orator initio describens humilem statum in quo versari iidem Canonici deberent, cum a quavis re capitulari excluderentur, quamvis ipsi munere Poenitentiarii et Theologi praediti essent, ad meritum quaestionis devenit contendens eos esse veros Canonicos iure canoniae praeditos: id autem ostendere praesertim curavit ex Litteris Apostolicis per Datariam expeditis, quibus in possessionem earum Praebendarum immitti consueverunt. In huiusmodi enim Litteris haec habentur: « *In corporalem possessionem dictorum Canonicatus et Praebendae ac adnexorum iuriumque et pertinentiarum praefatorum inducatis Auctoritate Nostra et defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes ad Praebendas huiusmodi in dicta Collegiata ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, Stallum ei in choro ac locum Capitulo dictae ecclesiae Collegiatae, cum dicti iuris plenitudine assignetis, eisque de dictorum Canonicatus et Praebendae ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis integre responderi. Contradictores Auctoritate Nostra praefata, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus etc.*

Cum itaque ex hoc Litterarum tenore ipsis canonia tribuatur, quae consistit in receptione in fratrem, in stallo ac loco

Digitized by Google

in Capitulo aliisque iuribus et honorificientiis, dici non posse eos destitutos esse canonia, quemadmodum eo iure destituuntur Canonici honorarii.

Idem sustinebat Orator ex ipsa canonica erectione eorumdem Canonicatuum, qua posita, consequi, inquiebat, eosdem veros esse Canonicos, iuxta ea quae tradit De Luca, *De Canon. disc.* 6. *n.* 12: « Posita valida erectione in ista causa *Collen.*, quatenus pertinet ad primum dubium *Vocis in Capitulo,* affirmative » resolutum fuit. Ac resolutio mihi, quamvis in contrarium » scribenti, iusta visa est, quoniam si erant Canonici legitime » erecti nil prohiberet eos debere gaudere huiusmodi praerogativa, quae canoniae de sui natura adnexa est...et est communis sensus Canonistarum. »

Distinxit praeterea Orator triplex Canonicorum genus cum Card. de Luca *loc. cit. disc.* 37, quorum primum est eorum, qui cum *gratiis expectativis* (quae modo non solent amplius dari) vacationem alicuius Canonicatus expectabant. Sed expedit verba eiusdem Cardinalis referre: « isti sunt proprie illi Canonici supranumerarii, qui per Doctores appellari solent Canonici in » herbis, quia revera non sunt tales in re, sed solum in spe; » atque in istis vera est propositio, quod non gaudent praeeminentiis canonicalibus neque occupant locum donec sunt in » isto statu.

» Altera est species illorum Canonicorum supra numerum, » qui non sunt de corpore Capituli, neque participant de eius » Massa distributionum, sed revera sunt Beneficiati in illa ecclesia cum honorifica nuncupatione Canonicorum... et pariter » intrat eadem propositio ex identitate rationis, quod isti non » sint veri Canonici in re, sed in sola honorifica nuncupatione.

» Tertia demum est species illorum novorum Canonicorum, » qui ob superventos redditus, supra antiquum et consuetum » numerum valide ac legitime eriguntur cum omnimodis praerogativis et praeeminentiis canonicalibus et cum incorporatione » huiusmodi novorum membrorum cum antiquo corpore... et » tunc iste terminus supranumerariorum adhibetur improprie et » per quendam modum loquendi vulgarem ad effectum contradistinguendi Canonicatus de novo erectos ab antiquis; revera » tamen posita valida et legitima erectione, adeo ut actus haben-

Digitized by Google

» dus non sit pro infecto, omnes dicuntur pariformiter Canonici
» eiusdem naturae absque aliqua differentia praeterquam in iis,
» quae expresse fuerint excepta in erectione. »

Affirmabat autem Orator Canonicos de quibus agimus ad hoc tertium Canonicorum genus esse referendos.

Cumque autem testaretur eosdem veros esse Canonicos atque canonia praeditos facile ostendebat Doctorum Tribunaliumque doctrina, eosdem gaudere debere stallo in choro, praecedentiae iure, voce in Capitulo et participatione emolumentorum, in quibus canonia consistit.

Eo vel magis quod non de simplicibus Canonicis agatur, sed de Theologo et Poenitentiario ad normam Tridentinam, qui per concursum Canonicatum obtinerent, quique per Bullas Apostolicas in possessionem immitterentur.

Sed ad superandum obstaculum gravissimum in conditionibus consistens impositis a Capitulo et Patrono in erectione Canonicatuum, eas vitiosas et irritas esse inquiebat tum quia arbitrarie et contra ius appositas, tum quia nulla approbatione ecclesiastici superioris munitas neque a Sancta Sede recognitas.

Hisce aliisque amplissime adductis proposita sunt dirimenda

Dubia.

I. « An et quo ordine sedere debeant in choro et incedere
» in functionibus ecclesiasticis Canonici Theologus et Poeniten-
» tiarius in casu.

II. » An et quomodo iidem Canonici admittendi sint ad par-
» ticipationem emolumentorum proficiscentium ex funeribus, an-
» niversariis, caeterisque functionibus vel legatis Capitulo reli-
» ctis post erectionem Theologalis Praebendae et Poenitentia-
» riae in casu.

III. » An, et in quibus negociis Canonici Theologus et Poe-
» nitentiarius gaudere debeant voce activa et passiva in Capitu-
» laribus sessionibus in casu.»

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 11 Ianuarii 1868 distulit Resolutionem, causa autem cognita die 29 Augusti 1868, respondere censuit. Ad I. II. et III. *Nihil esse innovandum, et amplius.*

Digitized by Google

Ex quibus inter caetera colliges:

I. Canonicos alicui Capitulo superadditos, quamvis Praebendas possideant, esse posse simpliciter honorarios.

II. Eos honorarios haberi, qui praecipuis Canoniae iuribus non fruantur (1).

III. In ecclesiis Collegiatis, etiam non insignibus, posse quidem esse ex peculiari fundatione non solum Theologum, sed etiam Poenitentiarum.

IV. Poenitentiarium in Collegiata constitutum, cum praeter

(1) Nomen *canoniae*, non est aliud nisi nomen quod abstractum conceptum refert; quemadmodum enim ab *amico* dicimus *amicitiam*, ita a *Canonico* dicimus *canoniam*. Quare sub canoniae nomine non aliud significatur, nisi iura et officia communia Canonicorum, cuiusmodi sunt ius in Praebenda eo modo quo titularis eam possidet, non autem prout eam possideat Commendatarius aut Administrator; ius suffragii ferendi activi et passivi in re ad Capitulum pertinente; ius ad honorificentias ab ecclesiasticis legibus statutas, cuiusmodi est sedes in choro, insignia canonicalia, precedentia inferiori clero etc. officium debite psallendi; Missam conventualem celebrandi etc. officium prospiciendi divino cultui in propria ecclesia eiusdemque decori etc. quae sunt correlativa dictis iuribus. Haec omnia continentur sub canoniae conceptu. Cum itaque in complexu horum iurium et officiorum, quorum radix est realis possessio Praebendae canonicalis in titulum collatae, seu incardinatio, investitura in Praebenda, si talis detur Praebenda, canonicalis licet appellata, ex cuius possessione non dimanent dicta iura et officia, Canonicus qui eam possidet non erit verus perfectusque Canonicus. Poterit tamen magis vel minus accedere ad perfectam canoniam, prout magis vel minus participet dicta iura. Si autem dictis iuribus destituatur, et subeat choralia officia, erit Praebendatus choralis; si vero praeter choralia officia fruatur extrinsecis Canonicorum insignibus, et Canonici nomine, erit Canonicus honorarius. En quomodo etiam in canonico iure optime cohaerent quae in philosophia traduntur de rerum essentiis.

Non est praetereundum tamen, quod Apostolica Dataria in expediendis litteris collationis alicuius Praebendae Canonicalis, quae honoraria appellari soleat, non eam appellat Praebendam honorariam absolute, sed utitur hisce verbis: *Praebenda honoraria nuncupata, vel Canonicus honorarius nuncupatus;* et hoc non sine ratione, quia possessio titularis Praebendae canonicalis esse solet fundamentum et radix canoniae eo modo quo dixi.

Quid autem dicendum de illis Capitulis quorum Canonici aut Praebendam non habeant, aut loco Praebendae habeant stipendium a Gubernio vel ab aliis quibusvis?

Si de primis agatur, illi non erunt Canonici iuxta conceptum SS. Canonum, sed reducuntur ad Canonicos honorarios quibus honores tribuuntur ab Episcopo ob peculiaria officia quae eisdem committat ad imitationem officiorum canonicorum. Si de secundis agatur, stipendium est loco Praebendae, etsi stipendium sit potius quaedam retributio ob officia praestita aut praestanda, nec praeseferat eam firmitatem, quam ecclesia in suis sapientissimis institutionibus semper intendit.

Digitized by Google

ius constituatur, tantum iuris privilegiorumque sibi vindicare poterit, quantum demonstret sibi esse legitime concessum.

V. Denique colliges: Litteras Apostolicas collationis non immutare Beneficiorum statum et conditionem, quam ex sua fundatione praeferant, nisi apprime constet per verba Litterarum, quae fundationi non respondeant, Romanum Pontificem voluisse eorumdem conditionem immutare.

MATRIMONII.

Die 18 Iulii 1868.

Causae matrimoniales ex capite impotentiae sunt multo frequentiores quam caeterae eiusdem nominis. Sed saepissime honestas non patitur, ut eiusmodi causae publicentur, quamvis hae ephemerides, utpote latine conscriptae, nonnisi ad viros ecclesiasticos dirigantur, qui gnari, pro suis officiis in animarum cura, huius materiae esse debeant. Attamen ne eiusmodi causas penitus omittamus, nonnullas adumbrationes, potiusquam enarrationes, dabimus earum, quoties commode fieri possit, ut inde normae habeantur, quibus hae causae debeant pertractari. Instructionem S. C. C. in eiusmodi causis pertractandis iam dedimus in *vol. I. pag.* 439.

Compendium facti. Nuptiae inter Caiam septemdecim annos. natam et Livium decennio Caia maiorem rite initae sunt. Ambo honestate vitae commendati sese valde dilexerant. Quadriennio coniuges individuam vitae consuetudinem habuere: denique iurgia et dissidia exorta sunt: exinde uxor domum paternam petiit asserens se nunquam viro suo reconciliari posse. Cuius rei causa haec est.

Duobus integris annis coniuges sicuti ab initio connubii se invicem dilexerunt, et adolescentula indubia saepe amoris sui argumenta dedit, praesertim in aegrotatione non brevi eiusdem viri.

Digitized by Google

Sed cum vir eius rem maritalem perficere non posset, Caia molestiis incommodisque pertaesa morali aegritudine affecta est; etsi ignara, ut ipsa asseruit, rei matrimonialis. Tandem in gravem moerorem incidit, qui adeo excrevit, ut sibi clam veneficas potiones propinaret. Etsi vero eius soror opportune facti conscia eiusdem fatuitati occurreret, non tamen impedire potuit quominus suscepta potio noceret. Quare aegrotavit ac sensim vires eius deficere coeperunt.

Genitor filiam suam, assentiente viro, in aliam urbem conduxit, ut ex itineris aerisque varietate pristinae sanitati restitueret.

Non satis vero haec fuerunt paternae sollicitudini, sed statim ac novam urbem appulit, rogavit filiam ut optimum medicum A. secum peteret, cuius monitis exsecutioni mandatis, putabat filiam suam recuperare posse sanitatem.

Medicus Caiam invitam invisens adhuc perfecta virginitate praeditam reperit: pater eius rei novitate commotus rem ita duxit ut puella omnia ei pandiderit, qui huiusmodi matrimonium ratum non consummatum certo certius solutum iri filiae asseruit interposita pontificia auctoritate.

Hisce Caia auditis maxima hilaritate consurgens viribus brevi convaluisse dicitur.

Cum autem haec viro innotescerent, ad Ordinarium confugit ut huic gravi negotio consuleret.

Ordinarius pluries Caiam est allocutus ut eam viro suo reconciliaret, ita ut si nequivissent ceu vir et uxor vitam ducere, veluti frater et soror sub eodem tecto viverent.

Sed haec monita in irritum cesserunt; Caia enim moleste virum ferens, satis sibi esse cruciatus aegritudinesque perpessas firmo proposito respondebat.

Tum consilium Ordinarius suggessit, quod in acceptis habitum fuit utrique coniugi, idest, ut vir examini duorum in arte medica Peritorum se subiiceret; quorum alter a seipso, alter a Caia eligeretur: quod si hi Periti Livium habilem iudicassent, Caia ad virum suum reversura esset; sin autem res dubia esset, per alios quindecim dies experimentum fieret; sin autem procul dubio virum impotentem renunciarent, ex unanimi consensu ipsi coniuges SSmo Patri pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato supplicarent.

Digitized by Google

Virum itaque iuxta hoc consilium examini subiectum Periti iudicarunt impotentia perpetua et insanabili laborare. Nec satis; Livius et alium Peritiorem consuluit, qui in eamdem devenit sententiam.

Ordinarius auditis partibus brevique inquisitione instituta, cuncta documenta Romam misit preces coniugum commendans.

De more SSm̃us per S. C. C. mandavit, ut Ordinarius conficeret *processum canonicum servata forma Constitutionis S. M. Benedicti XIV.* Dei miseratione, *ac insertae instructionis, et de resultantibus suo tempore certioret et Processum ipsum S. Congregationi in forma authentica transmittat etc.*

Itaque iuxta Benedictinam Constitutionem sacrosque canones iudiciali examini subiecti sunt Coniuges qui matrimonium mansisse ratum dumtaxat sub iuramento confessi sunt: testimonium quod in iure appellatur *septimae manus* (1) seu quatuordecim iurati testes ex propinquis aut vicinis utriusque coniugis, septem ex parte viri septem ex parte mulieris, qui suffragati sunt confessioni Coniugum: Matronae quae Caiam inspexerunt virginitate perfecta gaudere fassae sunt. Quinque tamen Periti a Curia deputati, in viri corpore nulla impotentiae signa adesse iudicarunt, et reddere eumdem posse foecundam mulierem sine peculiari laesione eiusdem mulieris affirmarunt.

Actis itaque confecti processus Romam missis, Ordinarius postulavit, ut, ratione habita paupertatis coniugum, causa *oeconomice* tractaretur. SSm̃us autem benigne indulsit, ut causa proponeretur coram S. C. C. oeconomice ac sine strepitu iudicii cum voto tamen Theologi et Canonistae atque animadversionibus Defensoris ex officio, prouti hae causae apud Sanctam Sedem oeconomice pertractari solent.

Disceptatio synoptica.

Votum Canonistae. — Canonista facta historica causae expositione animadvertit, praesentem quaestionem sub duplici ratione posse considerari, nempe sub ratione validitatis, idest an validum vel potius nullum iudicari deberet matrimonium ex capite impotentiae. Namque certum est in iure impotentiam antece-

(1) Si placet possunt recoli quae de testimonio septimae manus scripsi in *Vol. I. pag.* 412 *in adnotat.*

Digitized by Google

dentem, absolutam et perpetuam nullum reddere matrimonium. Vel sub ratione dispensationis a matrimonio dumtaxat rato quod validitatem supponit.

Verum, cum in praesenti themate dubitandi formula proposita esset quae secundam quaestionem tantum respiceret, omissa prima quaestione, de secunda Canonista disseruit.

Ad SSmum consulendum pro dispensatione petita duo esse probanda ait, idest probandum esse matrimonium mansisse ratum, et causas dispensationis concurrere. Primum autem probari debere, iuxta Auctores, Sanchez *l.* 7 *de imped. disp.* 108 *et* 109, per triennale experimentum, adiutorium septimae manus et inspectionem mulieris; et si vir neget, matrimonium septem testium ex eius parte non requiri, Sanchez *loc. cit.* Tamen cum experimentum triennale in his iudiciis in desuetudinem abierit, et ut dici solet *ab aula recessit,* sufficere testimonium septimae manus et inspectionem praedictam. Verum in praesenti themate suppetere etiam triennale experimentum ex annis praeteritis.

Cum autem uterque coniux in iudicio fassus esset matrimonium mansisse ratum; cum quatuordecim testes deposuissent coniuges esse omnino fide dignos, et matrimonium mansisse ratum se scivisse a medicis, a Patre mulieris, áb ipso Livio; cum honestae matronae et obstetrices conformes essent in testanda Caiae perfecta virginitate; et cum omnia haec iuramento essent firmata, Canonista primum caput plene probatum esse sentiebat.

Difficultatem autem petitam ex testimonio quinque Peritorum, qui deputati erant a Curia ad inspiciendum virum, repellebat Canonista, tum ex eo, quod in praesentia non ageretur de ferendo iudicio super matrimonii validitate aut nullitate, tum ex eo, quod consummationis defectus aliam possit habere causam, tum ex eo praesertim, quod in viris impotentiae causa saepe delitescat, de qua re Cocchi in *discept. physic. Anathom.* §. 4 cum caeteris tradit: « Licet externa configuratio inculpabilis sit, » non tamen excludit internum structurae vitium; nec obstat » dicere, quod sana adpareat externa configuratio, cum interius » vitiata pars delitescat. »

Ad secundum caput deveniens Canonista, idest ad causas dispensationis, animadvertit, primam dispensationis causam esse

Digitized by Google

ipsum dubium super viri potentia antecedenti absoluta et perpetua de qua testati erant tres priores Periti extraiudiciales, quod dubium cohaereret cum dubio validitatis matrimonii. Eo vel magis quod inter hos tres Peritos recenseretur Medicus familiae Livii quam duodeviginti ab hinc annis curaverat.

Dubium autem huiusmodi esse causam dispensationis, praesertim vero si accedat gravis animorum dissociatio, ostendebat pluribus exemplis, quae heic indicare expedit. In causa matrimonii agitata die 24 Aprilis 1859 agebatur de muliere integra reperta, et quamvis Periti virum validum iudicassent, tamen cum mulieris integritas dubitationem de relativa viri impotentia ingereret, cumque constaret de dissidiis animorumque alienatione, proposito dubio super validitate matrimonii, et altero super dispensatione, S. C. respondit: ad I. *Providebitur in secundo:* ad II. *Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias nisi consulta prius S. Congregatione.*

Item in alia causa Matrimonii agitata die 23 Septembris 1855, in qua Periti distinguentes frigiditatem ab impotentia, illam in viri exploratione adesse iudicarunt; impotentiam vero denegarunt. Cum mulier integra reperta esset, et incerta impotentia viri maneret, Curia iniuxit Coniugibus triennale experimentum. Verum, causa ad Sanctam Sedem delata, cum graves haberentur coniugum dissentiones, et incontinentiae periculum mulieri immineret, ad dubium: « an sit consulendum SSmo pro solutione » matrimonii rati et non consummati: » S. C. respondit: *Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.*

Item in causa matrimonii agitata die 26 Iunii 1858, quae propius attingit casum nostrum. Agebatur de muliere perfecta virginitate praedita ab Obstetricibus reperta; Periti tamen potentem virum iudicaverant, vel, si quae impotentia esse posset, eam tantummodo relativam edixerunt genitam potius ex infirmitate nervorum. Curia quae causam primo pertractavit, pronunciaverat: *Nullatenus constare de impotentia neque absoluta neque relativa,* proindeque triennale experimentum indixerat. Causa deveniente ad S. Sedem, nil aliud pro dispensatione adducebatur, quam impotentiae dubium ab uxoris virginitate derivans, et animorum alienatio. S. Congregatio tamen ad dubium

Digitized by Google

super nullitate rescripsit: *Providebitur in secundo:* ad alterum super dispensatione rescripsit: *Affirmative*.

Quin imo in causis difficilioribus, in quibus defuit inspectio mulieris, de cuius integritate seu non consummatione matrimonii ex aliis adiunctis constaret, ob gravem animorum alienationem et incontinentiae periculum S. C. censuit consulendum SSmo pro solutione, ut in causa matrimonii die 28 Martii 1857 et 26 Iunii 1858, in qua vir nobilis uxorem maritali officio constanter repugnantem expertus fuerat, eamque graviter ferre coeperat: sex menses in eadem domo coniuges transegerant seorsim cubantes; physicum examen mulieris institui non potuerat, quia illa mordicus recusavit.

Caeterum de causis quae in nostro themate pro solutione militarent, eas accurate Ordinarius sic descripserat: « Causae autem quae militant pro obtinenda gratia ex parte Oratorum » sunt plures. Imprimis uterque coniux iuvenis est, uxor prae- » sertim quae viginti et unum aetatis annum habet, cumque » difficillimum esset se continere ac castam vitam ducere si co- » habitare deberet cum viro adhuc iuvene. Eo magis huius- » modi consortium arduum fieret ob vehementem repugnantiam » ab uxore conceptam, quam ipsa insuperabilem dicit contra » virum qui etsi bonus, frigido tamen charactere pollet, neque » uxoris dilectionem fovere debitis modis unquam studuit. Pe- » riculosum insuper fieret eorum consortium, quia timendum » esset ne uxor conditionis suae pertaesa iterum operam nava- » ret rei vetitae ad breviorem vitam suam reddendam. Si prae- » terea perpenditur infelix status uxoris, quae rei matrimonia- » lis ignara omnigenam sui corporis potestatem viro suo fece- » rat, dolor patris uxoris, qui invitus indulsit matrimonio filiae » suae cum praefato viro, atque multa etiam nunc patitur ob » incertam eiusdem conditionem eo quod vir... alio se contulit » cum animo ibi remanendi ne probro, sicut ipse dictitabat, » exponeretur; si demum in parva urbe civium dicteria consi- » derentur, qui iam impotentiae mariti a medicis assertae per- » suasionem nacti sunt... preces Oratorum haud repellendas » esse censui. »

Post haec, votum Theologi omittimus, qui argumentorum robore in eamdem sententiam devenit.

*

Animadversiones defensoris. — Defensor vinculi matrimonialis ex officio deputatus, duo praesertim favore matrimonii animadvertit, primum est, virum potentem esse iudicandum: namque optimi periti a Curia deputati, eum potentem absque dubitatione iudicarunt, saltem ad mulierem foecundam reddendam absque laesione: quod si antea tres periti secus iudicarunt, id adscripsit Defensor temporis diversitati, ita ut impotens vir id temporis appareret ob causas extrinsecas et accidentales, quibus causis remotis, validum potentemque apparuisse.

Hisce autem positis, cum integritas mulieris non semper sit signum matrimonii non consummati, non constare concludebat matrimonium mansisse ratum. Stante autem dubio de matrimonii consummatione, matrimonium solvi non posse: ideoque superfluam remanere inquiebat disquisitionem super dispensationis causis: quas tamen in praesenti themate deesse indicabat, cum de coniugibus ageretur, qui sese amore semper prosecuti fuerant, ideoque postremam mulieris mobilitatem esse auctoritate coercendam, ut in suo contineretur officio.

Dubium.

« An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matri-
» monio rato et non consummato in casu.»

Resolutio. — S. Congregatio Concilii, causa discussa die 18 Iulii 1868, respondere censuit: *Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.*

Ex quibus colliges:

I. Praetermissa quaestione super nullitate matrimonii ex causa impotentiae, ad solvendum matrimonium ratum duo esse demonstranda, idest matrimonium mansisse ratum dumtaxat, et causas illud dissolvendi concurrere.

II. Primum ostendi solere per integritatem in muliere repertam et indicia impotentiae in viro, addito etiam testimonio propinquorum vel vicinorum, qui de sua credulitate id confirment (1).

(1) Tum ex hac causa tum praecipue ex aliis, non videtur S. Congregatio magno in pretio habere in huiusmodi quaestionibus doctrinam, quam aetate prae-

Digitized by Google

III. Causas dissolvendi matrimonii rati esse solere dubium de matrimonii validitate ex coniugis impotentia, addita gravi animorum dissociatione.

sertim nostra artis medicae Periti tradunt de possibilitate consummandi matrimonium integra etiam muliere manente.

Fortasse dices: admissa hac possibilitate, constare non posse, matrimonium mansisse tantum ratum.

Respondeo 1, criterium ad iudicandum matrimonium consummatum desumi ex verbis: *una caro*. Quis autem est ex arti medicae Peritis, qui definire possit, quid sufficiat ut coniuges una caro facti censeantur theologico sensu?

Respondeo 2, praxim constantem Ecclesiae fuisse, tunc habendi matrimonium non consummatum, quando ex adiunctis sive physicis sive moralibus constaret, matrimonium iuxta communem naturae ordinem perfici non potuisse; unde, sine physica inspectione, Ecclesia admisit etiam triennale experimentum tanquam phisicum et sufficiens probationis argumentum. Cum autem haec sit constans Ecclesiae praxis eadem est habenda loco legis definientis eorum verborum theologicum sensum: *una caro*.

Digitized by Google

Die 1 Februarii 1868.

Summaria precum. Anno 1861 ventilata fuerat haec causa matrimonialis ex capite impotentiae inter quamdam uxorem eiusdemque virum, qui ex praedefuncta uxore septem iam filios susceperat, et propositis S. C. C. dubiis: I. « An constet de nul» litate matrimonii in casu: et quatenus negative: II. an sit con» sulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non con» summati » S. Congregatio respondit: ad I. *Providebitur in secundo:* ad II. *Affirmative, vetito* (viro N.) *transitu ad alias nuptias nisi consulta prius S. Congregatione.* Atque in Congregatione diei 17 Aprilis sequentis Resolutio fuerat confirmata per Rescriptum: *In decisis, et amplius:* atque SSmus D. N. iuxta S. Congregationis consilium matrimonium dissolvit ac Litteras Apostolicas in forma Brevis expediri mandavit.

Cum autem vir deinde preces renovaret ut contrahere posset cum alia quavis muliere, rogatus fuit Ordinarius, ut servata forma Benedictinae Constitutionis, *Dei miseratione,* referret super Oratoris potentia, transmissis artis medicae Peritorum testimoniis.

Ordinarius confecto in sua Curia processu super actuali statu Oratoris, acceptisque medicorum relationibus, expletisque opportunis interrogatoriis, acta omnia ad S. Congregationem remisit, nihil reputans adiungendum vel detrahendum Peritorum sententiis super asserta Oratoris potentia.

Tres Periti a Curia deputati, fassi sunt unanimiter viri potentiam ex multis indiciis in viro repertis, non excludebant temporaneam dumtaxat impotentiae possibilitatem ex causis moralibus nervorumque perturbatione derivantem.

Animadversiones ex officio. — Inter caetera quae ex officio recolebantur, haec ad rem nostram scitu digna sunt: idest ex disciplina S. Congregationis receptum esse, ut in huiusmodi veniae Rescriptis, ordinarie apponatur clausula: *cum vidua tantum,* ceu in causa huius generis agitata die 23 Aprilis 1842, et in altera diei 24 Septembris 1864: non deesse vero nonnulla exem-

Digitized by Google

pla, in quibus novis deductionibus perpensis, S. Congregatio eam limitationem omiserit, ceu factum fuisse die 12 Novembris anno 1855, ex Audientia SSmi, cum quodam viro per sequens Rescriptum: *Scribatur Episcopo pro relaxatione status liberi favore* (N. N.) *servatis caeteroquin servandis quoad huiusmodi relaxationes.*

Rescriptum. — S. Congregatio Concilii, perpensis novis deductionibus die 1 Februarii 1868, respondere censuit: *Affirmative cum vidua.*

IMMISSIONIS ET EXPULSIONIS.

Die 18 Iulii 1868.

Compendium facti. Pia ac dives mulier vidua di Marco, anno 1647 suo Testamento Cappellaniam mere laicalem ad nutum amovibilem fundavit, hanc legem edicens, ut ex suis bonis dicta Cappellania erigeretur *ad quam eligi deberet Cappellanus amovibilis ad nutum a domino Arcangeli et ab Angelo di Marco eorumdemque haeredibus et successoribus, exclusis ab eligendo foeminis si masculi haberentur, quibus non extantibus, foeminae quoque nominare possent.*

Arcangeli erat consobrinus piae viduae, Angelus di Marco autem erat eiusdem mulieris germanus frater.

Quid in nominationibus Cappellaniae evenerit ab anno 1647 usque ad annum 1794 delitescit. Videtur tamen familia Arcangeli nunquam iuspatronatus exercuisse, cuius familiae vestigium nullum a duobus abhinc saeculis fuit repertum.

Verumtamen dicto anno 1794 Agata di Marco, unica susperstes ex gente di Marco, suo testamento dictum iuspatronatus cum universa sua haereditate reliquit filiae suae Franciscae nuptae Camillo M: alteri vero filiae Mariae nomine nuptae Iosepho V. praeter dotem etc. attribuit fundum quemdam, et ita ut nil aliud praeter adsignata bona exigere potuisset.

Digitized by Google

Francisca haereditaria manutenere perrexit in possessione Cappellaniae filium suum Xaverium M: id enim expresse praescripserat Testatrix in testamento, si tamen Xaverius viam ecclesiasticam prosequeretur, qui dein mortuus est anno 1800. Ab hoc anno Cappellaniam possedit alter Franciscae filius Iulianus M. Hic autem anno 1817 Cappellaniam relinquens, ad eam nominasse dicitur filium suum Camillum Clericum, qui per acta publici Tabellionis vi paternae nominationis veram et realem possessionem capere curavit. Postea Camillus uxorem accepit ex qua tres habuit filios et laicalem Cappellaniam retinuit, sicuti et pater eius retinuerat.

Anno 1865 idem Camillus M. in possessione Cappellaniae fuit exturbatus; namque insurrexerunt descendentes ex alia filia di Marco, nomine Mariae, quae ut dixi, nupserat Iosepho V. Hi descendentes coram episcopali Curia postularunt possessionem bonorum Cappellaniae expulso Camillo M. tamquam illegitimo possessore eoque damnato ad fructum restitutionem.

Contestata lite, tres descendentes V. tres exhibuerunt nominationes pro Iosepho V. qui et seipsum nominavit accedens tribus nominationibus de se factis.

Discussis partium iuribus, Vicarius Generalis sententiam tulit, qua admisit instantiam descendentium V. favore Iosephi V. expulso Camillo M. et fructus reservavit liquidandos in alio iudicio.

Ex appellatione a Camillo interposita causa devenit ad S. C. C.

Disceptatio synoptica.

Defensio Camilli M.—Camilli Orator validitatem sententiae a Curia emissae initio impugnavit ob irregularitatem actorum, sed hac parte disceptationis praetermissa, ad causae meritum deveniens quaestionem pertractavit in *possessorio* et in *petitorio* (1).

Quoad possessorium iudicium, praemisso principio ex celebri textu *Cap. Consultationibus. De iure Patron.* ubi sic legitur: *Si aliquis Clericus ab ordinario iudice in ecclesia fuerit institutus ad praesentationem illius, qui eiusdem ecclesiae credebatur esse patronus, et postea iuspatronatus alius evicerit in iudicio, institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri, si tempore praesentationis*

(1) Incidit occasio loquendi de iudicio possessorio et petitorio in *Vol. II p.* 507.

Digitized by Google

suae, ille qui eum praesentavit, iuspatronatus ecclesiae possidebat, cum ex hoc ei, qui de iure debet habere, nullum in posterum praeiudicium generetur. Si vero non possidebat, sed tantum credebatur esse patronus, cum non esset, poterit ab eadem ecclesia, removeri: sic arguebat Orator: Iulianus ex morte fratris Cappellaniam possedit, eamque dereliquit, atque illi suffecit filium suum Camillum, qui per acta publici Tabellionis possessionem Cappellaniae cepit atque hactenus per longum annorum spatium retinuit. Hi omnes tamquam Patroni haereditarii et nominarunt et Capellaniam possederunt: quare et si modo descendentes ex altera linea ostendere possent iuspatronatus sibi etiam pertinere, non potuisset praesens Cappellanus Camillus e sua possessione exturbari. Accedit, quod etsi a Patre nominatus non supponeretur, ipse iure proprio se posset defendere in possessione. Hoc autem ostendere curabat Orator per doctrinam, quae afferri solet, quando aliquis passive vocatus ad aliquod Beneficium, non nominetur: quo casu traditur, sine nominatione passive vocatum immitti debere in Beneficium ex voluntate fundatoris, qui eum vocasse et nominasse censetur, Pitonius *de Contr. Patr. alleg.* 1 *n.* 4. Ac variis Auctorum sententiis sub uno alteroque adspectu haec omnia Orator exornavit.

Deveniens autem ad disceptandam quaestionem in petitorio, relatis verbis viduae fundatricis, contendebat, iuspatronatus esse dumtaxat haereditarium non vero mixtum: namque per verba *haeredes et successores*, iuspatronatus connexum esse inquiebat cum sola haereditate, ita ut successores quidem essent Patroni, sed successores Bonorum. Eo vel magis, quod in eadem fundationis lege deessent verba in *perpetuum, in infinitum,* ex quibus argui solet iuspatronatus gentilitium vel mixtum; quod deessent verba *familiae, agnationis, descendentiae,* etc. quod particula *et,* haeredes *et* successores esset non copulativa sed ampliativa, quatenus vero non tantum intelligendi essent successores qui sanguine coniungerentur, sed qui ex alia quavis causa succederent.

Haec autem variis coniecturis ex testamento fundatricis petitis confirmare curabat.

Ad removendam difficultatem, quasi vero Testatrix desiderium coleret conservandae agnationis, observabat, Testatricem

Digitized by Google

vocasse ad iuspatronatus non solum fratrem germanum; sed etiam simplicem consobrinum, exclusisse quidem foeminas sed si masculi extarent, quae quidem agnationem non conservant, ceu S. Rota arguit in *Romana Beneficii S. Laurentii in Damaso die* 6 *Februarii* 1668 *coram Caccia:* ibi: « eoque facilius, attenta » vocatione foeminarum post masculos; cum enim ipsae agna- » tionem non conservent, huiusmodi vocatio facilius suadet, ius- » patronatus non esse agnatitium, sed potius haereditarium. »

Item Gratianus *Discept. forens. disc.* 578 *n.* 6: « Cum prae- » sertim ex multis praesentationibus in actis productis, quae » fuerunt sortitae effectum, appareat patronos praesentasse no- » mine haereditario, et foeminas etiam admissas fuisse ad prae- » sentandum una cum earum descendentibus, ex quibus colli- » gitur, iuspatronatus esse haereditarium. »

Itaque cum in praesenti themate, alia familia extincta, ius-patronatus coaluerit in familiam di Marco, cumque Agata di Marco anno 1794 unica et sola descendens esset ex ea familia eam, de iurepatronatus cum sua haereditate disponere potuisse, quem-admodum reapse disposuit, illud relinquens filiae Franciscae nuptae Camillo M. cui propterea iniunxisse, ut Xaverium eius filium a se antea nominatum manuteneret in possessione Cappellaniae si in ecclesiastica militia perseveraret; alteri vero filiae haere-ditatis partem tantum reliquisse, ita ut nihil amplius praeter adsignata bona exigere potuisset.

Quin imo etiam in hypothesi iurispatronatus gentilitii vel mixti, exausta descendentia, in ultimo superstite iuspatronatus evadere haereditarium ex recepta Ancharani doctrina. Agatam vero fuisse unicam superstitem familiae di Marco, proindeque per eius testamentum evasisse haereditarium.

Eo vel magis, quod longo annorum intervallo plus quam sufficiens ad praescribendum, familiam M. iure haereditario dumtaxat exercuisse iuspatronatus, quin adversarii V. unquam contradicerent.

Facta autem hypothesi, qua iuspatronatus post Agatam per-venisset ad utramque eius filiam pari iure, ideoque considerari velit ceu mixtum lineale, ample contendebat, patronatus ius divisum fuisse in duas lineas, quae venirent non in *capita* sed in *stirpes*, ita ut unicam vocem repraesentaret familia M. alte-

Digitized by Google

ram vero familia V. nulla consideratione habita numeri singulorum de utraque familia, ut ex *Clementina, Plures, de Iure Patron.* Card. De Luca *disc.* 61 *de Iure Patron.* aliisque. Ex quibus concludebat, licet centum essent nominantes patroni ex familia V. nonnisi unam vocem constituere posse; et Camillum M. licet unicus, alteram vocem constituere suam familiam repraesentantem, ideoque a sua possessione exturbari non posse, cum pares vires collidantur.

Defensio descendentium V. — Orator descendentium ex familia V. contendit, iuspatronatus non esse haereditarium sed mixtum, ita ut illi ius nominandi haberent, qui haeredes essent legitimi habitu, quamvis actu non haberent haereditatem: id que ostendebat ex verbis: *haeredes et successores.* Idque confirmabat ex eo quod Testatrix masculos vocaverit usque dum adessent, quo agnationi prospicere voluisse inquiebat. Eo vel magis, quod foeminae ad nominandum fuerint, invitatae, quando masculina linea defecisset: idque indicare indolem mixtam iurispatronatus, S. Rota passim, et nominatim in *Decis.* 248 §. 2 *Coram Tanario.*

In restrictu, ut appellari solet, responsionis contendit, a Testatrice vocatas quidem fuisse duas familias, sed coniunctim, non disiunctim, quo in casu iuspatronatus cum non sit divisum, nunquam haereditarium evadere, iuxta ea quae perpendit S. Rota in *Calven. Beneficii coram Elephantutio* 16 Febr. 1753 *num.* 24: « Qualitatem gentilitiam vel mixtam impugnare amplius non va- » lentes scribentes, praesidium statuebant, quod saltem pro dua- » bus vocibus ab initio relictis Fabio et Francisco illud haere- » ditarium evaserit in Gaspare Ronconio ultimo ex descendenti- » bus. Verumtamen assumptum hoc recte procederet ubi fundator » distinxisset in primis designatis patronis eorumque descenden- » tibus lineam unius a linea alterius secundum speciem de qua » loquuntur auctoritates adductae. Secus vero ubi, nulla facta » distinctione linearum, fundator ipse re ac verbis coniunxit non » tam tres primos stipites, quam eorum haeredes et descenden- » tes. In his quippe terminis omnes in unum corpus redacti, » atque ad instar collegii vocati dicuntur, ita ut defectis unius » vel alterius stipitis descendentibus, iuspatronatus per ius ac- » crescendi seu non decrescendi totum coalescat in illius descen-

Digitized by Google

» dentibus, qui supersunt ex corpore illorum de sanguine colle-» gialiter vocatorum. »

Porro, consideravit Orator, duas familias ab initio in solidum fuisse vocatas eorumque haeredes et successores: ideoque integrum iuspatronatus mansisse in descendentes superstites ex familiis vocatis: neque ab Agata ultima superstite di Marco potuisse haereditarium fieri, cum mixtum iuspatronatus non exigat actu haeredes universales, sed eos qui habitu succedant: nec descendentes V. iure patronatus gaudere vi testamenti Agatae, sed illud habere iure proprio, vi testamenti institutricis.

Neque in praesenti themate locum habuisse praescriptionem, cum una tantum vice familia V. non nominasset: Iulius enim M. fuerat dumtaxat Cappellaniae possessor absque ulla nominatione. Quare unicam nominationem superesse inquiebat, cuius vi Camillus Cappellaniam possidebat, quam quidem nominationem Orator infirmabat pluribus de causis.

Hisce aliisque disputatis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo sententia Curiae episcopalis sit confirmanda » vel infirmanda in casu?»

Resolutio. — S. Congregatio causa discussa in comitiis habitis die 18 Iulii 1868 respondere censuit: *sententiam esse confirmandam, et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Cappellaniam laicalem, quae ex verbis fundationis qualitatem saltem clericalem exigat, non posse a Clerico possideri, qui derelicta clericali militia uxorem ducat.

II. Neque eidem suffragari posse longaevam possessionem, quamvis pacifica possessio idonea sit ad supplendum tituli defectum.

III. In praesenti causa iuspatronatus fuisse mixtum, quod ad omnes pertinebat descendentes, qui habitu saltem essent legitimi haeredes ex vocatis primis familiis.

IV. Quare nominatione legitime facta a patronis, excludi a Cappellania debuisse Cappellanum possessorem ad eam possidendam inhabilem, novumque nominatim suffici.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

DECRETI S. VISITATIONIS ET RETENTIONIS.

Die 18 Septembris 1868.

Compendium facti. Praebenda archipresbyteralis cum cura animarum extat in oppido N., quae gravatur nonnullis annuis Missis. Eidem Praebendae accesserunt postea septem pia legata pro Missis pariter quotannis celebrandis ab Archipresbytero. Eiusmodi pia Missarum legata pedetentim supervenientia consistebant fere omnia in parva pecuniae vi, quae soluta fuit ecclesiae illi archipresbyterali ut investiretur, utque inde Archipresbyter annuos fructus perciperet pro statutis Missis celebrandis; reapse pecunia singulorum legatorum investita est in censibus fructiferis. Non constat, an inscriptae fuerint pro singulis fundis censitis hypothecae ad securitatem eorumdem censuum.

Vacante ea archipresbyterali Praebenda, eidem suffectus canonice fuit Titius, qui eamdem possedit novem annos. Quo tempore expleto eam renunciavit in manibus Romani Pontificis, cum reservatione duplicis pensionis, idest cum reservatione scut. 20 super dicta Praebenda, et scut. 24 super quadam paroecia. Haec renunciatio cum dictis pensionibus fuit admissa, dictasque pensiones, interveniente Curiae episcopalis auctoritate, loco sacri Patrimonii Titius sibi substituit. Ea enim in dioecesi satis est ad patrimonium sacrum constituendum fructuus annuus scut. 36.

Petiit postea Titius ab Episcopo, ut se transferre posset in aliam dioecesim ut sibi prospiceret inquirendo aliquod officium vel Beneficium. Sed Episcopus veniam non dedit, donec non constaret onera archipresbyteralia fuisse impleta. Titius sine mora, promisit se esse refecturum suis sumptibus quidquid resultaret non recte a se gestum in munere iam dimisso obeundo; atque ita in aliam dioecesim transiit novum officium parochiale obiturus.

Digitized by Google

Episcopus anno sequenti sacram visitationem peragens reperit, ex Missarum legatis quae erant a Titio celebrandae, adhuc celebrandas superesse 532, ideoque decrevit, ut Titius intra tres menses eleemosynas earumdem Missarum in Cancellaria episcopali solveret, aut iustas legitimasque causas afferret de Missis non celebratis: nova praeterea iniunctione, Episcopus certiorem Titium fecit, se sequestrum esse impositurum pensioni si intra mensem documenta non exhiberet celebrationum.

Titius se excusavit asserendo moram aut paupertatem eorum qui legata Missarum solvere deberent pro celebratione; nec non carentiam titulorum ad eos debitores cogendos in iudicio ut solverent.

Sed eas rationes Episcopus non admisit, cum viderentur esse potius causae ad obtinendam aliquam condonationem a S. Sede, non vero ad tollendam obligationem. Denique Titius S. Congregationi preces admovit, atque deinde institit ut quaestio iuridice definiretur.

Episcopus in nova informatione retulit, re melius expensa, repertas esse Missas 386 non celebratas.

Disceptatio synoptica.

Defensio Titii. — Titius per suum Defensorem contendebat se non teneri ad eas celebrationes omissas, cum obligatio certa non esset nec sperabilis nec certa eleemosynarum solutio: neque posse pensionem sequestrari, cum illa pensio suum patrimonium sacrum constitueret, nec aliunde haberet in praesentia unde congrue viveret, cum profugus esset a nova dioecesi ob iustas causas ab Episcopo recognitas, ita ut ab eodem Episcopo commendatus Romae nunc degeret.

Ut primum hujus quaestionis caput Titii Orator ostenderet, animadvertebat cum Amostazo *De causis piis l. 2 c. 7*, anniversarium Missarum consistere in *Missis quotannis dicendis et applicandis pro voluntate fundatoris certo redditu vel stipendio assignato*. Ex qua definitione eruebat, esse essentialem characterem anniversarii certitudinem redditus seu stipendii a fundatore statuti pro celebrante: nec operarium quemvis teneri ad suam operam certam positivam et utilem praestandam in incertitudine retributionis ab eo habendae cui rem utilem gerat. Dignum

enim esse operarium mercede sua. Sacerdotem autem operarium esse in vinea Domini et non quidem ratione operis operati, sed ratione suae operae praestitae posse ad sustentationem stipendium exigere.

Sed praeterea hac ratione disseruit Orator: anniversaria Missarum duplici modo fundari; idest vel fundator relinquit loco pio fundos, ut ex redditibus Missae celebrentur, vel iniungit suis haeredibus universalibus ut quotannis celebrare faciant aliquem Missarum numerum adsignato aliquo fundo. In primo casu locus pius seu ecclesia possessionem fundorum capit atque proprietaria evadit, ideoque ecclesia et per eam Sacerdos usufruitur dote anniversarii et Missarum celebrationi facit satis. In altero casu haeres universalis fundorum possessor gravatur pio onere anniversarii, qui solvere debet eleemosynam certam atque determinatam celebranti. Hanc distinctionem sic innuit Amostazo *loc. cit. n.* 6: « Fundantur dupliciter anniversaria, nempe quando aliqua » bona stabilia relinquuntur, quorum redditus seu fructus in » dicendis Missis per singulos annos ab aliquo patrono exhau» riuntur. Aliter vero, quando fundus aut aliqua bona stabilia » cum onere Missarum quotannis dicendarum alicui a fundatore » conceduntur aut relinquuntur. Et quoad primum advertendum, » aliquoties bona concedi ecclesiae aut monasterio cum onere » Missarum quotannis dicendarum. »

Porro in priori casu concedebat Orator ecclesiam ad satisfacienda onera teneri; neque posse opponere incertitudinem reddituum aut minorem fructuum ubertatem aut haeredum mendicitatem, aut titulorum carentiam, cum fundos perpetuo possideat et fructibus usufruatur ad satisfacienda onera: et ad Episcopum pertinere tanquam piae voluntatis exsecutorem cogere Sacerdotem possessorem in sacra visitatione ad onera implenda, et ad sequestrationem fructuum devenire.

Quod si ea de causa Missae celebratae non fuerint, quia imminuti sint redditus fundorum quos ecclesia aut Sacerdos possidet titulo anniversariorum, tunc statutum fuisse a Concilio Tridentino *sess.* 25 *cap.* 4 *de Refor.* ut peti possit a S. Sede *in levamen ecclesiarum* aliqua Missarum reductio dummodo imminutio reddituum sit perpetua; de qua re sic docet Pax Iordanus, *Lucubrat. l.* 4 *tit.* 1 *de Sacrific. Missae n.* 395, «Ut reductio

Digitized by Google

» fieri nequeat, quando relictorum diminutio non perpetua, sed » temporanea sit v. g. si ex fructibus alicuius fundi celebrandae » sunt annuatim triginta Missae, quamvis hoc anno tot fructus » non percipientur ex eo, si pro aliis percipi soleant, et quan- » doque abundant, compensandi erunt anni steriles cum fertilibus, » non autem deveniendum ad moderationem: sed si damnifica- » tio perpetua, quia fundus propter deteriorationem non redde- » ret amplius tot fructus, vel Missarum eleemosyna esset alte- » rata, tunc utique deveniendum esset ad moderationem. »

Quin imo pereunte ex integro fundo sine culpa aut dolo possessoris, Doctores sequentia docere: Pelizzarius, *Resolutionum tit.* 2 *tract.* 6. « Quaeres an Regulares pereunte fundo pro Mis- » sis relicto adhuc teneantur celebrare Missas ex tali legato de- » bitas? Respondeo non teneri, sed posse omnino omittere ce- » lebrationem talium Missarum, et quidem propria auctoritate, » tum quia Beneficium datur propter officium, adeoque cessante » Beneficio, aequum est, ut cesset et officium. » Item Vieustner *Instit. Canon. l.* 2 « Et quidem, si pro quarumdam Missarum ce- » lebratione relicta, nulla ipsius Ecclesiae, vel Monasterii, sive » Praelati et Capituli seu Conventus culpa ex toto periisse, aut » ea ablata aut alio aversa esse, ac proinde illorum intuitu nihil » percipi certo constaret, eorum celebrandarum onere Ecclesiam, » vel Monasterium liberari, ut Missae anniversaria omitti pos- » sint; quia cessante Beneficio, aequum est ut cesset officium. »

Aliud autem esse dicendum quando anniversariorum fundatio secundo modo superius dicto fiat. Hoc enim in casu anniversa- rium esse legatum pium quod implere quotannis teneantur hae- redes, et possessores fundorum haereditatis, qui decerpere de- bent proventum certum illumque conferre Sacerdoti a Testatore pro tempore designato: quo in casu Sacerdotem designatum, cum fundos non possideat, esse operarium qui suam operam praestat pro anima defuncti, quando haeres, qui teneatur, compensationem tutam promptamque reddit seu eleemosynam a Curia vel Testa- tore determinatam, de qua re Amostazo *loc. cit. n.* 18: « Alter » modus efficiendi anniversarium ut quando alicui bona relin- » quuntur cum onere Missarum quotannis celebrandarum pro » sua anima aut aliorum: quae quidem bona profana et laicalia » relinquuntur *(seu permanent)*, nec enim aliud habent nisi onus

Digitized by Google

» Missarum quod salvum semper debet remanere. » Cum itaque haec bona remaneant laicalia iisdemque usufruatur haeres cui a Testatore onus fuit impositum Missas celebrare faciendi alicui Sacerdoti, iniuriam, inquiebat Orator, Sacerdotem non facere Testatori, quoties Missas non celebret, sive quia non habeat certum argumentum compensationis praescriptae eleemosynae, sive quia ipsi haeredes titulum solvendi impugnarent, sive quia ipsi in paupertatem redacti solvere non possint, sive quia fundi alienati in alios liberi devenerint, sive quia non devicti aliqua hypotheca in securitatem annuae solutionis. Hisce enim in casibus culpam esse non Sacerdotis, qui non celebrat, sed haeredis qui non fungitur munere suo a Testatore praescripto. Operarium autem, qui contractum non neget, bene posse abstinere ab operarum exsecutione ob mercedem non certam; de qua re Voet *ad Pandect. tit. locati n.* 7 « Pro usu vel operis merces constituenda eaque » *certa* vel *ab initio* vel ex *post facto.*»

Ne autem pia defunctorum voluntas defraudetur, animadvertit Orator, officium esse Episcopi, qui exsecutor est piarum voluntatum, procedendi non quidem contra Sacerdotem, sed contra haeredes ad eos legitime cogendos ut impleant pia onera; de qua re Pax Iordanus *loc. cit. n.* 11: « Quando onus esset impositum haeredi celebrare faciendi tot Missas annuatim, praecipue » si eidem et alia essent iniuncta, veluti dandi eleemosynas pauperibus, aut quid simile, tunc enim compellendus est haeres et » haereditas si adsint ad subeundum onus: non autem moderandum erit, quia concilium respexit ad ecclesias et ipsarum levamen, nec non ad refrigerium defunctorum; non autem ad » haeredes, ita colligitur ex Card. Bellarmino in declarat. ad » dict. cap. 4 Tridentini. »

Quin imo temporis lapsu consultum ab Ecclesia esse, ut Curiae episcopales vigilarent etiam ad onera pia reali firmitate tutanda. Officium enim esse Curiae possidendi, inquirendi titulos piarum voluntatum, referendi in Tabellam Missas anniversarias iuxta Concilium Romanum sub Benedicto XIII., curandi implementum adversus haeredes, tutandi pium legatum vinculo hypothecario illud inscribendo in regestis publicis.

Haec in iure animadversa applicabat Orator ad factum, inquiens, Episcopum se gessisse iuxta normam qua se gerere de-

Digitized by Google

buisset si de anniversariis primo modo fundatis ageretur; asseruit autem idem Orator in praesenti themate agi de anniversariis secundo modo fundatis, atque defensionem suam prosequebatur, indicando difficultates obtinendi solutionem legatorum; quas quidem difficultates, tum Praedecessores Titii experti essent, tum praesens Archipresbyter experiretur, ita ut nec hic anniversarias Missas celebrare intenderet.

Ad secundum quaestionis caput deveniens Orator, animadvertebat, non posse sequestrum imponi super Titii bonis, tum quia de certa obligatione eas Missas celebrandi non constaret, tum quia sequestrum imponi non posset super bonis sacri patrimonii.

Ad ostendendam secundam hanc rationem recolebat dispositionem Tridentinam *Cap. 2 sess. 21 de Refor.* nec non encyclicas Litteras Innocentii XI. diei 3 Martii 1679, quas refert Ferraris *Biblioth. can. verbo : Patrimonium sacrum n.* 4 in quibus fuit statutum: « *Venditio, hypothecatio, extinctio Patrimonii vel pensionis subsequens promotionem est invalida, quia dictio illa Concilii-Nullatenus possint-importat nullitatem actus ipso iure. Nec tandem obligari possunt bona patrimonii, adeo ut si forte accidat, ut debitum solvendum sit, nulla fieri exsecutio poterit nisi supra eorum bonorum partem quae alimentis Ordinati supersit.* « Cui consonat Barbosa caeterique auctores.

Animadvertebat autem pensionem scutat. 44 adeo tenuem esse, praesertim Titio Sacerdoti senescenti et e loco suae residentiae profugo ut nullimode sufficere posset ad eiusdem sustentationem.

Animadversiones ex officio. Ex officio e contrario haec sunt animadversa : admissa distinctione fundationis anniversariorum supra descripta, observabatur, Missas de quibus agimus pertinere potius ad primum legatorum genus quam ad secundum. Ostendebatur enim singula Missarum legata vel constitisse in bonis stabilibus a Fundatoribus concessa Praebendae archipresbyterali, vel in pecunia soluta, ac investita ab Archipresbytero pro tempore in censibus fructiferis, ita ut ecclesia archipresbyteralis esset legataria obligata ad celebrationem Missarum. Eam namque ecclesiam acceptatione legatorum et donationum contraxisse seu quasi contraxisse; et sicut fundator aut haeres pecuniae vel rei traditione fecerat satis integrae suae obligationi, ita eumdem fundatorem acquisivisse ius absolutum et perpetuum ut onera ex parte eccle-

Digitized by Google

siae adimplerentur, quae quidem, acquisito dominio rei legatae vel donatae, haberet etiam exclusive administrationem, ita ut sibi assumeret et commodum et incommodum seu periculum. De qua re Amostazo *de Causis piis l.* 2. *c.* 8 *n.* 53: « Si pereat » fundus aut quantitas antequam fundus emetur, tunc haeres » ad nihil tenetur, quia ad nihil aliud tenebatur, nisi ad tra- » dendam quantitatem: » et *n.* 53: « Haeres est tantum debitor » speciei, quam cum iam legatario tradiderit, liberatus est, et » insimul periit periculo legatarii.»

Quare etsi debitores ecclesiae archipresbyteralis obaerati essent, aut tituli deessent ad redditus in iudicio exigendos, id non liberare ecclesiam ab obligatione erga fundatores qui onus administrationis in ecclesiam acceptantem legatum reliquerunt. Quod si redditus solvi a debitoribus obtinerique non possent, nulla interveniente culpa aut dolo ex parte ecclesiae, id constituere posse causam ad obtinendam reductionem seu absolutionem ab Apostolica Sede.

Post haec observabatur, in praesenti themate non satis demonstrari a Titio paupertatem debitorum, carentiam titulorum ad eos cogendos in iudicio etc. prout ab eo ostendi debuissent: id enim Titius asseruerat generica ratione loquendi. Quod si singuli tituli non extarent in archivio paroeciali, Episcopo teste, eos, extare in Cancellaria episcopali. Quae cum ita se haberent, recte Episcopum decrevisse Missarum celebrationem, cum illud in iure notum sit: *qui habet actionem censetur habere rem ipsam*. Quod si Creditor actione non utatur, qua uti debeat, eidem culpae negligentiaeque esse imputandam reddit. inexactionem.

Quin imo nonnulla notabantur in facto contra Titii assertiones; cum hic non satisfecisset legato cuidam quod in eius plena possessione erat; cum nonnulli debitores assererent se omnes redditus solvisse Titio; cum non omnino veritati consonum esset praedecessorem eiusque successorem non satisfecisse legatis.

Quoad alteram quaestionem adducebatur Resolutio S. C. C. anni 1604 *Lib.* 17 *Decretor. p.* 18, quae ita se habet: « *Neque in eiusmodi patrimonio, neque in eius fructibus ad Clericum alendum necessariis, exsecutioni locum esse posse. Licere autem capere in causa iudicati eam fructuum partem, quae quotannis su-*

Digitized by Google

peresset ultra eam, quae ad Ordinati sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, iudicis arbitratu fuerit necessaria.» Item supra allegatae Litterae encyclicae Innocentii XI. « *ut nulla fieri poterit exsecutio, nisi supra eorum bonorum partem, quae alimentis Ordinati supersit.»*

In dioecesi autem in qua vivere deberet Titius pro patrimonio sacro sufficientem reputari redditum annuum scutat. 36.

Dubia.

I. « An et quomodo sustineatur Decretum emissum in sacra » Visitatione in casu.

.» Et quatenus affirmative.

II. » An et quomodo sustineatur retentio super pensionibus » in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Episcoporum et Regularium causa discussa die 18 Septembris 1868 respondere censuit:

Ad I. *Affirmative pro Missis* 386 *ad formam novissimae informationis Episcopi: et ad mentem: mens est, quod Episcopus curet in tuto ponere singula pia legata.*

Ad II. *Affirmative pro summa excedente annua scutata* 36.

Ex quibus colliges:

I. Legata Missarum, in numerata pecunia consistentia, quae integre alicui ecclesiae sint soluta ut inde annuae Missae celebrentur, investienda esse ac in tuto ponenda, ut annuus redditus perpetuo et facile percipi possit.

II. Ex hac legatorum receptione exoriri quasi-contractum inter ecclesiam et testatorem seu benefactorem, quo ecclesia obligationem perpetuam assumit administrandi relicta bona, et satisfaciendi piae voluntati.

III. Quare a celebratione Missarum eamdem excusari non posse si redditus inde non percipiat sive ex sua negligentia, sive ex non recta legatorum administratione.

IV. Imminutos tamen redditus sine ecclesiae administrantis seu Sacerdotis negligentia posse exhibere causam reductionis ab Apostolica Sede obtinendae.

V. Colliges demum patrimonium sacrum pro singulis dioecesibus determinatum, non posse gravari onere solvendi aes alienum, ne Sacerdos in sui ordinis dedecus mendicare cogatur.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

ALBANEN. SEU PRIVERNEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS SERVI DEI

FR. DOMINICI ANTONII AB URBE

Sacerdotis Professi Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum.

DECRETUM. — « Sexto Idus Iunii Anni 1865 quum Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX. benigne indulserit ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Fr. Dominici Antonii ab Urbe Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum licet non elapso Decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, et scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis: subscriptus Cardinalis eidem Sacrae Congregationi Praefectus et Causae Relator ad instantiam R. Patr. Fr. Amedei ab Urbeveteri Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis, et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, attentis postulatoriis litteris plurium Virorum Ecclesiastica praesertim dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, sequens Dubium discutiendum proposuit nimirum « *An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*

»Et sacra Eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit « *Affirmative sive signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit*. Die 26 Septembris 1868.

Digitized by Google

» Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit, et confirmavit propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Fr. Dominici Antonii ab Urbe praedicti. Die 1 Octobris Anno eodem.»

C. Epis. Port. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.
Loco ✠ Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Delineatio vitae Servi Dei

Romae in paroecia S. Mariae transtyberim natus est Dei Servus ex piis honestisque parentibus Sebastiano Galli et Antonia Alberti anno 1746. In sacro fonte impositum eidem fuit Dominici nomen, quod in Religiosa Professione retinuit. Grandiusculus factus sacro chrismate fuit linitus. A sua pueritia semet obedientem exhibuit, et puerilia fastidiens in opera pietatis et literarum studium incubuit.

Adolescens factus impensius Deo inservire coepit, donec Religiosae Capuccinorum familiae nomen dedit. In ipso tyrocinio eiusmodi vitae rationem tenuit, ut ab eo tempore veluti perfectionis exemplar proponeretur. Plenis suffragiis ad Professionem religiosam admissus, ad sacros Ordines dein promotus est.

Sacerdotio initiatus ab Ordinis superioribus officium praedicandi suscepit, quod explevit cum ingenti animarum lucro praesertim in provincia Campaniae et Lanuvii. Commissum postea eidem fuit Confessarii munus, idque praestitit diligentia summa assiduitate et zelo non communi.

Inter christianas virtutes, quas singulari modo coluit, emicuit quammaxime virtus fidei, quae sese facile ostendebat ex fervore orationis, quam tunc intermisit, cum id exigeret obedientia, vel officium sacramentales confessiones audiendi. Quoties altare ad Missas celebraturus accederet, vultus eius visibiliter inflammatus apparebat.

Digitized by Google

Charismatis donisque praeternaturalibus fuit a Deo donatus: fama namque est multa praedixisse quae fideles impleri observarent: infirmos sanavisse: secreta cordium detexisse: in ecstasim interdum sublevatum fuisse.

Virtutum meritis cumulatus et fama Sanctitatis clarus, pectoris hydrope fortiter tolerata, Ecclesiae sacramentis rite munitus Cynthiani in Conventu sui Ordinis decessit die 27 Octobris 1813. Post obitum, funere persoluto, corpus eius non statim fuit sepulturae mandatum sed biduo vel triduo insepultum mansit ad satisfaciendum ingenti fidelium frequentiae et devotioni, qui persuasione Sanctitatis ducti reliquias eiusdem S. D. quammaxime sibi habere cupiebant. Haec ex Servi Dei vita.

Post brevem vitae enarrationem causae Procurator de more ad virtutes Servi Dei patefaciendas devenit, singillatim agens prius de virtutibus theologalibus, deinde cardinalibus, nec non de donis supernaturalibus, de fama sanctitatis in vita et post obitum.

Successerunt dein accuratissimae animadversiones R. P. D. Promotoris Fidei tum circa processum auctoritate ordinaria constructum, tum circa Sanctitatis famam ex eodem processu demonstrandam, nec non circa obstacula ad procedendum, ne deinde in formali causae discussione, causa sisteret. Atque inde responsiones Procuratoris de more subsequutae sunt.

Causa vero proposita in S. Congregatione SS. RR. Decretum prodiit, quod superius prostat.

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Fr. Michaelis Angeli a Sancto Francisco laici professi Ordinis Minorum strictioris observantiae Sancti Petri de Alcantera.

Decretum. — « Quum pridie Nonas Iulii Anni 1865 Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. clementer annuerit ut de Fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere Vener. Servi Dei Fr. Michaelis Angeli a Sancto Francisco Laici Professi Ordinis Minorum strictioris observantiae Sancti Petri de

Digitized by Google

Alcantera ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria absque interventu et voto Consultorum, instante R̃mo Patre Fr. Donato Antonio a Sacro Corde Iesu Procuratore Generali Ordinis memorati et Causae Postulatore; Em̃us et Rm̃us D. Cardinalis Prosper Caterini huius Causae Ponens sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, nimirum « *An constet de Validitate et Relevantia Processus Apostolici Neapoli constructi super Fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur?* Em̃i et Rm̃i Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuerunt: *Affirmative.* Die 26 Septembris 1868.

« Quibus per infrascriptum Secretarium relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 1 Octobris Anno eodem.»

C. Epis. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.
Loco ✠ Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

BERGOMEN. ET BRIXIEN.
SEU ORDINIS PRAEDICATORUM.

Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Gualae ex Ordine Praedicatorum Episcopo Brixiensi Beato nuncupato.

Decretum. — « Inter viros illos qui scientia et sanctitate conspicui saeculo XIII. Ecclesiam Dei illustrarunt merito accensendus est Servus Dei Guala ex Ordine Praedicatorum ac Brixiensis Episcopus. Hunc autem Dei Servum longe ante centenariam requisitam in suis Decretis a sa. me. Urbano Papa VIII. publicum et Ecclesiasticum Cultum obtinuisse, in eoque Cultu nun-

Digitized by Google

quam intermisso ad haec usque tempora perseverare probationibus et monumentis adeo perspicuis demonstrari posse censuit Rmus Pater Fr. Vincentius Aquarone Postulator Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Praedicatorum, ut de enunciati Cultus confirmatione apud hanc Sanctam Sedem Apostolicam agere minime dubitaverit. Votis itaque adhaerens, non solum enunciati Postulatoris, sed etiam Rmorum Episcoporum Bergomen. et Brixien. Emus et Rmus D. Cardinalis Alexander Barnabò huius causae relator in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis sequens Dubium discutiendum proposuit – *An constet de Cultu publico Ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praedicto Servo Dei seu de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII?* Emi vero ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi post accuratum omnium examen, audito etiam voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu Constare de casu excepto*. Die 26 Septembris 1868.

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavitque Cultum publicum et ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum Beato Gualae Confessori Episcopo Brixien. Die 1 Octobris Anno eodem. »

C. Episc. Port. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.
Loco ✠ Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Digitized by Google

ANDEGAVEN.

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Reginaldo Anachoritae Sancto nuncupato.

Quum Rmus D. Guillelmus Angebault Episcopus Andegavensis ex indubiis monumentis demonstrare adlaboraverit Servo Dei Reginaldo Anachoritae publicum et Ecclesiasticum Cultum ab immemorabili tempore ante centenariam a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII. requisitam tributum fuisse, eumque Cultum nunquam intermissum ad haec usque tempora perseverare, institeritque ut ab hac sancta Sede Apostolica idem Cultus confirmaretur, Emus et Rmus D. Card. Ioannes Baptista Pitra huius Causae Relator ad preces supradicti Rmi Domini Episcopi Andegavensis sequens dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum hodierna die ad Vaticanum habitis nimirum « *An constet de Cultu publico et Ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praedicto Servo Dei seu de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII?* » Emi vero ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi omnibus maturo examine perpensis, auditoque R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore voce et scripto sententiam suam preferente, rescribendum censuerunt: *Constare de casu excepto.* Die 26 Septembris 1868.

» Super quibus omnibus, facta postmodum per infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit confirmavitque Cultum publicum et Ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum Beato Reginaldo Anachoritae Confessori. Die 1 Octobris anno eodem.»

C. Ep. Port. et S. Ruffinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.
Loco ✠ Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

CAMERACEN.

Decretum.—« Nonnunquam accidit, praesertim Sac. Missionum tempore, ut cum Sacerdos ad id legitime deputatus scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, aliudve Fidelibus imponit, deficiant scapularia priusquam omnium fidelium votis satisfieri potuerit; hinc Superior domus Religiosae Missionariorum Societatis Mariae in civitate vulgo *Turcoim* nuncupata Archidioecesis Cameracensis humiliter supplicavit S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae pro sequentium dubiorum solutione.

I. » Utrum unum idemque scapulare semel benedictum valide possit pluribus per vicem imponi repetita solummodo super singulis receptionis sive impositionis formula?

II. » Utrum huiusmodi formula usurpari solita in actu impositionis scapularium, essentialis sit ut quis scapulare rite accepisse censeatur, iusque habeat ad indulgentias illud ferentibus concessas; an vero absque Indulgentiarum dispendio possit omitti, praesertim in morbo aliove urgenti casu?

III. » Ex Indulto S. M. Gregorii XVI. sub die 30 Aprilis 1838 necessarium amplius non est ad Indulgentias acquirendas, ut inscribantur in Confraternitatis libro nomina Fidelium, qui B. M. V. de Monte Carmelo scapulare recipiunt: Quaeritur utrum idem dicendum de aliis scapularibus a S. Sede approbatis?

» Itaque Emi PP. in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Iulii 1868, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, rescripserunt:

Ad I. *Affirmative; ita tamen ut primum Scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum.*

Ad II. *Tam ad primam, quam ad secundam partem proferenda esse verba quae sunt substantialia ad formam Decreti huius S. Congregationis diei 24 Augusti 1844, quod sic se habet* - Urbis - « An rata sit Fidelium adscriptio Con-» fraternitati B. V. de monte Carmelo, quae fit a Sacerdotibus

Digitized by Google

» quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in » Rituali et Breviario Ord. Carmelitarum descripta? Sac. Con» gregatio respondit - Affirmative dummodo Sacerdotes faculta» tem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in Be» nedictione, et impositione habitus, ac in receptione ad Con» fraternitatem. Ita declaravit S. C. die 24 Augusti 1844. »

Ad III. *Negative.*

» Et facta de praemissis relatione SSmo Dño Nostro Pio PP.IX. a me infrascripto Card. Praefecto in Audientia habita die 18 Augusti 1868, Sanctitas sua Resolutionem S. Congregationis ratam habuit.

» Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die et anno ut supra. »

A. Card. Bizzarri Praefect.

A. Colombo Secretarius.

Animadversiones Consultoris.

Quoad primum dubium animadvertebat Consultor, S. Congregationem die 24 Augusti 1844 declaravisse validam receptionem sacri scapularis si observarentur substantialia, quae sunt huiusmodi: *si Sacerdotes facultates habentes non deficiant in benedictione et impositione ac in receptione ad Confraternitatem.* Atque heic adnotabat receptionem sacri scapularis non semper secumferre receptionem in Confraternitatem, cum scapulare Theatinorum in honorem Immaculatae V. M. Conceptionis institutum non sit signum alicuius peculiaris Confraternitatis rite a PP. Theatinis constitutae: sicuti pariter nec illud est quod RR. Missionarii Congregationis S. Vincentii a Paulo distribuunt, id est scapulare Passionis Domini. Plures item adesse Sacerdotes maxime Missionarios, qui facultate donati benedicendi et imponendi scapularia Carmelitica, qui nomina fidelium inscribere in albo confratrum non teneantur. Proindeque Consultor opinatus est *receptionem ad Confraternitatem* non esse habendam tanquam conditionem substantialem pro valida receptione scapularis, sed

Digitized by Google

dumtaxat pro aggregatione si quis aggregari velit, in locis in quibus extet Confraternitas.

Itaque, hac necessitate inscribendi fideles seposita, duas superesse conditiones benedicendi scapularibus iuxta formulam praescriptam eademque imponendi fidelibus: si plures autem simul sint qui sacrum habitum suscipere desiderent, posse immutari in forma plurali verba benedictionis et impositionis.

Hisce autem animadversis reputabat Consultor a praxi hactenus inducta nimis esse difforme id quod in primo dubio expressum fuerat.

Quoad secundum dubium, animadvertebat Consultor, pro quovis scapularium genere haberi proprias benedictionis et impositionis formulas a S. Sede probatas: aliquando vero ad maiorem solemnitatem adiici recitarique etiam psalmos solere, qui certe possunt omitti; at vero eas formas quae benedictionem et susceptionem exprimant nec omitti nec immutari posse censebat, quo in sensu intelligendum supra allegatum Decretum opinatus est.

Quoad tertium dubium animadvertit, inscriptionem ad lucrandas Indulgentias et gratias esse conditionem essentialem quoties Confraternitas suscipientium scapularia sit constituta, ad quam pertinere debeant, excepto casu quo R. Pontifex ob peculiaria adiuncta dispensaverit, ut fecit Gregorius XVI. fel recor.

Ex quibus colliges.

I. Ad rite valideque cooptandos fideles in Confraternitates sacrorum scapularium, substantiales conditiones esse praescriptas.

II. Eiusmodi conditiones consistere in benedictione et impositione sacri habitus ac in receptione ad Confraternitatem.

III. Impositionem censeri expletam per actum Sacerdotis scapulare immittentis, quin sit necessarium ut aggregatus scapulare illud retineat, dummodo deinde faciat satis conditioni induendi primum saltem scapulare benedictum.

IV. Non esse existimandum Gregorium XVI. fel. recor. per indultum peculiare confratribus Carmelitis concessum ratione quorumdam adiunctorum sustulisse tertiam substantialem conditionem (1).

(1) Videsis Appendicem V.

Digitized by Google

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

NOMINATIONES EPISCOPORUM ET ECCLESIARUM DESCRIPTIONES QUIBUS SUNT PRAEPOSITI.

Die 22 Iunii 1868.

SSmus D. N. praeter ecclesias quas descripsimus *pag.* 112 *et seqq.* sequentes proposuit in eodem secreto Consistorio die 22 Iunii 1868 habito.

Cathedralem Ecclesiam Chelmen' ritus graeco-catholici S. R. E. uniti adhuc ut prius vacantem per obitum bo. me. Philippi Szumborski ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: nam illius Ecclesiae Administrator Ioannes Taraszkiewicz, Episcopus Belsensis, ad eamdem Ecclesiam promotus in Consistorio secreto habito die decimasexta Martii 1863 paucos post dies cessit e vita, et Ioannes Kalinski in ipsomet secreto Consistorio Ecclesiae Belsensi praefectus et in eius Coadiutorem cum futura successione deputatus, licet Episcopali iurisdictione insignitus, tamen et ipse superiore anno vita functus est, quin unquam consecrationis munus assequi potuerit: huic Ecclesiae praefectus est R. D. Michael Kuziemski Presbyter archidioeceseos Leopoliensis, qui praesertim in exercitio curae animarum apprime emicuit: penes Consistorium Leopoliense Cancellarii munere perfunctus et tum illius Capituli Graeco-Catholici ad S. Georgei Decanus, tum eiusdem Archidioeceseos Vicarius Generalis et Officialis renunciatus est.

Chelma urbs Imperii russici in Lublinensi gubernio sita, parvi est circuitus eamque plus quam quater mille et quingenti incolunt cives, quorum mille et ducenti ritum graeco-catholicum S. R. E. unitum profitentur.

Cathedralis Ecclesia e duro lapide extructa, et optime conservata, Bmae Virginis Mariae titulo, Apostolicae sanctae Sedi erit immediate subiecta, usquedum in regionibus russicis restituta non fuerit Metropolia ruthena S. R. E. unita.

Eius Capitulum quinque recenset Canonicatus, eosque inter, tres dignitates, quarum princeps est Archipresbyteratus et post pontificalem prima est illa titulo Episcopi Ecclesiae Belsensis plerumque insigniti; alios insuper enumerat presbyteros et clericos divinis inservientes.

Per Parochum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis atque sacrarium omni suppellectili sacra sive ad divina obeunda officia sive ad pontificalia peragenda satis instructum, chorus campanile cum campanis atque coemeterium.

Episcopale palatium e dura materia extructum prope Cathedralem extat, nullamque magni momenti reparationem exposcit.

Fructus taxati in Libris Camerae ad Florenos 33 1/3 ascendunt ad quatuor mille rublos illius monetae.

Una tantum reperitur Chelmae Paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita,

Digitized by Google

laicorum sodalitas, atque seminarium, cum alumnis; collegiatae, monasteria, nosocomium et mons pietatis desiderantur.

Ampla est dioecesis, et unum supra viginti sub se complectitur Decanatus, ducentas et sexaginta septem paroecias, atque ducenta triginta circiter greco-catholicorum millia.

Cathedralem Ecclesiam de Antequera in Mexicana ditione Americae Septentrionalis vacantem per obitum bo. *me.* Iosephi Mariae Covarrubias: ad eam promotus est R. D. Vincentius Marquez Presbyter dioeceseos de Antequera, qui in s. theologia doctor, in ecclesiasticas functiones maxime incubuit, ac Vicarii Capitularis munere hactenus perfunctus.

Urbs de Antequera, caput provinciae Guaxacae in Mexicana ditione Americae Septentrionalis, partim in planitie ac partim ad montis radices aedificata ampli est circuitus et quadraginta et amplius continet incolarum millia catholicam religionem profitentium.

Cathedralis Ecclesia satis amplae elegantisque structurae, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo, Mexicano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quatuor recenset dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus), octo cum utraque praebenda Canonicos, nonnullos Beneficiatos vel Portionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per duos Presbyteros animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, unicus in civitate, etc. atque extra urbem extat coemeterium.

Quatuor aliae recensentur Antequerae Ecclesiae, septem pro viris, ac sex pro mulieribus monasteria, plures laicorum sodalitates, triplex nosocomium atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, pluraque sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam de Sonora in ditione Mexicana Americae Septentrionalis vacantem per translationem R. P. D. Petri Loza ad metropolitanam Sedem de Guadalaxara; ad eam promotus est R. D. Gil Alaman Presbyter Mexicanus qui, incumbens in fidelium utilitatem Canonicus hactenus renunciatus est.

Urbs de Sonora, cuius Episcopalis sedes, a sa. me. Pio PP. VI in urbe de Arispe constituta fuerat, in ditione Mexicana Americae Septentrionalis sita, et in colle aedificata, parvi est circuitus, et a septem circiter millibus incolarum inhabitatur catholicam religionem profitentium.

Cathedralis Ecclesia, boni aedificii, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo, Archiepiscopo de Guadalaxara suffragatur.

Ex Presbyterorum deficientia eius Capitulum nondum constitutum est, et Parochus tantum animarum curam exercet in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, unicus in civitate, etc.

Episcopale palatium nondum est erectum, sed Episcopus aedes inhabitat gubernii expensis conductas.

Praeter Cathedralem nulla alia reperitur in urbe de Sonora, paroecialis aut collegiata Ecclesia, nec mons pietatis, sed aliquod pium institutum, laicorum sodalitas, nosocomium atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad trecentas quinquaginta circiter leucas protenditur, ac ultra ducenta sub se complectitur loca cum totidem paroeciis.

Cathedralem Ecclesiam de Arequipa in Peruviana ditione Americae Meridionalis vacantem per obitum bo. me. Ioannis Calienes: illi praefectus est R. D. Iosephus Benedictus Torres Presbyter dioeceseos Truxillensis, qui in utroque iure doctorali laurea donatus post multa praeclara munera tum in fidelium bonum, tum in dioecesis auxilium, Canonicus factus ac dignitate Cantoratus honestatus Vicarii Generalis munere hactenus perfunctus est.

Arequipa urbs Peruvianae ditionis in America Meridionali ac plano in loco

Digitized by Google

aedificata, parvi est circuitus, et quatuordecim circiter continet incolarum millia catholicam religionem profitentium.

Cathedralis Ecclesia magnifice et eleganter extructa, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo, Limano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates (quarum post pontificalem prima Decanatus) tres cum utraque praebenda, scilicet theologali et poenitentiali, Canonicos, quatuor Portionarios vel Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per duos Presbyteros animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. atque extra urbem extat coemeterium.

Aliae duae recensentur Araequipae paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae, sex pro viris ac duo pro mulieribus monasteria, aliquot laicorum sodalitates, nosocomium atque seminarium; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad centum circiter leucas protenditur, et octoginta et amplius sub se complectitur loca.

Episcopalem Ecclesiam Troaden. sub Archiepiscopo Gyziceno in partibus infidelium vacantem per successionem R. P. D. Ioannis Marangò ad sedes Cathedrales unitas Thinensem ac Miconensem; ad illam evectus est R. D. Franciscus Maria Granado Presbyter Cochabambensis atque auxiliaris deputatus ad pontificalia caeteraque pastoralia munera eius consensu et libito in illa urbe et diaecesi obeunda, iuxta Decretum S. C. consistorialis a SSmo adprobatum. Idem promotus in s. Theologia, et iure canonico laurea donatus, in ecclesiastica officia nominatim vero in Verbi Dei praedicationem et in excipiendas Sacramentales confessiones laudabiliter incubuit: Vicarii capitularis munus exercens et Cappellanus Monasterii Carmelitarum et provisor Episcopatus Cochabambensis tum dioecesis Examinator Synodalis etc. usque in praesens renunciatus est.

Troas Alexandri urbs Asiae minoris in Phrygia ab Alexandro magno extructa in ora litoralis maris Aegaei adhuc ab infidelibus detinetur.

Episcopalem Ecclesiam Agathopoliten. sub Archiepiscopo Hadrianopolitano in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Ludovici Bel: ad eam promotus est R. D. Franciscus Adolphi Namszanwski Presbyter dioeceseos Culmensis, qui plura praeclara munera ecclesiastica gessit, nominatim curam animarum exercuit atque theologicas praelectiones tradidit, denique Decanus Foraneus in dioecesi Warmiensi hactenus renunciatus est.

Agathopolis urbs Episcopalis Thraciae ab infidelibus adhuc detinetur.

Episcopalem Ecclesiam Nilopolitan. sub Archiepiscopo Damiatensi in partibus infidelium vacantem per translationem R. P. D. Walteri Steins ad Archiepiscopalem Ecclesiam Bostren. pariter in partibus infidelium; ad illam evectus est R. P. D. Ioseph Szabò Presbyter dioeceseos Veszprimiensis atque auxiliaris constitutus est R. P. D. Ioannis Simor Archiepiscopi Strigoniensis ad pontificalia caeteraque pastoralia munera deputandus eius consensu ac libitu in ea urbe et Archidioecesi obeunda iuxta decretum S. C. Consistorialis.

Idem promotus post plurima praeclarissima munera, quibus functus fuerat, inter Praelatos Domesticos SSmi Dni Nostri fuerat cooptatus.

Nilopolis Aegypti urbs in occidua Nili parte Memphim inter et Herculis urbem, adhuc infidelium iugo miserrime subest.

Digitized by Google

Dein SSmus Pater patefecit electiones quae non multo ante consequutae fuerant effectum per Secretariam Brevium: idest ecclesiae episcopali *Cydonien.* in partibus infidelium praefecit R. D. Ioannem Baptistam Bagalà-Blasini, Vicarium Generalem Liburnensem Ecclesiae Episcopali *Bolinen.* in partibus infidelium, praefecit R. D. Salvatorem Magnasco, Canonicum Poenitentiarium in Metropolitana Ianuensi. Ecclesiae episcopali *Thermopilen.* in partibus infidelium praefecit R. D. Stephanum Fennely, Vicarium Apostolicum in Madras.

Postea R. P. D. de Lavastida, Archiepiscopus Mexican. tamquam Procurator R. P. D. Vincentii Arbelaes, sacrum Pallium postulavit pro ecclesia Metropolitana *S. Fidei in Neogranaten.*, qua in sede idem Praesul Arbelaes successit R. P. D. Antonio Herran; item instantia mota est pro sacro Pallio pro alia Metropolitana ecclesia *de Guadalaxara.*

DE CONSISTORIO SECRETO HABITO DIE 24 SEPTEMBRIS 1868.

SSmus Pater habuit mane publicum Consistorium ut Cardinalitio Pileo donaret Emos et Rmos Dominos Innocentium Ferrieri et Laurentium Barili creatos et publicatos Patres Cardinales in Consistorio secreto die 13 Martii praesentis anni. Interea temporis Causidicus Consistorialis Ioannes Baptista Bonini prima vice peroravit causam Beatificationis Ven. Annae Mariae Taigi.

Completo Consistorio Publico, SSmus tenuit Consistorium secretum; in quo postquam os clausisset iuxta morem Emis Patribus Ferrieri et Barili, sequentes proposuit ecclesias.

CATHEDRALES ECCLESIAS CORNETAN. AC CENTUMCELLARUM invicem perpetuo canonice unitas vacantes per obitum bo. me. Camilli Bisleti ultimi illarum Episcopi. Ad eas translatus est R. P. D. Franciscus Gandolfi hactenus antistes Antipatrensis in partibus infidelium et suffraganeus Sabinensis.

Cornetum vel Cornuetum ac Centumcellae Pontificiae ditionis urbes, quarum prima ad Martam fluvium in colle aedificata, in suo duorum fere milliariorum ambitu, quinque et amplius continet incolarum millia; altera vero portu gaudens ac moeniis circumdata, in ora litorali maris mediterranei partim in plano ac

Digitized by Google

partim in colle sita ab octo circiter inhabitatur incolarum millibus Apostolicae Sanctae Sedi etiam in temporalibus obtemperantibus.

Cathedralis Ecclesia Cornetana S. Margaritae Virginis et Martyris, et Centumcellensis S. Francisci Assisiensis titulo, Apostolicae Sanctae Sedi sunt immediate subiectae.

Tres dignitates (quarum post pontificalem prima est Archidiaconatus) constituunt Cornetanum Capitulum, quod viginti insuper enumerat Canonicos ac sex Beneficiatos: Centumcellense vero decem conflatur Canonicis (quos inter unica Praepositi dignitas est) et quinque Beneficiatis; utrumque vero theologali ac poenitentiaria gaudet praebenda, aliosque recenset Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Penes Capitulum Cornetanum extat animarum cura, quae per Canonicum Curatum exercetur: eamque Centumcellis ipse Praepositus administrat; utraque porro in Cathedrali fons adest baptismalis etc. et inter Sanctorum reliquias Corneti, brachium S. Secundiani, et corpus S. Lituardi civitatis Compatronorum decenter adservantur; et extra urbes habent coemeteria.

Quatuor praeterea Corneti ac tres recensentur Centumcellis paroeciales Ecclesiae, fere omnes baptismali fonte munitae; duplex insuper in primadicta urbe mulierum monasterium et orphanotrophium, ac in altera conservatorium et religiosarum domus puellis edocendis: utrobique tandem quinque pro viris monasteria, plures laicorum sodalitates, nosocomium ac mons pietatis; ast seminarium iam Centumcellis constitutum ac temporum iniuria derelictum, alibi pro utraque dioecesi commodius erigendum erit.

Dioeceses unitae satis amplae sunt ac nonnulla sub se complectuntur loca.

Cathedralem Ecclesiam Gaudisien. vacantem per obitum bo. me. Michaelis Francisci Buttigieg ultimi illius Episcopi. Ad eam translatus est R. P. D. Antonius Grech Delicata Cassia Testaferrata hactenus Antistes Calydoniensis in partibus infidelium.

Gaulos vel Gaudisium, vulgo *Gozo,* civitas et caput insulae maris mediterranei ad occasum Melitae et prope ipsam, versus promontorium Mercurii, triginta sex circiter milliariorum est ambitus, ubi arx in monte edito, cui amoenum adiacet suburbium, et plura complectitur incolarum millia.

Cathedralis Ecclesia satis ampla ac decenter ornata, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum tres recenset dignitates (quarum post pontificalem prima est Archipresbyteratus) unum supra viginti cum theologo ac poenitentiario Canonicos, decem Cappellanos chorales vel Mansionarios, ac plures alios Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quam idem Archipresbyter administrat in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. et inter Sanctorum reliquias, reliquiae S. Ursulae et corpus S. Lucidi Martyris, decenter adservantur.

Altera praeterea reperitur Gaudisii paroecialis Ecclesia ac septem minores, tria virorum monasteria, pro puellis conservatorium, pauperum hospitium, pro utroque sexu nosocomium, duae laicorum sodalitates, lycaeum, mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus tres continet insulas, quae vulgari nuncupatione *Gozo, Comino* et *Cominotto* dicuntur, septem complectitur pagos vel parochias, tres cum totidem Ecclesiis filialibus districtus ac septemdecim et amplius inhabitantium millia.

Cathedralem Ecclesiam Caurien. vacantem per translationem R. P. D. Stephani Iosephi Perez Fernandez ad Sedem Malacitanam. Ad eam promotus est ex benignitate SSmi D. N. ad prae-

Digitized by Google

ꝑntationem Serenissimae Reginae Catholicae, R. D. Petrus Nuñez Presbyter Dioeceseos Asturicensis qui in theologica facultate laurea doctorali donatus in ecclesiastica officia impense incubuit, Abbas olim in Collegiata *de la Frontera* dein in Toletana ecclesia Archidiaconus renunciatus est.

Cauria, vel Caurium urbs provinciae de Caceres in Hispania iuxta fluvium Alagonem, qui quinque inde leucis cadit in Tagum, fertili in loco et supra collem aedificata, sexcentas fere continet domos ac a totidem inhabitatur familiis sub temporali dominio praefatae Serenissimae Reginae Catholicae.

Cathedralis Ecclesia satis amplae elegantisque gothicae structurae, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque iuxta Literas Apostolicas « *Ad Vicariam* » datas nonis Septembris 1851 Toletano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum ex praecitatis Literis Apostolicis quinque adnumerare debet dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus) quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio*, septem *de gracia,* atque duodecim Beneficiatos, ac septem peculiaris patronatus Cappellanos de choro.

Per Parochum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. atque extra urbem extat coemeterium.

Altera praeterea reperitur Cauriae paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, unum mulierum monasterium, tres laicorum sodalitates, nosocomium atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, ac centum septemdecim sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam de Pace in ditione Boliviana Americae Meridionalis vacantem per obitum bo. me. Mariani Fernandez de Cordova. Ad eam promotus est R. D. Callixtus Clavijo Presbyter dioeceseos de Pace, qui in theologica facultate et canonico iure doctorali laurea donatus in ecclesiastica officia laude incubuit. Plures annos Parochus in variis suae dioecesis paroeciis successive constitutus, atque in urbe Pacensi scientiarum collegii Superior et Cappellanus adlectus, et Portionarius primum dein Canonicus de Mercede in Cathedrali de Pace ac tandem Archidiaconus in metropolitana de Plata renunciatus est. In facultate theologica Examinatoris ac Iudicis Adiuncti in ipsomet choro metropolitano perfunctus est munere.

Pax Bolivianae ditionis urbs et homonymae provinciae caput in America Meridionali inter montes ad ortum aedificata satis ampli est circuitus, et a quadraginta et amplius incolarum millibus inhabitatur.

Cathedralis Ecclesia novo aedificio nuper amplificata, S. Mariae de Pace titulo, Archiepiscopo de Plata suffragatur.

Tres dignitates, quarum post pontificalem prima est Decanatus, eius constituunt Capitulum, quod quinque recenset cum theologo ac poenitentiario Canonicos, tres insuper integros ac duos medios Portionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Parochum a duobus Presbyteris adiutum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. atque extra urbem coemeterium.

Quatuor aliae recensentur in urbe de Pace paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duo pro viris ac totidem pro mulieribus monasteria, nonnullae laicorum sodalitates, nosocomium atque seminarium; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, ac plurima sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam S. Sebastiani Fluminis Ianuarii in Brasilia vacantem per obitum bo. me. Emmanuelis a Monte Rodrigues de Araujo ultimi illius Episcopi.

Ad eam promotus est R. D. Petrus

Digitized by Google

Maria de Lacerda Presbyter eiusdem dioecesis ex benignitate SSmi D. N. ad praesentationem Sermi Brasiliae Imperatoris. Idem promotus in facultate theologica laurea doctorali donatus in Romana Universitate, in ecclesiasticis obeundis functionibus laude emicuit: inter Canonicos Marianensis ecclesiae olim adscitus et seminario dioecesano philosophiae ac matheseos Professor huc usque renunciatus est.

S. Sebastiani Fluminis Ianuarii caput Brasiliensis Imperii, atque Aulae Imperialis sedes, agrorum fertilitate, populorum frequentia, salubritate aëris et commercio notabilis, quingenta circiter continet catholicorum incolarum millia sub temporali dominio dicti Serenissimi Imperatoris.

Cathedralis Ecclesia, magnae ac decenter ornatae structurae, Bmae Virginis Mariae e Monte Carmelo titulo gloriatur, atque Archiepiscopo S. Salvatoris in Brasilia suffragatur.

Eius Capitulum sex recenset dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus) sexdecim absque theologali ac poenitentiaria praebenda Canonicos, totidem Cappellanos Cantores, tres caeremoniarum Magistros, decem Acolytos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per unum ex dictis Canonicis, et per Presbyterum, Canonici titulo praeeminentiis ac privilegiis honestatum, animarum cura exercetur tam in Ecclesia a SSmo Sacramento nuncupata, quam in ipsa Cathedrali, ubi fons pariter adest baptismalis etc. et extra urbem coemeterium.

Episcopale palatium magnifice in amoeno monte extructum parum distat a Cathedrali; alia quoque domo rustica potitur Episcopus, ampla satis et commoda.

Decem insuper recensentur in urbe S. Sebastiani Fluminis Ianuarii paroeciales Ecclesiae baptismali fonte praeditae, duae Collegiatae, quatuor pro viris ac duo pro mulieribus monasteria, duplex utriusque sexus congregatio, plures laicorum sodalitates, multa noscomia, triplex mons pietatis, atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad territoria provinciarum Fluminis Ianuarii, S. Catharinae ac Spiritus Sancti protenditur, atque plura sub se complectitur loca.

Episcopalem Ecclesiam Castorien. sub Archiepiscopo Acridensi in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Ioannis Fennely. Ad eam promotus est R. D. Ioannes Iacobus Kraft Presbyter dioecèseos Trevirensis atque deputatus est in Suffraganeum R. P. D. Matthiae Eberhard Antistitis Trevirensis ad Pontificalia caeteraque pastoralia munera in ea civitate et dioecesi obeunda iuxta Decretum Consistoriale a SSmo D. N. adprobatum: idem promotus in facultate theologica laurea donatus in praedicationem Verbi Dei, in confessiones sacramentales excipiendas laude incubuit, item in animarum curam, qua Vicarius et qua Parochus, ac munere Professoris et Subregentis in Seminario perfunctus, Canonicus usque in praesens renunciatus est in Trevirensi Cathedrali.

Castoria civitas Episcopalis Macedoniae apud lacum Lychnidum, Prileppo et Achridae urbibus propinqua, adhuc infidelium iugo miserrime premitur.

Inde SSmus Pater patefecit electiones, quas pro ecclesiis in partibus infidelium exsecutioni mandaverat per S. Congregationem de Propaganda Fide ab ultimo ad praesens Consistorium: idest Ecclésiae Archiepiscopali *Philippen.* praefecit R. D. Stepha-

Digitized by Google

num Stefanopoli deputatum uti Episcopum Graecum ad sacras Ordinationes Romae peragendas. Ecclesiae episcopali *Flaviopolitan.* praefecit R. D. Franciscum Ioannem Laöuenan deputatum Vicarium Apostolicum Pondichery. Ecclesiae episcopali *Meden.* R. D. Christophorum Bonjean electum ad Vicariatum Apostolicum Iafuapatam. Ecclesiae episcopali *Nemesin.* R. P. Fr. Mariam Efrem ex Carmelitis discalceatis electum ad Vicariatum Apostolicum Quilon. Ecclesiae Episcopali *Dorylen.* R. D. Ioannem Sallepoint, constitutum ad regendum novum Vicariatum Apostolicum erectum in Anzona. Ecclesiae episcopali *Olympen.* R. D. Fr. Leonardum a S. Aloisio, ex Carmelitis discalceatis, deputatum ut Coadiutorem Vicarii Apostolici in Verapoly R. P. D. Bernardini Baccinelli. Ecclesiae episcopali *Pompeiopolitan.* R. D. Franciscum Tagliabue, electum ut coadiutorem Vicarii Apostolici in Kiang-si, R. P. D. Ioannis Henrici Baldus.

APPENDIX IV.

DE QUAESTIONE, AN ANTIQUITUS IN PUBLICIS DEFUNCTORUM MISSIS SACRA EUCHARISTIA FUERIT FIDELIBUS ADMINISTRATA.

Haec quaestio refertur ad Decretum S. C. SS. RR. quod retuli *pag.* 35 ac de eo egi *pag.* 191.

Consultor, qui hanc quaestionem archeologicam pertractare censuit, initio animadvertit, eos qui negant, in Missis Defunctorum sacram communionem in primis Ecclesiae saeculis fidelibus datam fuisse, inniti huic argumento: Missas Defunctorum in primis Ecclesiae saeculis fuisse tantum privatas: in Missis privatis communionem non fuisse Fidelibus exhibitam; ergo in Missis Defunctorum nunquam fuisse eisdem communionem exhibitam.

Unico autem argumento eas propositiones Auctores probare inquiebat Consultor, idest argumento petito ex Canone IV. Concilii II. Vasensis anno 629 celebrati, de quo sic scripsit Albaspina, *De Veteribus Eccles. rit. l.* 1 *c.* 17 « Quod olim » privata essent illa Sacra *(mortuorum)* non autem solemnia, hoc » est, non essent instituta, ut eis « publice Fideles omnes communicarent perinde atque in Domi- » nicis festisque diebus, apparet ex » canone IV. concilii II. Vasensis, » ubi discrimen ponitur inter so- » lemnia mortuorumque sacra. »

Digitized by Google

Itaque Consultor canonem eundem expendendum suscepit, qui, ut refertur in collectione conciliorum a Labbé facta, *tom.* 4 *pag.* 1680, ita se habet: « *Placuit etiam Nobis, ut... in omnibus Missis, seu in matutinis, seu in quadragesimalibus, seu in illis, quae pro Defunctorum commemoratione fiunt, semper Sanctus Sanctus, Sanctus, eo ordine quo modo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.* »

Animadvertebat autem Consultor, quod si ille canon ita intelligeretur, ut Missae publicae perfecta distinctione opponerentur Missis privatis, concludendum esset, Missas etiam quadragesimales semper fuisse privatas; proindeque in quadragesima nunquam distributam fuisse S. Eucharistiam: id autem a veritate esse alienum, cum in quadragesima haberentur Missae publicae et privatae: eo vel magis quod saeculo VI. et VII. iuxta veterem morem Fideles quotidie sacra Eucharistia reficiebantur, iuxta ea quae tradit Card. Bona *Rer. liturgic. l.* 2 *c.* 17 §. 2 Sala *ibidem n.* 2.

Quare eum esse canonis sensum concludebat, ut in quavis Missa sive matutina, sive quadragesimali, sive Mortuorum, sive eiusmodi Missae essent publicae sive privatae recitandus semper esset *Sanctus*.

Quae quidem aut nullam habent relationem cum quaestione de qua agimus, vel, si relationem habeant, ea est, quae demonstrat, celebratas fuisse id temporis etiam publicas Defunctorum Missas.

Extrinsecis autem argumentis eiusmodi conclusionem confirmans Consultor, praemissa definitione Missae publicae, quae (iuxta Merati *in Gavant. com. et obs. prael. n.* 38, *Ritual. V. Missa* §. *Publica*) « est » illa, cui interesse utrique sexui » promiscue licet et quae coram » populo peragitur » plura historica documenta adduxit, quibus solemnia ecclesiastica funera describuntur, ut in *Epist. S. Gregorii Nisseni ad Olymp.* de qua re consuli potest S. Gregorius Turonensis *Hist. Franc. lib.* 8 *c.* 10, Corippus, qui versibus descripsit funera solemnia Iustiniani Imperatoris *lib.* 3.

Sed magis explicita documenta desumebat Consultor ex saeculo X. et XI. idest, de S. Wolfango Episcopo, qui floruit saeculo X. cuius vitae scriptor anonymus (apud Surium *die* 31 *Octobr.* et Pagi *Not. in Baron. an.* 994 §. 2) haec enarrat: « Cum apud S. Petrum fuisset » susceptus ac *vigiliarum Missarum*» *que* celebrationibus Domino fo» ret commendatus, sustollentes » eum magna reverentia, portabant » eum per singula urbis monasteria; » novissime vero ad ecclesiam Beati » Martyris Emmeranni, cuius hono» rem, dum vixerat, intimo affectu » excolebat. Qua, *Missarum solemniis* » et exequiarum officiis rite peractis, » magnifice atque honorifice ibidem » sepultus est. » Item de Ricardo Abbate S. Vitonis, *Chron. Virdunens. Hugonis Flaviniacens.*

Eodem insuper saeculo X. de

Digitized by Google

exequiis S. Udalrici Episcopi Augustae apud *Bulland. die* 4 *Iulii* legitur: « Publica Missa expleta, omnes » in commune sobrio et casto sermone admonuit *(Wolfangus)*, ut » pro illa sancta anima intima intentione cordis devote exorent, » ut ab omni vinculo delictorum » absoluta, perenni gaudio in aevum » cum sanctis et electis Dei, perfrui mereatur. »

In quo documento cum diserte mentio fiat de Missa publica, argumentum e contrario oppositum eo ipso infirmari concludebat.

Nec validius inquiebat esse alterum argumentum, quod iidem Auctores adducere solent, petitum ex veteri more osculum non dandi in Missis Defunctorum, de quo sic scripsit Episcopus Albaspina *loc. cit. l.* 1 *c.* 17 « Itaque cum in iis Sacris » *(mortuorum)* non communicarentur » *(Fideles)* nullum etiam osculum » dabatur; quod quidem symbolum » quoddam et argumentum erat » communionis fidelium, eoque » tantum nomine praemittebatur, » ut ad communionem Fideles prae» pararentur. »

Ut ex eiusmodi osculi carentia, inquiebat Consultor, deduci posset quod illi Auctores deducunt, ostendendum esse, hoc osculum fuisse conditionem sine qua Fideles communicare non possent: quod quidem non solum non ostendi, sed contrarium ostendi posse contendebat. Et sane non est dubium feria V. in Coena Domini locum habuisse populi clerique communionem, et tamen osculum in Missa haud datum esse, cuius rei hanc Auctores rationem reddere: « solitum pacis osculum » (ita Martene *de antiq. eccles. rit.* » *l.* 1 *c.* 13) hac die solet in Missa » omitti; cuius rei rationem reddit » vulgatus Alcuinus his verbis: *a* » *pacis osculo sive salutatione absti*» *netur, non quod malum sit, ubi* » *ex charitate profertur, sed ad* » *vitandam salutationem pestiferam*, » *quam Iudas proditor exercuit; ut* » *demonstretur, quam iniuriam pas*» *sus est Christus a suo discipulo et* » *nos vitemus eadem ratione iniuriam* » *fratribus facere*. Subscribunt Al» cuino libri pontificales, et missales » pene omnes, qui propter frau» dulentum Iudae osculum, pacem » in Missa dare prohibent. »

Idemque observatum esse feria VI. et Sabato Sancto ob eamdem rationem, ut tradunt Amalarius et Durandus.

Si quaeratur autem ratio, cur in Missis Defunctorum pax non daretur, eam sic tradere vulgatum Alcuinum, *lib. de Divinis offic. c.* 50 *de Exequiis Mort.* « Missae defun» ctorum absque *Gloria et Alleluia* » seu osculo pacis celebrantur, quod » est signum laetitiae. » Alias addere rationes Durandum *in Rational. divin. off. l.* 4 *c.* 53 *n.* 8, id est quod animae illae fidelium non sunt amplius in turbatione huius mundi, sed quiescunt in Domino: et in *par.* 7 *c.* 35 *de officio mort.* eumdem scripsisse: « Pax triplici ratio-

Digitized by Google

» ne non datur. Primo, quia hoc » officium, ut iam dictum est, tri- » duanam Christi sepulturam vesti- » gio sequitur, ubi pax non datur » propter Iudae osculum detestan- » dum.....»

Hisce difficultatibus remotis, inquirebat Consultor utrum antiquitus in Missis Defunctorum fideles communicarent. Atque ante omnia duo sibi documenta opponebat, quae prima fronte pro negativa responsione militare videri possent: primum petebat ex constitutionibus S. Guillemi Abbatis monasterii Hisaug, qui floruit pereunte saeculo XI. in quibus legitur « Si » (monachus) Missas Defun- » ctorum cantat, nemo, nisi so- » lus, communicat. Sed si vivo- » rum Missa est, sic quoque te- » nendo dat pacem converso et ille » adstantibus, si qui sunt qui com- » municare voluerint. »

Item in *Ordine Romano* Petri Amelii, qui vixit saeculo XIV. *cap.* 132 *et* 133 de Officio Mortuorum legitur: « Nota.. quod si Papa celebra- » ret *(solemniter pro Defunctis)*, nec » Diaconus nec Subdiaconus com- » municarent de manibus Papae.»

Omisso autem primo documento, quod tamquam legem peculiarem dicti monasterii consideravit Consultor, ad alterum expendendum sic processit.

Initio animadvertit, non omnia quae dicuntur de Pontificia Cappella protendi posse ad caeteras ecclesias; quod comprobavit nonnullis exemplis, quorum unum hoc est: idem Scriptor Amelius *cap.* 65 loquens de Missa feriae V. in coena Domini scriptum reliquit: « Nota, » quod confecto isto sacrificio so- » lus Papa communicat super altare » sine ministris.» Et *cap.* 56 « No- » ta, Diaconus et Subdiaconus hodie » non communicant.» E contra vero scribit Mabillon *Musei ital. t.* 2 *Commen. praes. in Ord. rom.* §. 11. « Certe in decimo, quem hic edi- » mus, Ordinis Romani libello, so- » lus Pontifex in coena Domini.... » exclusis etiam ministris commu- » nicasse memoratur; tametsi alibi » communio generalis... perseve- » rabat. »

Sed insuper validis coniecturis desumptis ex eo quod scriptum reliquit in Ordine romano XIV. Iacobus Card. Caietanus, qui eo fere tempore scripsit quo Amelius, arguebat Consultor, Amelium illis verbis iudicasse tantum Missam peculiarem Defunctorum, quam Romani Pontifices non solerent solemniter celebrare.

Denique ad rem propius accedens sic Consultor ostendebat in Missis Defunctorum antiquitus consuevisse Fideles communicare. Cum Fideles primis ecclesiae saeculis ad sacra participanda mysteria conveniebant, quemque propriam panis vinique oblationem detulisse ex qua communicaret, ita ut illi reprehenderentur, qui communicarent ex aliorum oblationibus, de qua re Cyprianus *Lib. de opere et eleemosynis c.* 5

Digitized by Google

ita redarguisse divitem matronam: « Locuples et dives es et Dominicum » celebrare te credis, quae corbo- » nam omnino non respicis, quae in » Dominicum sine sacrificio venis, » quae partem de Sacrificio quod » pauper obtulit sumis. » Item Caesarium Arelatensem, *In append. oper. S. Augustin. serm.* 265, edixisse: « oblationes, quae in altari conse- » crentur, offerte. Erubescere debet » homo idoneus, si de aliena obla- » tione communicaverit. »

Et adnotatione dignum esse, quod legitur in vita S. Gregorii Magni a Ioanne Diacono scripta, *lib.* 2 *c.* 41 « Matrona quaedam, » beato Gregorio per stationes pu- » blicas Missarum solemnia cele- » brante, solitas oblationes obtule- » rat. Cui post mysteria traditurus » cum diceret: *Corpus Domini Nostri* » *Iesu Christi conservet animam tuam*, » lasciva subrisit. Ille continuo, » dexteram ab eius ore convertens, » partem illam Domini Corporis » super altare deposuit. Expletis » vero Missarum solemniis, matro- » nam coram populo inquisivit, » quam ob rem Corpus Dominicum » susceptura ridere praesumpserit? » At illa, diu mussitans, tandem » prorupit: *Quia panem, inquiens,* » *quem propriis manibus me fecisse* » *cognoveram, tu Corpus Dominicum* » *perhibebas*. Tunc Gregorius pro » incredulitate mulieris cum tota » plebe se in orationem prostravit, » et post paulum surgens, parti- » culam panis quam super al- » tare posuerat, carnem factam » reperit etc. »

Tempore vero, quo Fideles oblationes deferebant *Offertorium* cum pluribus versiculis cantatum fuisse, de quo sic in secundo Ord. Rom. *n*. 9: « Post lectum evangelium.... Epi- » scopus salutat populum dicens: » *Dominus vobiscum*; postea dicit: » *Oremus*. Tunc canitur Offertorium » cum versibus. Tunc venit Sub- » diaconus ferens in brachio dextero » patenam et in sinistro calicem in » quo recipiuntur amulae (1) po- » pulorum... Deinde transit Sacerdos » ad suscipiendas oblationes. Interim » cantores cantant offertorium cum » versibus, et populus dat oblatio- » nes suas, idest panem et vinum, » et offerunt cum fanonibus (2) » candidis, primo masculi, deinde » foeminae... Subdiaconus vero cum » calice vacuo sequitur Archidiaco- » num, et, Pontifice oblationes » populorum suscipiente, Archidia- » conus suscipit post eum amulas » et refundit in calicem maiorem (3) » . . . Cantantibus adhuc cantori-

(1) « *Amulas* similes urceolis fuisse Papius docet... Amulae pro vino a fidelibus ad altare tradendo adhibebantur. » Zaccaria *Onomastic. ritual. verb. Ama, Amula*.

(2) « *Fanon* significat etiam syndonem seu mappulam candidam in qua populus dabat oblationes suas » Zaccaria *loc. cit. verb. Fanon*.

(3) Quando fideles communicabant sub utraque specie praeter Celebrantis calicem adhibebantur alii calices multo maiores quam illi quibus nos utimur, quique

Digitized by Google

» bus *(Archidiaconus)* accedit ad al- » tare. Tunc surgens Pontifex a » sede et cantantibus adhuc can- » toribus, descendit ad altare, et » orat et salutat altare et suscipit » oblatas de manu Presbyterorum » et Diaconorum...Post oblationem » ponitur incensum super altare, » et Pontifex, inclinans se paululum » ad altare respicit scholam, et » annuit ut sileant, et convertit se » ad populum dicens: *Orate etc.*»

Adveniente communionis tempore, *Communionem* cantatam fuisse, de qua sic in secundo Ordine Romano: « Mox ut Pontifex coeperit » communicare populo in senato- » rio (1), statim schola incipit anti- » phonam ad communionem et psal- » lunt usque dum communicato » omni populo, etiam in parte » mulierum, *(Pontifex)* redit in se- » dem, et repetito versu, quie- » scunt...Pontifex autem, contem- » plans populum communicatum » esse, innuit per Subdiaconum » primo scholae, et ille, resalutato » eo, dicit: *Gloria Patri* et *Sicut erat* » et versum. Et finita antiphona, » surgit Pontifex cum Archidiacono, » et veniens ad altare, dicit ora- » tionem ad complendum (1).»

Ex quibus Consultor inferebat, rationem veluti unicam, ob quam in ritu Missarum intersererentur duae Antiphonae *Offertorii* et *Communionis* cum versibus, fuisse, ut temporis spatium quod oblationum collectio et communio exigerent versibus sacris occuparetur, ita ut maior vel minor cantus duratio penderet a tempore quod insumeretur ad oblationes recipiendas et communionem peragendam: et ideo multos versus Antiphonae Offertorii et Communionis adiectos esse, idque patere ex S. Gregorii Antiphonario.

Iamvero, prosequebatur, in eodem S. Gregorii Antiphonario duas reperiri diversas Defunctorum Missas et utrasque sicut caeteras habere Offertorium et Communionem cum suis versibus: qui locum non habuissent, si Fideles hisce in Missis communicare semper prohiberentur. Eo vel magis, quod in duobus vetustissimis pergamenis Antiphonarii Gregoriani, quarum una in Bibliotheca Angelica, altera in Vallicellana Romae asservantur, hanc antiphonam Communionis habeant: « Pro quorum memoria, *Corpus* » *Christi sumimus,* dona eis Domine » requiem sempiternam. Et lux per- » petua luceat eis.» Itaque non exclusos fuisse Fideles a communione

appellabantur *calices maiores*, et frequentius *ministeriales,* confer Zaccaria *loc. cit. verb. Calix.*

(1) « *Senatorium* erat in ecclesia locus ubi Senatores et Principes sedebant. Erat autem infra presbyterii cancellos in parte australi, cancellis proximior. Ex adversa parte, Matronae.» Zaccaria *ver. Senatorium.*

(2) Idest oratio quae a nobis appellatur *Postcommunio,* Zacar. *ver. Complenda* et *Postcommunionem.*

Digitized by Google

in Missis Defunctorum, quamvis non semper in iisdem Missis communicarent, quemadmodum contingebat etiam in Missis Vivorum.

Quin imo singulare esse, ut decursu saeculorum, cum in Missis publicis, usu oblationum pedetentim cessante, et more remisso generalis Communionis, versus Offertorii et Communionis subtractos quidem esse ex ritu Missarum; in Missis tamen Defunctorum antiquissimi ritus vestigium aliquod usque in praesens permansisse; quod quidem tanquam indicium fortasse considerari posset, quod mos communicandi in hisce Missis protractus etiam fuerit.

Idem arguebat Consultor ex antiquis Sacramentariis Leonis, Gelasii et Gregorii huius nominis primi, in quibus omnes Missae Defunctorum habent orationem sic dictam *Postcommunionem*. Et pulchram esse animadversionem, quam facit Micrologus scriptor saeculi XI. *De observation. ecclesias.* his verbis. « Orationem *super populum* in Quadragesima ideo frequentamus, » quia oratio post communionem *Pro* » *solis communicantibus* solet orare. » Populus autem, etsi quotidie in » Quadragesima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita in » oratione, ut communione careret, » adiecta est oratio *super populum* » in qua non de communicatione, » sed pro populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur....quia » omnes...in Dominicis diebus communicare deberent, quibus et » oratio post communionem pro » benedictione sufficere posset. »

Eodem argumentandi modo Consultor prosequebatur inspectis Orationibus *secretis* nuncupatis, quae in iisdem vetustissimis Sacramentariis libris in Missis Defunctorum habentur, in quibus saepissime mentio fit de *oblationibus*, ut videre est apud Muratori *Opere minori tom.* 13 *part.* 1, *til. super Defunctos* §. 1: « *Hostias* tibi, Domine, humili sup» plicatione deferimus, ut anima » famuli tui illius (1), per haec » piae placationis officia, perpetuam » misericordiam consequatur. » Et §. 4 « *Oblationes nostras,* Domine, » quaesumus, propitiatus intende, » quas... pro requie famuli tui il» lius Episcopi suppliciter immola» mus etc. »

Item in libro *Sacramentorum Romanae Ecclesiae,* quem edidit Card. Thomasius *Oper. omn. t.* 6, quique S. Gelasio adscribitur in *lib.* 3 §. 97 legitur: « *Oblationes nostras* » quaesumus, Domine, propitiatus » intende, quas tibi offerimus pro » anima famuli tui illius; et cui do» nasti baptismi sacramentum etc. »

Denique in Sacramentario Gregoriano, quem edidit Muratori,

(1) In antiquis codicibus sacramentariis reperitur semper inscriptum pronomen *ille, illius, illam* etc. loco literae N. qua nos utimur ad indicandum nomen proprium; confer P. Honorat. a S. Maria *Animadv. in reg. t.* 3 *l.* 5 *disser.* 3 *ar.* 4 §. 4.

Digitized by Google

loc. cit. par. 2 *e* 3 *n*. 113 legitur: « Propitiare, Domine, supplicatio» nibus nostris, et *has oblationes*, » quas...pro animabus omnium fi» delium catholicorum orthodoxo» rum quorum nomina ante sanctum » altare tuum scripta esse videntur, » nomini tuo consecrandas defe» rimus etc. »

Relativas autem ad invicem esse, repetebat Consultor, oblationes et Communionem, ita ut in *can*. 28 *Concilii Illiberitani* initio saeculi IV. celebrati statutum fuerit: « Episco» pum, placuit, ab eo qui non » communicat munera accipere non » debere. » Quare Card. Bona *Rerum liturg. lib*. 2. *c*. 8 §. 5, scripsit « Omnes qui Missae intererant » et communicabant, panem quoque » et vinum offerebant ex quibus » Eucharistia conficeretur; atque » adeo cum *iure communicandi adne» xum erat ius offerendi*. » Quod principium et ipsum Sala, qui pro viribus sustinuit opinionem negantem Communionem in Missis Defunctorum, admittere coactum esse in *Not*. in *Card. Bona lib*. 2 *c*. 9 §. 2, quamvis ipse stulte negaverit oblationes habuisse locum in Missis Defunctorum.

Consultor hisce animadversis hanc dissertationis partem concludebat cum eo quod enarrat S. Gregorius *in lib*. 2 *Dialogor. c*. 23; Hic enim enarrat, S. Benedictum, cum vellet duarum sanctimonialium loquacitatem coercere, haec eisdem dicenda mandasse: « *Corrigite linguam vestram;* » *quia, si non emendaveritis, excom» munico vos:* illae autem (*sancti» moniales foeminae*) a pristinis mo» ribus nihil mutatae, intra paucos » dies defunctae sunt, atque in ec» clesia sepultae. Cum autem in » eadem ecclesia Missarum solemnia » celebrarentur, atque ex more Dia» conus clamaret: Si quis non com» municat det locum; nutrix ea» rum...eas de sepulchris suis pro» gredi et exire de ecclesia videbat. » Quod dum saepius cerneret...ad » memoriam revocavit, quae vir » Dei (*Benedictus*) illis adhuc viven» tibus mandavit...Tunc servo Dei » cum gravi moerore indicatum » est; qui manu sua protinus obla» tionem dedit, dicens: Ite et hanc » oblationem pro eis offerri Domino » facite et ulterius excommunicatae » non erunt. Quae, *dum oblatio pro » eis fuisset immolata*, et a Diacono » iuxta morem, clamatum est, ut » non communicantes ab ecclesia » exirent, illae ab ecclesia exire » ulterius visae non sunt. » In quo documento, certum esse inquiebat Consultor, agi de Missa publica Defunctorum; eiusmodi enim Missas iamdiu et saepe celebrari consuevisse: in ea porro Missa, cum eadem ratione ac in Missis vivorum intimatio fieret Poenitentibus, qui non communicabant, ut recederent locumque facerent illis qui communicarent, manifestum esse saeculo VI. mediante in Missis publicis Defunctorum administratam fuisse Fidelibus sacram Eucharistiam.

Digitized by Google

APPENDIX. V.

DE CONDITIONE INSCRIBENDI NOMINA FIDELIUM, QUI IN CONFRATERNITATEM CARMELITICAM COOPTANTUR, IN ALBO CONFRATRUM.

Iam ab antiquis temporibus conditio inscribendi nomina fidelium, qui cooptantur in Carmeliticam Sodalitatem, in albo Confratrum, considerata fuit ut necessaria.

Sed quaeri potest utrum haec nominum inscriptio necessaria sit ad rei substantiam ita, ut sine illa neque Sodalis Carmeliticus quisque haberi considerarique possit: vel potius necessaria sit ad rei integritatem.

Necessaria autem mihi videtur ad rei integritatem. Alia enim est materialis nominum inscriptio; alia autem receptio in Confraternitatem. Materialis nominum inscriptio non est aliud nisi testimonium permanens receptionis ab eo datum qui in sodalitatem cooptat; et hoc testimonium pro indole cuiusvis Sodalitatis potest esse magis vel minus necessarium vel utile ad aliquos consequendos effectus. Quae quidem inscriptio, cum non aliud sit nisi testimonium aggregationis, potest suppleri identidem per aliud documentum, puta, per aliquod diploma, quod Confratri tradatur.

Non eadem sunt dicenda de receptione in Confraternitatem. Receptionis enim actus ad rei substantiam pertinet. Nemo enim Confrater aut sodalis appellari poterit, nisi in sodalitatem sit receptus. Formalis autem receptionis actus consistit in actu quo Sacerdos deputatus suam auctoritativam voluntatem ostendit recipiendi in Confraternitatem eum qui id petat.

Quare receptionis actus pertinet ad rei substantiam: inscriptio nominum, quoties sit praescripta, necessaria est ad integritatem receptionis.

Hoc praeterea sensu intelligendum mihi videtur superius allegatum Decretum pag. 220. Cum enim quaesitum esset: « An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati Carmeliticae, quae fit a Sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ordinis Carmelitarum descripta: » S.C. respondit: *Affirmative, dummodo Sacerdotes facultatem habentes, non deficiant in substantialibus; nempe in benedictione et impositione habitus ac in receptione ad Confraternitatem.*

Quoniam autem in Carmelitica Sodalitate, sicuti etiam in plerisque omnibus huiuscemodi Sodalitatibus, usu saltem sit receptum, ut fideles in albo Confratrum inscribantur, Sacerdotes legitime deputati ad re-

Digitized by Google

cipiendos in Confratres Carmeliticos, suo officio non facerent satis, si eorumdem nomina albo Confratrum non accenserent.

Non est porro existimandum Gregorium XVI. fel. recor. per indultum peculiare Patribus Carmelitis concessum die 30 Aprilis 1838 ratione quorumdam adiunctorum abstulisse tertiam substantialem supra dictam conditionem. Namque non dispensavit in receptione in Confraternitatem, sed super usu inscribendi Confratres in albo sodalitatis uti iam fecerat ob alia adiuncta Paulus V. Sed hac de re expedit historiam referre.

R. P. Paulus V. litteras dederat Patribus Carmeliticis in forma Brevis die 24 Aprilis 1617 in quibus inseruit atque confirmavit Instrumentum cuiusdam Conventionis inter Generalem Carmelitarum Congregationis Italiae et Procuratorem Generalem Carmelitarum discalceatorum Congregationis Hispaniae; in eo instrumento haec leguntur: « Conveniunt et paciscuntur, hoc proposito medio, videlicet; ut ubi » Patres Carmelitani erectam iam » habent Confraternitatem, possint » Discalceati sanctum scapulare petentibus concedere, sodalesque ita » admittere, ut eo ipso Confraternitati Patrum Carmelitarum adscripti censeantur et sint, et easdem » indulgentias, privilegia, facultates » aliasque spirituales gratias et indulta consequantur. Et eodem » modo si alicubi Patres Discalceati Confraternitatem prius erexerint, » possint Patres Carmelitani sanctum » scapulare ita petentes induere, ut » in Discalceatorum Confraternitatem » eo ipso adscripti censeantur et » sint, et easdem indulgentias, Privilegia, facultates aliasque spirituales gratias et indulta consequantur modo quo supra. »

Hoc Conventionis instrumentum confirmavit Paulus V. verbis: *et in eo contenta quaecumque, supplendo omnes et singulos tam iuris quam facti defectus,* atque decrevit: *Ordinis et Congregationum praedictarum Fratres ad plenariam illorum observationem teneri et obligatos esse.*

Hae Litterae extant in Bullario Ordinis Carmelitici Discalceatorum *tom.* 2 *pag.* 373.

Anno 1838 Generalis eiusdem Ordinis, exposita hac parte litterarum, supplicavit R.P. Gregorio XVI. hac ratione: « Annis praeteritis, quando in regnis catholicis abundabant Ordinis monasteria, facile erat ubicumque adscribere ad scapulare, aut saltem non in magna distantia erigere Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo seu sacri scapularis in regestis in quibus inscribitur nomen novi Confratris, ut ad litteram verificaretur, ipsum *descriptum in Confraternitatem,* gaudere posse indulgentiis concessis praesertim a R. P. Paulo V. fidelibus *descriptis aut describendis in Confraternitatem.* Sed hodiernis diebus ob deficientiam tot domorum Ordinis Carmelitici, et ob frequen-

Digitized by Google

tes facultatum petitiones, ipse Orator saepe difficile esse animadvertit et identidem impossibile cito adscribere nomina aggregatorum in aliqua Confraternitate Carmelitica canonice erecta: hinc dubitatio suboritur, an ob defectum huius crectionis, fideles priventur sacris indulgentiis, praesertim in sententia eorum, qui tenent tamquam conditionem *essentialem* ad earumdem indulgentiarum lucrum adscriptionem novi sodalis in libro alicuius Confraternitatis.

»Quare supplicat Sanctitati Vestrae ut concedere dignetur (iuxta Conventionem supra dictam et adprobatam a Paulo V.) fideles recipientes a Superioribus Ordinis vel ab aliquo Sacerdote auctoritate eorum sacrum scapulare *eo ipso* sine ulla inscriptione materiali nominis in libro alicuius Confraternitatis inscripti censeantur in Confraternitatem iam canonice erectam in loco ubi prima vice eisdem scapulare imponitur; vel (si neque Confraternitas Carmelitica adhuc erecta reperiatur in eo loco, urbe, oppido) sint *eo ipso* descripti in Confraternitatem viciniorem, et tanquam *in Confraternitatem* descripti gaudere possint indulgentiis, privilegiis, facultatibus, gratiis spiritualibus et indultis quae RR. Pontifices concesserunt Confratribus Carmeliticis sacri scapularis.»

Rescriptum.—Ex audientia SSmi die 30 Aprilis 1838 - *SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. attentis peculiaribus circumstantiis ac praevia sanatione quoad praeteritum, benigne annuit in omnibus iuxta preces, servatis tamen in reliquis de more servandis ad formam praecedentium concessionum, contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.*

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum.

Ex his documentis adductis satis apparet, antiquum fuisse morem in Carmeliticis sodalitiis inscribendi nomina novorum sodalium in regestis Confraternitatis: quemadmodum etiam usuvenit in reliquis huius generis sodalitatibus. Quin imo, cum datae essent aliquae indulgentiae *adscriptis* vel *adscribendis,* cumque ex aliquo impedimento eiusmodi adscriptiones declinari vellent, orta est dubitatio, an easdem indulgentias lucrarentur fideles quorum nomina non inscriberentur in Confraternitatis regestis.

Hanc dubitationem abscidit Apostolicum Indultum, quod omnes simul sanavit defectus. Sed maioris claritatis causa abs re non erit quaestionem iuridice considerare.

Haec dubitatio respexisse videtur illas dumtaxat Indulgentias, quae concessae erant *adscriptis* vel *adscribendis* in Carmeliticam sodalitatem, an scilicet alligatae essent materiali nominum inscriptioni, vel secus.

Si ea quae superius notata sunt heic applicentur, haec essent dicenda: aut ex litteris Apostolicis (quas prae oculis non habemus)

Digitized by Google

ostendi potest R. Pontificem peculiares indulgentias concedere voluisse Confratribus adscriptis quatenus adscripti essent, idest quatenus eorum nomina in libris Confraternitatis inscripta reapse reperirentur: et hoc in casu, illae indulgentiae percipi a Sodalibus non possent ob defectum conditionis cui erant alligatae. Ideo superius dixi hanc inscriptionem seu testimonium esse posse necessarium vel utile ad aliquos consequendos effectus. Aut eiusmodi indulgentiae, et quidem probabilius, concessae sunt Confratribus adscriptis vel adscribendis ita, ut sub verbis: *adscriptis* vel *adscribendis* intelligantur *legitime cooptati, legitime recepti* in sodalitatem vel recipiendi: idest per Sacerdotem auctoritatem habentem per benedictionem et habitus impositionem: et hoc in casu Confratres eas Indulgentias lucrarentur, quamvis Sacerdos omisisset inscribere nomina in albo Confraternitatis sive ex negligentia sive ex difficultate aut impossibilitate eadem nomina mittendi ad eum locum ubi erecta canonice reperiatur Confraternitas.

Neglecta enim dumtaxat hoc in casu esset conditio more usuque praescripta ad integritatem receptionis, non vero ad receptionis essentiam pertinens.

Sed fortasse dices: si eiusmodi nominum inscriptio in Carmeliticam sodalitatem possit omitti, nihil aliud superesse, in quo reponenda sit receptio: ideoque duas tantum substantiales conditiones remanere, benedictionem videlicet et impositionem habitus. Cui respondeo: in hac ipsa benedictione et impositione habitus, quae *auctoritate* fiant, consistere formalem receptionem. Formalis enim receptio consistit in actu auctoritativo recipiendi seu admittendi, sive id fiat verbis *te recipio, te admitto in confraternitatem*, et similibus, quae in formulis reperiuntur, sive etiam fiat per actus, qui idem per se aut significent aut necessario supponant.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

MATRIMONII.

Die 13 Iulii 1868.

Inter processus causarum matrimonialium ad formam SS. Canonum constructos laude dignissimum praesentem reperimus iudicio ipsius Defensoris Matrimonii ex officio Romae deputati, qui non solum nihil in contrarium potuit animadvertere, sed immo laude illum efferre coactus est. Processus autem constructus fuit in Curia Neapolitana, quam honoris causa nominamus.

Quamvis autem processus omnibus praescriptis opportunisque formis fuerit absolutus, attamen causa adeo implexa est fraudibus et mendaciis, ut, brevitati consulentes, non sine labore eruere potuimus, quae ad rectum causae conceptum nunc expondituri sumus.

Compendium facti. Caecilia Neapoli genita viro *garibaldino,* uti fertur, nupsit: anno 1860 vidua mansit, atque in matris suae domo aliquo tempore degit; deinde aufugit et cum Livio item *garibaldino,* uti fertur, viro vixit.

Tale habuerunt ad invicem vitae contubernium, ut vir et uxor viderentur, aut saltem frater et soror.

Ita simul iuncti varias domos successive habitarunt donec satis firmum domicilium sibi constituisse visus est Livius in domo A, quam ad annum conduxit, idest a die 4 Maii 1865 usque ad diem 4 Maii 1866; integro tamen anno in ea domo atque in ea paroecia non permanserunt quemadmodum dicturi sumus.

Caecilia et Livius hac vitae ratione non satis sibi prospexisse cupiditatibus visi sunt. Aderat in eadem urbe iuvenis Sempronius annos natus 17, qui, patre orbatus eodem anno 1865, bona paterna satis pinguia haereditavit: nihil praetermissum fuit a Livio, instigante etiam Caecilia, ut Sempronius se ipsam uxorem duceret. Caecilia id temporis in trigesimo aetatis suae anno versabatur: iam vidua et corrupta moribus non erubuit se in

Digitized by Google

documentis publicis iactare nubilem; neque Livius se cum Sempronio iactare veluti honestatis Caeciliae patronum et custodem.

Sed cum illis in locis aetate minores matrimonium contrahere non permitterentur nisi parentum consensus accederet; haec erat prima difficultas superanda: namque mater Sempronii, qui aetate minor erat, nunquam fuisset huic matrimonio certissime consensura.

Ut haec difficultas vinceretur, omni studio curatum est, ut mater Sempronii nihil prorsus sciret de filii matrimonio cum Caecilia contrahendo. Sempronius enim, qui veluti thesaurum in Caecilia reperire visus est, omnia silens; et Livius continue circumveniens Sempronium ut sileret, consilium inierunt discedendi e domo A, quam hactenus inhabitabant Livius et Caecilia, ut dixi: quamque domum die dumtaxat frequentabat Sempronius, qui nocte degebat apud matrem in propria domo.

Hoc consilium susceptum est tum ne haec quotidiana frequentatio suspicionem matri ingerere posset si ad aures eius pervenisset (quod non difficile ex personarum in vicinia degentium contingere poterat), tum praesertim ut matrimonium contraheretur in nova paroecia coram ignoto Parocho ex eadem causa.

Discesserunt itaque e domo A. secum ferentes partem supellectilium et clavem domus; reliquas supellectiles reliquerunt, quas asportari curarunt post matrimonium iam contractum. Haec contigerunt mense Ianuario 1866; incertum manet, an haec contigerint Ianuario incipiente vel mediante: alii pluresque testantur, haec evenisse die 14 vel 15 Ianuarii; alii vero die 4 Ianuarii. Se autem contulerunt in aliam paroeciam in qua prius, sumptibus ut videtur Sempronii, conduxerant quamdam domum, quam tamen utpote nimis incommodam deseruerunt post paucos dies; deinde in quoddam diversorium transierunt: illa domus videtur fuisse conducta ad tres menses cum dimidio, integro pretio una vice antea soluto, diversorium autem ad quindecim dies, quamvis ibidem non permanserint nisi octo dies ante matrimonium.

Hoc dierum intervallo, omnia fere festine peracta sunt ut negotium matri Sempronii ignotum maneret et simul expleretur. Apud Curiam fuit obtentum documentum liberi status per testes partim veros partim falsos, quamvis per accidens dicerent testimo-

Digitized by Google

nium verum: duae mulieres audacia et facilitate incredibili tamquam matres, una Caeciliae, altera Sempronii consensum dederunt unaquaeque pro matrimonio carissimae filiae, vel filii. Putabant autem coniuges matrem, quae non consensisset matrimonio, post matrimonium facto ipsi fuisse consensuram.

Ita omnibus compositis magna celeritate denunciationibus in ecclesia factis tribus successivis diebus, matrimonium contractum est die 22 seu 23 Ianuarii 1868 coram eo Parocho ignoto et testibus qui nomen etiam fictum assumpserunt.

Celebrato matrimonio, omnibusque iam compositis pro asportanda reliqua supellectile a priori domo A. et restituenda clavi, quin solveretur a garibaldino Livio annuae conventae locationis conductionisque merces, iter arripuerunt per alias Italiae urbes eiusdem Sempronii sumptibus, et tres menses delectationis causa vagati sunt. Redeuntes in propriam urbem alias incoluerunt domos a prioribus diversas: Sempronius autem qui antea suaserat matri se amicorum comitatu Italiam peragraturum, nunc etiam die in domo pro uxore conducta versabatur, noctu vero in paternam domum redibat.

Interea exorta est quaedam dissensio inter ipsum et Livium: cum autem Sempronius tunc studeret separare uxorem a Livio in cuius custodia permanebat, uxor ipsa evanuit e conspectu eiusdem, quam non amplius reperit in statuta habitatione: aufugerat enim cum Livio.

Tunc Sempronius se deceptum illusumque agnoscens omnia matri patefecit, cuius suasione causam hanc movit apud metropolitanam Curiam; quae, processu confecto, iudicavit matrimonium nullum ratione clandestinitatis.

Appellante matrimonii Defensore eiusdem Curiae, iuxta praescriptas normas, causa devenit iudicanda in secundo gradu in S. Congregatione Concilii.

Disceptatio synoptica.

Defensio Sempronii. — Sempronii Defensor in causae enarratione facienda totus in eo erat ut ostenderet et verum domicilium Caeciliam habuisse in domo A. et ab eo discessisse, quin illud derelinqueret ut matrimonium contraheret in nova paroe-

Digitized by Google

cia in qua mansit octo dies vel ad summum, ut alii deposuerunt, duodeviginti dies.

Id autem summi momenti erat ostendere in praesenti difficili causa quamvis prima fronte facilis fortasse videatur: namque, primo vere habito domicilio tempore matrimonii non adhuc derelicto, cum mulier ex hoc ipso vaga dici non posset; cumque novum neque domicilium nec quasi-domicilium acquisivisset in nova paroecia, nullitas matrimonii consequebatur ex carentia proprii alterutrius sponsi Parochi.

Facta itaque hac rerum enarratione, facile applicavit Defensor doctrinam S. Congregationis, quam inter caeteros refert Benedictus XIV. in *Inst.* 33 *n.* 8 nec non, dum esset S. Pontifex, in Const. *Paucis ab hinc,* in qua eam normam tradidit, quam sequuta erat S. Congregatio Concilii iuxta Fagnanum in Cap. *Significavit de Paroch. n.* 39 ubi scriptum reliquit: « Vir et Mulier » Traiectenses timentes impedimentum a parentibus cum ad vi- » cinam urbem Aquisgranam se contulissent, S. Congregatio con- » sulta super validitate censuit, *exprimendum tempus, quo con-* » *trahentes Aquisgranae manserunt, quod si fuerit saltem unius* » *mensis dandam esse decisionem pro validitate.* »

In praesenti autem themate, cum sponsi e propriis paroeciis discessissent ut declinaretur impedimentum quod mater Sempronii fuisset allatura: cumque se transtulissent in novam paroeciam ibique octo tantum dies permansissent, planum esse inferebat, iuxta doctrinam S. Congregationis, nullum censendum esse matrimonium.

Hisce copiose animadversis ad aliam potiorem difficultatem superandam gradum fecit Defensor, petitam ex carentia domicilii, quasi vero vaga dicenda esset Caecilia. Recte autem praenotavit, tum Livium in suo formali examine, tum Caeciliam in secunda sua iudiciali confessione, non vero in prima, rem ita studiose deposuisse, ut insinuarent se vagos esse habendos, quasi vero nullum haberent domicilium nisi ubi actu degerent.

Sed animadvertit Defensor, difficile esse quemquam sine domicilio esse *L.* 27 *ff. ad Municip.* §. 2 ubi Paulus ait: « *Difficile est sine domicilio esse quemquam, puto autem et hoc procedere posse, si quis domicilio relicto naviget vel iter faciat quaerens quo se conferat atque ubi consistat: nam hunc puto sine domicilio esse.* Quem

Digitized by Google

textum exornant Doctores; sic Barbosa, *Collect. Doct. in Conc. Trid. sess.* 24 *de Ref. c.* 8 §. 2: « Vagabundos illos proprie dici, » qui nullum certum domicilium habent, vel qui pristinum do- » micilium omnino deserentes amiserunt, et iter agunt vel na- » vigant animo acquirendi novum. » Item Berardi, *Comm. ad ius univer. diss.* 5 *de form. coniugior.* « Vagos dicimus illos, qui » facto et animo domicilium deseruerunt, nullibi stationem fi- » gentes, huc illuc sine ullo morandi proposito transmigrantes. »

Ex hac Canonistarum doctrina haec animadvertit Defensor: ut vaga mulier in praesenti themate dici possit, ostendi ex adverso debere, non quidem mulierem habuisse ante matrimonium *plura* domicilia; sed *nullum habuisse* domicilium. E contra ipsam Caeciliam in primo suo examine fassam esse, dies octo ante matrimonium in diversorium se transtulisse, *discedentes a proprio et reali domicilio:* certum in facto esse, supellectiles domesticas ante matrimonium in domo A. reliquisse; et post matrimonium pereunte mense Ianuario fuisse translatas; clavemque domus retinuisse, quae neque statim post matrimonium restituta fuit, sed multo post. Haec autem, Orator ait, eo animo facta fuisse, ut, cum res esset periculi plena, si matrimonium ob aliquod impedimentum contrahi non potuisset, ad eamdem habitationem redire possent: quare defuisse quoque animum domicilium illud derelinquendi tempore quo de matrimonio fraudibus contrahendo ageretur.

Neque posse vagam censeri Caeciliam, subiungebat, quasi vero tempore viduitatis nullum unquam domicilium contraxisset; observabat enim, Caeciliam semper mansisse apud Livium ut amasia penes amasium, aut vicissim, Livium semper mansisse apud Caeciliam. Sed etiam priori facta hypothesi, mulierem mansisse apud Livium, animadvertit, hoc in casu subintrare ea iuris principia quibus traditur: eos, qui famulatui, vel ex alia quacumque causa alicui sunt addicti, ibi posse contrahere matrimonium ubi famulantur, de qua re Maschat *Lib.* 4 *tit.* 3 *n.* 19 *Inst. can.* adhaerens S. C. C. Resolutionibus relatis a Benedicto XIV. *in alleg. Inst.* ait: « Contrahere possunt matrimonium coram Parocho loci » intra cuius parochiae limites degunt Praetor, Iudex, Medicus » temporalis, Professor alicuius facultatis et famuli licet exteri. » Item Berardi *loc. citat. dissert.* 5. « Sic insuper quicumque in

Digitized by Google

» certa domo habitant famulatui addicti coram eo Parocho rite » contrahunt in cuius parochia famulantur. » Parum autem hac in re interesse, an famulatus turpis vel honestus sit.

Concludebat autem orationem suam memoriae revocans, heic agi de iuvene fraudibus circumvento; non enim ipsum fuisse expetitum, sed eius divitias ut Livius et Caecilia commodiorem turpioremque ducerent vitam: dolum autem et fraudem nemini patrocinari debere.

Defensio matrimonii. — E contra matrimonii Defensor totus in eo erat ut ostenderet, Caeciliam deseruisse penitus domicilium in domo A. ac proinde, ipso facto novae habitationis ex animo statutae in alia paroecia, novum acquisivisse domicilium; quo in casu redundat disceptatio de tempore necessario ad acquirendum domicilium, cum ipso facto acquiratur; quod si negaretur, Caeciliam sufficiens domicilium acquisivisse in nova paroecia, contendebat, mulierem tamquam vagam habendam esse, proindeque potuisse valide contrahere coram quovis Parocho.

Antequam de his duobus quaestionis capitibus ageret Defensor, recoluit doctrinam quae tradi solet de domicilio ad iura parochialia acquirenda: idest differre domicilium *originis* et *habitationis,* cum primum sit immutabile, alterum mutabile: quoad domicilium habitationis quadruplicem casum dari; primum esse, quando aliquis in Parochia inhabitat, figens ibi domicilium, quo casu certum esse, quoad omnia evadere paroecianum eiusdem; secundum esse, quando nullibi fixum habeat domicilium sitque vagus, de quo inferius; tertium quando domicilium in aliquo oppido aut urbe obtinet atque discedat, brevi ad proprium domicilium rediturus, ut si abscedat causa recreationis vel ad ruralia exercenda, quo in casu certum est, manere paroecianum oppidi aut urbis et non illius ad quod accedat, *cap. Is, qui, De sepultur. in* 6°, ubi legitur: *Is, qui habet domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa; vel ut ruralia exerceat, si non electa sepultura decedat* (casum sepulturae Canonistae ad matrimonium aeque protendunt) *non in ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali ... sepeliri debebit:* quartum denique casum esse dum aliquis domicilium habet aliquo in loco et se transtulit in alium ibi habitaturus ad certum tempus causa negotii alicuius expediendi, ut, eo ex-

Digitized by Google

pedito, ad proprium redeat domicilium; eiusmodi esse scholasticos in loco studii, mercenarios in domo heri, sollicitatores in Curia, et similes.

Animadvertebat autem in postremo hoc casu totam consistere difficultatem, an scilicet ratione huius habitationis temporaneae aliquis ita evadat paroecianus in ea paroecia, ut Parochus huius paroeciae dici possit illius proprius ratione contrahendi matrimonii.

Et quidem in postremo hoc casu, alios sustinere requiri *animum* constituendi ibi domicilium, ita ut si hic animus non adsit redeat tertius indicatus casus: alios e contra sustinere acquiri omnia iura parochialia ratione *habitationis,* quando haec habitatio non brevi tempore sit finienda ratione negotii expediendi; hanc secundam opinionem doctrinam esse Friderici de Senis passim a Canonistis invocati in *Cons.* 254 *incipien. Subsequens quaestio, vers. Ista iura,* ubi addit non esse arguendum *de iure parochiae ad ius domicilii,* quia ad ius parochiae consideratur *praesens status,* idest *habitatio praesens;* atque idem auctor concludit, illum dici parochianum, qui *habitat* in *parochia* animo manendi, licet *non animo domicilium constituendi.*

Utrum autem primae vel secundae opinioni sit adhaerendum, sic Sanchez docere *De matrim. l.* 3 *de cons. cland. disp.* 22 *n.* 13, « sit conclusio: quamvis prior sententia sit probabilissima, at » posterior mihi arridet tamquam verior. Durum enim mihi vi» detur, ut scholastici et alii, qui maiore anni parte, immo et » multis annis, in aliqua dioecesi habitant, non possint ibi ma» trimonio coniungi et sepeliri, dum non debeant in ea pa» rochia in qua decedunt canonicam portionem et non possint » ibi votorum et aliorum casuum dispensationem obtinere. Et » ita credo ad omnia, dempto Ordinis sacramento, effici aliquem » parochianum et subditum alicuius dioecesis, quando maiore » anni parte ibi inhabitat. »

Ac *num.* 14 idem Auctor sequitur: « hinc infertur, non » opus esse expectare, ut maiore anni parte si in parochia aut » dioecesi habitarint, sed statim ac animum habitandi maiore » anni parte habentes, incipiunt habitare, effici parochianos et » posse omnia dicta erga illos exerceri. Sicut enim ad domici» lium nullius temporis habitatio requiritur, sed statim ac quis

Digitized by Google

» incipit habitare animum habens habitandi toto tempore requi- » sito efficitur parochianus. »

Hac exposita doctrina, Defensor, animo potius ingenio ludendi quam serio disceptandi, sic subiungebat, adversarios concedere Caeciliam discessisse e proprio domicilio, seque transtulisse ineunte mense Ianuario in aliam paroeciam, ibidem selegisse habitationem causa alicuius negotii expediendi, ut eo expedito ad suum reverteretur domicilium: hunc esse casum consideratum a Friderico de Senis, quo validum censendum est matrimonium ibi contractum: negotium autem expediendum fuisse ipsum matrimonium tuto cum Sempronio celebrandum, ut declinaretur huius matris dissensus.

Sed inde Orator assurgens ostendere curabat, constare in facto, facilitate summa pluries antea mutavisse Caeciliam domicilium; et in ipsa domo A. quam eius amasius ad annum incolendam conduxerat, mansisse tantum octo menses, neque continue: eam vero dereliquisse dum transiit in novam paroeciam, ita ut animum habuerit nunquam ad illud domicilium redeundi prout ipsa aliique testes fassi sunt in iudicio; atque animum habuisse constituendi novum: supellectiles asportavisse, clavem retinuisse ita, ut syngrapha deinde recepta, eam restituerit. Hoc porro in casu frustra quaeri de tempore quo in nova paroecia habitaverit: cum animo et facto statim domicilium acquiratur: adfuisse in praesenti themate factum habitationis et animum ibi domicilium novum figendi, de quo etiam Parochus testatus in iudicio fuerat his verbis: *iuxta id, quod ipsi* (sponsi) *asseruerunt domicilium habebant in domo meae paroeciae:* item ipsos sponsos in iudicio fassos esse, se domicilium mutasse, et novum constituisse ut ita declinato consensu matris Sempronii matrimonium contrahere possent.

Neque dicas haec facta fuisse in fraudem proprii Parochi et Tridentinae legis: namque dici non posse fraude illum agere qui iure suo utatur; unicuique autem facultatem esse habitationem domiciliumque mutandi.

Haec omnia Defensor variis exornans auctoritatibus gradum fecit ad alterum quaestionis caput: idest contendit Caeciliam vagam esse censendam si domicilium aliquod in nova paroecia non contraxisset. Ad hoc ostendendum animadvertit, duo pro constituendo vago requiri; primum ut domicilium deseruerit;

Digitized by Google

secundum ut aliud non acquisiverit; unde peregrini ideo vagi non dicuntur, quia non deserunt domicilium, cum animum habeant ad illud redeundi.

Vagam autem contendens esse Caeciliam, haec Defensor recolebat: ante primum matrimonium in domicilio matris eam fuisse quod contractis nuptiis cum garibaldino viro dereliquit: mortuo hoc viro anno 1860 amisisse viri domicilium et rediisse ad matrem, a qua aufugiens nunquam ad eam rediit: deinde ad aliam se contulisse domum in qua degit quinque menses: postea incoluisse domum A. de qua sermonem habuimus, ibique mansisse octo menses: hanc domum dereliquisse et in aliam paroeciam se contulisse in domum, quam, iuxta dictum Caeciliae, Sempronius cum Livii consensu conduxerat ad quatuor menses, ubi mansit octo dies et deinde in diversorium transiisse ubi manserat octo dies ante matrimonium, illudque diversorium conduxisse ad quindecim dies, cum, matrimonio celebrato, abscedere statim cogitarent.

Hisce continuis habitationis mutationibus enarratis, animadvertit, Caeciliam nullibi habuisse animum manendi, cum more pecudum huc illuc impelleretur inserviens genio garibaldini viri: unde concludebat, ab anno 1860 ac deinceps nullum unquam domicilium acquisivisse; proindeque matrimonium validum inire potuisse coram quovis Parocho.

Hisce aliisque copiosissime deductis ac disputatis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolis sit confir-
» manda vel infirmanda in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 13 Iunii 1868 respondere censuit: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex his colliges:

I. Turpem mulierem, quae libidini indulgens studiose se tradat alicui viro, viri eiusdem domicilium contrahere cui se tradidit.

II. Eum sine domicilio dici non posse, qui sedes facile mutet, stabilemque sibi constituere non studeat, quamvis hic ad vagorum indolem plus minusve accedere videatur.

Digitized by Google

III. Eos, qui discedunt e propria paroecia, in aliam transeuntes ut matrimonium dumtaxat ibi contrahant, nullo canonico domicilio antea ibi statuto sive vero sive praesumpto, matrimonium valide contrahere ibi non posse (1).

IV. Nec interesse, an interea sponsi cogitent, matrimonio celebrato, non amplius se redituros esse ad domicilium a quo discesserunt, si tempore saltem matrimonii sic celebrati non plene pristinum domicilium deseruerunt.

CELEBRATIONIS MISSARUM.

Die 1 Februarii 1868.

Compendium facti. Aderat intra limites dioeceseos N. rurale templum S. Michaeli Archangelo dicatum, quod multo post in paroeciam fuit erectum, in quo Cappellanus die festo in ruricolarum commodum Missam celebrabat. Non longe aderat aedicula quaedam cum immagine B. V. Mariae.

Labente saeculo XVII. eo pervenit erga hanc sacram imaginem pietas ac ruricolarum frequentia, ut pius quidam Canonicus permotus fuerit propriis sumptibus templum Episcopi auctoritate aedificare cum adnexis aediculis usui et habitationi Cappellani a se eligendi.

In hoc novo templo tum dictus Canonicus tum Cappellanus Missam in aliquot anni solemnitatibus celebrare coeperunt.

At cum Sacerdotum zelus et exemplum sit potentissima causa ad movendum fidelium animum, ut spiritualibus commodis sibi prospiciant posteaquam ea degustaverint; anno 1726 nonnulli agricolae prope novam ecclesiam habitantes prospicere cupientes pastorum commoditati, nec non totius communitatis (ibi enim magna erat incolarum frequentia, nec poterant omnes familiae uni Missae sacrificio simul assistere) convenerunt cum dicto Canonico, ut quovis die festo Missa in eo templo summo mane celebraretur, et antequam consueta Missa celebraretur in

(1) Confer causas huius generis adductas in *Vol. I. p.* 138, *vol. II. p.* 385 *et* 434.

Digitized by Google

templo S. Angeli: seque obligarunt ad dandum singulis annis quamdam frumenti mensuram dicto Canonico tamquam templi patrono pro Cappellano ab eo vel suis eligendo, qui eam Missam celebraret, ita tamen ut utrique contrahentium parti libera facultas maneret ab obligatione resiliendi.

Haec Concordia seu conventio exsecutioni statim mandata est. Interim die 18 Maii 1737 dictus Canonicus decessit testamento confecto praecedenti mense, quo haeredem universalem sibi scripsit templum illud, ea sub conditione, ut in cathedrali ecclesia tres Canonicatus et Dignitas Archidiaconatus erigerentur: quibus Canonicis imposuit officium faciendi satis quibusdam Missarum legatis in novo templo celebrandarum, quin tamen explicite statuerit de Missa celebranda diebus festis iuxta dictam conventionem: rogabat denique Episcopum pro tempore, ut specialis esse vellet *exsecutor testamenti* eidem tribuens *omnes facultates necessarias et opportunas faciendi mutandive ac si esset ipsa testatoris persona, ac moderandi ea omnia, quae ipse praevidere non potuisset.*

Episcopus iuxta traditas facultates haud censuit supremam hanc voluntatem exsecutioni statim mandare, cum haereditas magno aere alieno gravaretur.

Denique anno 1781 Episcopus eius temporis in actu sacrae visitationis, loco trium Canonicatuum et Dignitatis, quatuor erexit Cappellanias perpetuas cum omnibus et singulis oneribus et redditibus a Canonico relictis, quae voluntatis commutatio adprobata fuit a Benedicto XIV.

His erectis unus ex dictis Cappellanis pro populi commoditate singulis diebus festis Missam celebraturus ad novum templum S. Mariae accedere consuevit.

Anno 1855 Episcopus illius temporis decrevit, ut diebus festis Missa summo mane celebraretur in paroeciali templo S. Michaelis et non nisi post aliquod tempus in templo S. Mariae. Hoc tamen Decretum non videtur fuisse exsecutioni mandatum.

Anno vero 1864 Episcopus decrevit ut in templo S. Mariae Missa celebraretur duabus horis post Missam paroecialem: hoc autem Decretum sub poena suspensionis servari iussit illi Cappellano qui eo anno dictae celebrationi Missarum faciebat satis.

Digitized by Google

Cappellanus reclamavit, et controversia devenit ad S. C. C. ad quam etiam preces missae sunt nomine familiarum illius regionis, quarum favore Missa vi primitivae conventionis celebrabatur.

Rogatus de more fuit Episcopus qui referret tam de bono Oratoris iure, quam de precibus eorum incolarum.

Episcopus praeter iuris deductiones, de quibus in disceptatione synoptica, enarravit, se id fecisse ad removendam fidelium incertitudinem ac confusionem hac in re saepius repetitam: hoc Decretum fuisse denunciatum illi Cappellano, qui Cursori significavit se illi Cappellaniae renunciare: se alium Sacerdotem eius loco suffecisse ruricolarum eleemosynis compensandum, qui post suos labores parum vel nihil habuit ab illis agricolis; ideoque a Missa celebranda eo in templo cessavisse. Enarravit insuper saepe saepius Parochum S. Michaelis alium Sacerdotem vocare ut in ipso paroeciali templo altera celebretur Missa. Nec omittere censuit Episcopus, intra fines eiusdem paroeciae aliud reperiri rurale templum in quo Sacrum singulis diebus festis celebraretur, quo ruri degentes praecepto satisfacere possent.

Animadvertebat autem Cappellaniam ruralem S. Mariae distinctam esse a quatuor erectis Cappellaniis: eius Cappellaniae ruralis officio nullum fuisse oneratum, cum Canonici testatoris morte eius familia cessaverit: Episcopum, ex iurisdictione ordinaria vel vi dicti testamenti collata, posse eligere Cappellanum in eo publico templo S. Mariae Missam celebraturum: Concordiam anno 1726 initam sive ob testamentum, sive ob contumaciam villicorum in Cappellano non compensando fuisse finitam etc.

Disceptatio synoptica.

Ea quae militabant favore episcopi. Animadversum scilicet est, Canonicum Testatorem in calce testamenti plenam fecisse potestatem Episcopo pro tempore disponendi prout melius iudicavisset, ac si eadem esset testatoris persona. Posita autem hac potestate, eas constitutas Cappellanias et legata adnexa firmam non habuisse legem; ideoque canonicas leges quae prohibent, quominus voluntates fundatorum immutentur, invocari non posse.

Quin imo in praesenti themate, cum ageretur de Missis Cappellaniae ruralis, observabatur, posse Episcopum prohibere Mis-

Digitized by Google

sae celebrationem antequam Parochus Missam celebraverit hora populo accomodatam, prout pluries resolutum fuisse refert Ferraris in *Bibl. can. verb. Missa art.* 5 *n.* 34. ubi legitur: « Potest » tamen Episcopus Decreto Synodali statuere, ut diebus festis de » Praecepto Missae celebrari non debeant in Oratoriis et eccle» siis ruralibus, nisi celebrata Missa in ecclesia parochiali, ut » declaravit S. C. C. *in S. Agathae Gotorum* 25 *Maii* 1652 etc., » ita tamen ut Missa parochialis ora opportuna celebretur. » Et Benedictus XIV. in *opere de Synod. dioec. l.* 12 *c.* 7. *n.* 7, animadvertit: « Denique opus est adnotare, aliqua interdum a sa» cris Urbis Congregationibus edi responsa, quae licet iuri com» muni sint conformia, non tamen labefactant contraria Syno» dorum statuta, quae alicubi iustis de causis vigeant, neque ab » illis in posterum servandis quempiam excusant. Ita quamvis a » S. Congreg. Concilii saepius decisum fuerit, *de rigore iuris » non posse a Parocho prohiberi, ne in publicis Oratoriis sitis in» tra suae paroeciae fines, Missae celebrentur ante Missam paro» chialem,* nihilominus si Episcopus in synodo, autem etiam ex» tra synodum, contrarium iusserit, ne populus retrahatur a » Missa parochiali et concione, in ea per Parochum haberi so» lita, Episcopi praeceptum praevalebit, eique erit obtemperan» dum etiam ex eiusdem S. Congregationis sententia, quae die 25 » Mai 1652 respondit: *Constitutiones synodales disponentes, ut die» bus festis Missae celebrari non debeant in aliis ecclesiis, nisi » celebrata Missa in ecclesia parochiali, esse observandas.* »

Et rogata S. C. in *Forolivien.* die 18 Nov. 1684: « An Benefi» ciatus seu Rector in dicta sua ecclesia S. Mariae possit Mis» sam celebrare ante Missam a Parocho celebrandam respondit: » *Affirmative, nisi aliter Episcopus rationabiliter disponat.*

Recolebatur praeterea Resolutio S. C. C. in *Lucana Cappellaniae* diei 17 Septembris 1722, quam expedit heic Synoptice referre, ut melius intelligatur harum Resolutionum valor. Quaestio erat de pio testamento exsecutioni mandando, quo testator mandaverat, ut ecclesiola erigeretur in sua Villa et in ea Missa quotidiana et Festum S. Annae celebraretur: executores testamentarii supplicarunt Episcopo pro facultate erigendi ecclesiolam. Cum Parochus huic erectioni resisteret, Episcopus facultatem non dedit, ex ea ratione quod accedentibus villicis ad audiendum

Digitized by Google

Sacrum in eiusmodi ecclesiolis et praesertim diebus festis, non audirent a Parocho salutaria verba nec ab eo instituerentur in iis, quae scire omnibus est necessarium iuxta *cap.* 2 *Sess.* 5 *Concilii Trid. de Refor.* Concludebat autem Episcopus, Missae quotidianae celebrationem vel esse transferendam in paroecialem ecclesiam, vel permissa ecclesiolae constructione, rem sic componi posse, ut eadem Missa diebus festis de praecepto celebraretur in ecclesia paroeciali.

S. Congregatio antequam rem definiret, rogavit Episcopum ut referret 1° super distantia paroeciae a novo Oratorio: 2° super numero Missarum, quae in paroeciali ecclesia celebrabantur: 3° super numero paroecianorum: et 4° an aliqui paroeciani longe distarent a paroeciali ecclesia. Episcopus rescripsit: locum Oratorii distare quarta parte milliarii: duas Missas celebrari in paroecia diebus festis de praecepto: paroecianos esse 270: domum magis a paroecia remotam distare versus orientem dimidio milliario, et versus occidentem quarta milliarii parte ubi Oratorium esset construendum. Itaque S. C. reclamationi per *summaria precum* expositae die 7 Decemb. 1720 respondit pro facultate construendi ecclesiam et in ea celebrandi Missam diebus ferialibus, ita tamen, ut Missa diebus festis de praecepto in paroeciali ecclesia celebraretur. Reclamantibus iterum exsecutoribus testamentariis respondit die 13 Septemb. 1721: *In decisis.*

Rescripta haec prodierunt inter summaria precum, quae in plena Congregatione perlectae fuerunt: cum autem dicti exsecutores instarent, ut causa proponeretur *in folio,* propositum fuit dubium: « an sit standum vel recedendum a decisis in casu.»

Ex officio adnotabatur, militare pro persistentia in decisis rationes ab Episcopo adductas, qui in concedenda venia erigendi Oratorium inquirere debet, an Populus nimium abstrahatur ab ecclesia paroeciali et sic incidat in ignorantiam circa credenda et observanda, Petra *ad Constit. Apostol. t.* 1 *pag.* 390 *n.*69, Monacelli *Formul. t.* 2. *pag.* 52 *n.* 42: pro recessu vero a decisis militare, quod ecclesiola ad placitum non aedificaretur, sed in exsecutionem ultimae voluntatis; quod non esset de necessitate praecepti audire Missam diebus festis in ecclesia paroeciali; quod alia passim haberentur Oratoria in dioecesi Lucana; quod maiori populi commodo cederet ad Sacrum audiendum; quod Cappelanus

posset ea praestare fidelibus in Oratorio quae praestaret Parochus in paroecia; quod alias S. Congregatio facultatem concesserit celebrandi in simili Oratorio, addita clausula: *sine praeiudicio iurium paroecialium.*

Proposito itaque dicto dubio die 17 Septemb. 1722, S. C. respondit: *In decisis, excepta festivitate S. Annae, et amplius.* Haec ex illa causa Lucana.

Observabatur insuper hanc Antistitum facultatem non solum referri ad Oratoria erigenda, sed etiam ad iam erecta, ut in *Bredana* diei 22. Februarii 1862 §. *His tandem.* Qua quidem facultate usum etiam fuisse Benedictum XIV. cum Archiepiscopus erat Bononiensis, *Instit. eccles.* 44 *n.* 8, qui ob dictas rationes prohibuit quoque, ne in aliquibus ruralibus ecclesiis intra mille passus a paroecia constitutis Missa diebus festis celebraretur.

Defensio cappellani et agricolarum. Horum Orator facta rerum narratione initio animadvertit, Canonicum testatorem valde praedilexisse tum in vita tum in morte per testamentum templum illud et commoditatem circumstantium agricolarum: conventionem initam anno 1726 apprime servasse, ac obligasse suos erigendos Canonicos, ut conventam Missam, idest *pro populi commoditate celebrarent,* praeter alias sacras functiones, in eo templo perpetuo statis temporibus peragendas, eamdemque conventionem et legem fuisse ab eo tempore usque in praesens adamussim servatam.

Sed facta etiam hypothesi, hanc legem celebrandi eam Missam pro populi commoditate non fuisse clare in testamento expressam, contendebat Orator, ipsum templum haeredem inscriptum seu Cappellanos dein constitutos, qui bonis templo relictis fruerentur, teneri tamquam haeredes ad onera satisfacienda perpetuo contracta a testatore.

Neque heic agi de Cappellania, sed de simplici onere celebrandi Missam primo mane in agricolarum commodum, qui non possent omnes accedere ad aliam ecclesiam; ad quod onus non solum sese obligaverat testator per eam conventionem, sed suos quoque haeredes in futurum expresse obligavit.

Neque posse Ordinarium, quamvis amplissima facultate praeditum in exsequendo testamento subvertere manifestam Testatoris voluntatem, praesertim quando voluntas illa iam exsecu-

Digitized by Google

tioni sit mandata, atque servata per spatium, ut in casu, centum sexaginta annorum.

Hisce in facto amplissime animadversis, gradum fecit Orator ad quaestionem iuris, recolens, ex iuris rigore non posse prohiberi quominus Missae celebrentur ante Missam a Parocho celebrandam, id perpensum esse in *Ianuen. Oratorii* diei 15 Iulii 1844 §. *Verum:* et ex Trid. Concilio *sess.* 24 *cap.* 7, paroecianos esse quidem monendos, sed non cogendos ut Sacrum audiant in ecclesia paroeciali: concludebat eo tantum in casu ab Episcopo horas posse praescribi, quando alia ratione spirituali fidelium bono prospici nequeat, prout perpensum fuit in *Reatina* die 24 Aprilis 1830 §. *Itaque:* quod quidem significatum fuisse in allegata *Forolivien.* per verba, *nisi aliter Episcopus rationabiliter disponat.*

Atque nonnulla indicavit exempla Orator, quae rationabilem causam praeseferrent mutandi statuendique horam in Missis celebrandis, cuiusmodi ea sunt quae leguntur in *Urbevetana* anni 1777. §. *Mortuo,* in qua cum ageretur de duabus Missis quae eadem hora celebrarentur, haec perpensa sunt: « Populus in unum » ad ecclesiam eadem hora convenire non potest. Matribus siqui- » dem necesse est infantes gestare; nonnullis vero, prout agricolis » pastoribusque usuvenire solet, in custodia boum et armentorum » occupari; aliis demum in aliis remanere negotiis, dum fami- » liae reliqua pars ad audiendam Missam se confert. Unde acci- » dit saepius, ut multi Sacro non intersint, nisi praesens af- » feratur remedium etc. » Idemque perpensum fuisse animadvertebat in *Brictinorien.* die 20 Aprilis 1793 §. *Nedum.* ubi legitur: « Quod et isthaec S.ª Congregatio cognovit, cum declaravit: *ce-* » *lebrari debere Missam primam diebus festis pro Rusticis ante* » *solis ortum.*

In praesenti autem causa, easdem adesse testabatur rationes ut Missa primo mane celebraretur in ecclesia S. Mariae, quibus insuper accederet Conventio, testamentaria obligatio, et observantia centum sexaginta annorum.

Haec quidem confirmabat aliis Resolutionibus ut in quadam *Placentina Celebrationis Missae,* in qua agebatur de Cappellania instituta cum onere celebrandi Missam quotidianam in aurora singulis diebus, et hoc etiam pro maiori commodo et beneficio

Digitized by Google

hominum loci Mornici, ut possent illam audire antequam incumberent in operas. Cum autem Cappellanus diebus festis hora sibi commoda celebraret et Communitas reclamaret; Episcopus suo Decreto die 26 Septembris 1768 favore Parochi edixit: « Cappellanum celebrare debere diebus feriatis maiori commodo » Populi in aurora, diebus autem festis celebrare posse hora » ipsi melius visa, dummodo tamen non celebret tempore Mis» sae parochialis et hora impeditiva functionum parochialium.» Proposito autem dubio: « An Cappellanus teneatur quotidie ce» lebrare Missam in aurora etiam diebus festivis in casu: » S. C. respondit: *affirmative, et amplius.*

Item in quadam *Comaclen.* diei 27 Iulii 1763 agebatur de publico Oratorio in quo ab eiusdem erectione Missa diebus festis celebrari consuevit. Parochus autem Episcopi Decretum anno 1760 provocavit ne in diebus festis solemnioribus Missa celebraretur in dicto Oratorio, ex eo praesertim, ut ruricolae accederent ad ecclesiam paroecialem ut docerentur rudimenta fidei: at observatum fuit inter caetera e contrario, ut, si Missa non celebraretur in eo Oratorio, Agricolae circumstantes nullibi praecepto satisfacerent. Proposito autem dubio: « An liceat in » publico Oratorio *de Calamette* libere celebrare etiam in festis » solemnioribus in casu: » S. C. respondit: *Affirmative.*

Hisce aliisque animadversis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo sustineatur Episcopale Decretum diei 7 » Aprilis 1864 in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 1 Februarii 1868 respondere censuit: *servetur Concordia anni* 1726.

Ex quibus colliges.

I. Ex universali invecta consuetudine, Fideles non teneri ad satisfaciendum praecepto audiendi sacrum in paroeciali ecclesia.

II. Quare, hac consuetudine pro fidelium libertate militante, eos non posse cogi sed tantum moneri posse ad illud audiendum in paroeciali ecclesia.

Digitized by Google

III. Posse tamen indirecte in pagis et oppidis eosdem ad id in eorumdem bonum induci, impedimentis submotis, quae eosdem ab ecclesia paroeciali magis averterent.

IV. Ea tamen impedimenta submoveri facile saltem non posse, quibus submotis, alia laedantur peculiaria ruricolarum iura legitime iamdiu acquisita.

V. Eadem autem impedimenta submoveri nullimode posse, quae, undequaque legitima, in spirituale potius ruricolarum damnum submoverentur, quam in eorumdem bonum.

VI. Colliges demum; eiusmodi causas sive prohibendi Missae celebrationem in ruralibus Oratoriis diebus festis, sive immutandi celebrationis horas pro locorum et personarum conditione, multo melius posse cognosci in diocesana Synodo, quam ex alicuius Parochi instantia aut querimonia (1).

REFORMATIONIS STATUTORUM CAPITULI.

Die 12 Septembris 1868.

Compendium facti. Pius VII. fel. rec. per Bullam *De salute animarum,* editam die 16 Iunii anni 1821 in Regno Borussico novam Dioecesium circumscriptionem atque Cathedralium ecclesiarum erectionem constituit. Voluit praeterea, ut ecclesia N., quae nunc sex Canonicis constat et Praeposito, nec non pluribus Vicariis, in Collegiatam erigeretur: et in eadem Bulla facultas tributa est Capitularibus condendi capitularia statuta eo modo et forma, qua Capitulis Cathedralium tribuebatur. Expedit verba Bullae referre, quae loco generalis normae in condendis Capitularibus statutis habenda sunt. Haec autem leguntur in §. 18: *Cuilibet similiter ex supradictis Capitulis cathedralibus nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi capitulariter congregati, pro modo et circumstantiis magis accomodato earumdem*

(1) De quaestione autem generatim considerata, an cogi possint Cappellani ad Missam celebrandam determinatis horis, recoli possunt Causae adductae in *Vol. II. pag.* 297 *et Vol. III. pag.* 92.

Digitized by Google

Archiepiscopalium et Episcopalium ecclesiarum, earumque chori quotidiano servitio, nec non rerum ac iurium tam spiritualium quam temporalium prospero felicique regimine, gubernio ac directione, onerumque iis respective incumbentium supportatione, distributionum quotidianarum et aliorum quorumcumque emolumentorum exactione ac divisione, et poenarum incurrendarum a non interessentibus divinis officiis incursu, singulorum praesentiis et absentiis notandis, caeremoniis ac ritibus servandis et quibusvis aliis rebus circa praemissa necessariis et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen atque honesta et sacris canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Decretisque Concilii Tridentini minime adversantia, sub praesidentia, inspectione et approbatione respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum edere atque edita declarare et interpretari ac in meliorem formam redigere et reformare, seu alia de novo ab illis ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observanda sub poenis contra facientes statuendis, pariter concedere atque edere libere ac licite valeant, facultatem perpetuo concedimus et impertimur. Eadem facultas tributa est in iisdem Litteris Apostolicis Capitularibus ecclesiae N. de qua agimus.

Idem Pontifex Bullae exsecutionem commisit Episcopo Varmiensi, cui expressam tribuit facultatem subdelegandi, praesertim in locis ab eius residentia remotis. Subdelegatus ab Episcopo Exsecutore ea, quae pertinebant ad Capitulum N. peregit, ac inter caetora eiusdem etiam capitularia statuta tamquam S. Sedis Subdelegatus, diplomate dato, approbavit atque confirmavit.

Archiepiscopus intra cuius dioecesim Capitulum N. reperitur, anno 1857 in relatione status suae ecclesiae exposuit, inter capitularia eiusdem statuta haec reperiri: §. 13 « Singulis » diebus saltem Missarum solemniis ab introitu usque ad finem, » si non toti Officio divino, intersint Praepositus et Canonici, » nisi morbus gravis aut absentia legitima in ecclesiae negotiis » eos excuset; qua quidem praesentia sola non modo fructus » suos facient, sed negligentes etiam quinque argenteis mulctentur in usum Sacristiae impendendis. Vicarii vero omnibus Officii horis et summo Sacro intersint; qui sine licentia aberunt » in eamdem mulctam committunt.»

Digitized by Google

Et §. 16, exponebat idem Antistes, provisum fuisse, ut die Dominica in festis duplicibus primae et secundae Classis, nec non in duplicibus maioribus Canonicus hebdomadarius legeret in choro Capitula, Responsoria, Orationes etc. caeteris vero diebus per hebdomadam Vicarii legerent; atque Canonicos putare, se ad chori frequentationem, plus quam his statutis expressum esset, non teneri.

Praeterea exposuit, haec quoad Missae Conventualis applicationem statuta fuisse, §. 19: « Caeteri quoque Canonici diebus » Dominicis Missam Conventualem pro iis applicabunt qui be- » nefecerunt Basilicae nostrae; caeteris diebus per hebdomadam » intentione libera. Fundationum obligationibus erga congruum » stipendium satisfiat. »

Quaerebat itaque Archiepiscopus utrum haec tuta conscientia servari possent.

Quaestione proposita per *Summaria precum* seu per supplices libellos in comitiis habitis die 17 Decembris 1859, hoc prodiit Rescriptum: ***Esse locum reformationi statutorum, ita ut facta aequa mulctae quinque argenteorum partitione pro singulis horis, Canonici toti Officio Divino interesse et Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere quotidie applicare teneantur. Supplicandum tamen SSm̃o pro gratia reductionis servitii alternis hebdomadis, exceptis diebus festis etiam suppressis.*** Hanc Resolutionem SSm̃us D. N. adprobavit.

Canonici non statim acquieverunt, praesertim quoad chori frequentationem, ex ea ratione, quod Archiepiscopus non retulerat S. Congregationi, statutis capitularibus accessisse adprobationem subdelegati a Romano Pontifice; quodque si eiusmodi circumstantia omissa non esset, profecto statutorum reformatio decreta haud fuisset.

Novus Archiepiscopus antequam Canonicos cogeret ad plenam Resolutionis exsecutionem, cum rationes a Canonicis adductae speciem aliquam veritatis praeseferrent, melius duxit, rem S. Congregationi iterum proponere, et suam quoque sententiam S. C. patefecit. Enarravit autem, eius Antecessorem Archiepiscopum (eum nempe, qui ad eam Archiepiscopalem Sedem iam evecturus, exsecutioni mandaverat, ut subdelegatus, Apostolicas Litteras quoad Capitulum N.) statuisse, ut Praepositus, Cano-

Digitized by Google

nici numerarii et Vicarii, funeralium titulo, continuarent percipere Praebendarum redditus per nonaginta proximos post obitum dies: Redditus ultra hoc tempus vacantis Praepositurae et Canonicatuum aerario distributionum accrescerent, et in census annuos elocarentur, quorum usum futurae destinationi faciendae sibi reservaverat; Vicariorum autem redditus inter eosdem Vicarios distribuerentur. Cum autem morte fuisset praeventus de horum censuum usu nihil statuisse: successorem autem eius ad preces Canonicorum pro nonnullis annis concessisse, ut ecclesiae redditus, qui subtractis omnibus oneribus quotannis superessent, aerario distributionum pariter applicarentur; atque insuper resolvisse, ut eiusdem aerarii seu fundi redditus, ab ipsis Canonicis numerariis aequali portione, et a Praeposito portione duplici perciperentur: nihil autem statuisse de servitio, quod a Canonicis praestandum esset ad hos redditus lucrandos: interea autem annuos huius fundi redditus adeo fuisse auctos, ut singuli sex Canonici ducentos circiter thaleros Borussicos, Praepositum autem quadringentos ex eo fundo perciperent: porro a Gubernio singulis Canonicis quotannis solvi salarium 420 thalerorum et Praeposito 840: praeter haec, Canonicos ex aliis ecclesiae fructibus 200 circiter thaleros percipere, ita ut annui redditus aerarii distributionum omnium cuiusvis Canonicatus fructuum quarta pars circiter esset, quae tamen paulatim exscresceret in futuris vacationibus.

Hisce enarratis, quae enarranda erant, Archiepiscopus suam aperuit sententiam his verbis: « optime provisum foret, si loco
» mulctae quinque argenteorum, huius aerarii distributionis an-
» nui redditus reapse converterentur in quotidianas distributio-
» nes in singulas horas dispertiendas, quas ii tantum lucrari
» possint, qui iuxta Resolutionem S. Congregationis diei 9 Ia-
» nuarii 1860 a Summo Pontifice confirmatam, statis diebus in
» choro deserviant. Quare humillime precor, ut Emi Patres a
» SSmo facultatem mihi impetrare dignentur, ut sublata quin-
» que argenteorum mulcta, pro tertia parte fructuum secundum
» Decreta Conc. Tridentini in quotidianas distributiones conver-
» tenda, substituere possim annuos redditus dicti aerarii distri-
» butionis. »

Digitized by Google

Disceptatio synoptica.

Nonnullae animadversiones, prout moris est, ex officio factae sunt: animadversum est triplicem esse quaestionem, quarum prima respiceret statutorum reformationem quoad chori frequentiam, altera distributionum fundum, tertia denique absolutionem ab omissionibus.

Quoad primam animadvertebatur, praecipuum Canonicorum munus esse, ut in choro integrum Divinum officium recitent; *Clement. cap.* 1 *de celeb. Missar.* ubi iuxta sacros Canones praescriptum habetur: *In Cathedralibus, Regularibus, et Collegiatis ecclesiis horis debitis devote psallatur.* Item in *cap. Dolentes, eod. tit.* legitur: *districte praecipientes in virtute obedientiae, ut Divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent et devote.*

Tridentinam autem synodum *sess.* 24 *c.* 12 *de Refor.* nihil antiquius habuisse, quam assiduam chori frequentationem Canonicos iubere, ita ut neque statutum neque consuetudinem indebitae absentiae patrocinari posset.

Benedicto XIV. teste, *de syn. l.* 13 *c.* 9, Apostolicae Sedis iudicia nunquam Canonicorum intentioni suffragata esse, qui ad has vel illas canonicas horas teneri se non putarent etiam ex tenuitate reddituum; eorumque Episcoporum zelum S. Sedem maxime commendasse, qui sese opposuerint Canonicis id contendentibus.

Cum autem unica dubitandi ratio a Canonicis de quibus agimus reponeretur in confirmatione statutorum ab Apostolico Subdelegato; observabatur, Apostolicam confirmationem, vim illam, quam Canonici contenderent, tribuere, quando confirmatio a Summo Pontifice prodeat ex certa scientia et causae cognitione, ut non semel factum est.

Quin imo vulgatum esse iuris principium, liberum non esse Mandatario seu Delegato aut Subdelegato fines mandati excedere: commissum autem fuisse Subdelegato statuta capitularia confirmare iuxta Litteras Apostolicas, idest, statuta, quae essent *licita atque honesta et sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis Decretisque Concilii Tridentini minime adversantia:* obsistere autem praedictis capitularibus statutis sacros Canones:

Digitized by Google

proindeque Subdelegatum Apostolicum non solum mandati limites excessisse, sed contra ipsum mandatum fecisse.

Quoad secundam quaestionem observabatur, quinque argenteos nummos Borussicos, si singulis diebus a cuiusque Canonici reddita detraherentur, constituere dumtaxat partem decimamquintam redditnum uniuscuiusque canonicalis Praebendae: ideoque hanc mulctam tenuem esse: ac proinde subintrare Tridentinum Decretum *cap.* 3 *de Ref. sess.* 21, in quo statuit S. Synodus, *in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum tam Dignitatum quam Canonicatuum... separari debere et in distributiones quotidianas converti... iuxta divisionem ab Episcopo etc.*

Denique quo ad tertiam quaestionem attinet animadvertebatur, pro absolutione a praeteritis omissionibus impertienda, bonam fidem semper plurimi factam fuisse a S. Congregatione: considerandum ideoque remanere, utrum ratio a Canonicis adducta propter quam morem gerere Resolutioni distulerunt, in pretio esset habenda.

Dubia.

I. « An et quomodo sit locus reformationi Statutorum Capi-
» tularium quoad chori frequentationem in casu.

II. » An et quomodo constituendus fundus distributionum
» in casu.

III. » An consulendum sit SSmo pro absolutione et praete-
» ritis omissionibus in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 12 Septembris 1868 causa cognita respondere censuit:

Ad I. et II. *Affirmative in omnibus iuxta votum Archiepiscopi.*

III. *Affirmative, imposito onere unius Missae cum cantu, integro adstante Capitulo, et quinque Missarum lectarum ab unoquoque Canonico et a Praeposito celebrandarum, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Legem Ecclesiae universalem esse, singulos Canonicos obligari ad singulas canonicas horas in choro debite devoteque psal-

lendas: quamlibet proinde limitationem, si quae obtineat, legitime contigisse ostendendum esse (1).

II. Statuta capitularia nullo extrinseco corrobarata legitimo praesidio ab ea universali lege Canonicos eximere non posse.

III. Hoc praesidium non posse collocari in approbatione facta a Superiore etiam Apostolica delegatione munito, cui facultas adprobandi tributa sit iuxta commune ius.

IV. Ad normam communis iuris capitularia statuta facta non posse censeri, nisi quae sint licita, honesta et sacris canonibus, Constitutionibus Apostolicis Decretisque Concilii Tridentini non adversentur.

V. Colliges insuper distributionum fundum iuxta Tridentinam normam etiam in illis Capitulis adesse debere, quae, propriis destituta Praebendis, salarium a Gubernio accipiant: et si fundus desit, ad mulctas respondentes pro rata parte absentiae solvendas, Canonicos cogi posse ac debere.

VI. Colliges demum, mitem esse S. Sedem in poenis imponendis illis, qui, interveniente aliqua bona fide, suo Officio satis non fecerunt (2).

DISMEMBRATIONIS ET COMPENSATIONIS.

Die 12 Septembris 1868.

Compendium facti. Oppidana paroecia A. extat in Dioecesi N. ad quam septem pertinent pagi seu oppida flumine intersecta, quorum tria cis flumen, quatuor autem trans flumen: horum vero incolae absque notabili difficultate et gravi incommodo ad paroecialem ecclesiam A. in altera parte positam accedere non poterant sive ob distantiam per vias asperas et loca praerupta

(1) Similia adnotavimus, in *Vol. III. pag.* 368.

(2) Errarunt quidem Canonici, qui morem non gesserant Resolutioni S. Congregationis a SSmo adprobatae: sed causa erroris nobilissima fuit. *Vir Apostolica delegatione munitus statuta nostra comprobavit, quod Sanctae Sedi significatum non est.* Quid nobilius executioni poterat opponi, quod speciem veritatis praeseferens, eamdem impeditam redderet?

Digitized by Google

percurrendam, sive ob dictum flumen confluentibus hyemalibus pluviis saepe redundans, adeo ut, modo periculis plenum, modo vadatu impossibile haberetur.

Pius Sacerdos commiserans spirituale damnum incolarum horum pagorum, qui trans flumen positi sunt, universa bona testamento reliquit ut in pago B. nova paroecia erigeretur. Incolae itaque huius pagi dismembrationem efflagitarunt, implorata prius aperitione oris ob litteras Apostolicas Clementis XIII. approbantes quamdam Conventionem inter paroecianos omnes initam respicientem Parochi residentiam. Cum autem his precibus refragaretur quaedam pars paroecianorum, nec non Parochus decimarum perceptionem in pagis dismembrandis amissurus, discussa quaestione in S. C. C. die 15 Martii et 19 Aprilis 1845, postquam S. C. definivisset locum esse aperitioni oris, in supplicantium vota concessit, atque Episcopo commisit ut praefiniret annuam summam a novo Parocho exsolvendam Rectori antiquae paroeciae in compensationem decimarum praeter oblationem unius librae cerae albae elaboratae in festo Sancti Titularis in obsequium matricitatis ecclesiae; ac denique ut curaret assignari a populo idoneum fundum pro manutentione tam ecclesiae quam lampadis sive diurnae sive nocturnae; facto de omnibus verbo cum SSm̄o, qui omnia confirmavit.

Illius temporis Episcopus licet faveret novae paroeciae erectioni et saepe ad eam erigendam sollicitaretur, rem tamen perficere distulit, ut interim ex annuo redditu haereditatis administratae dos augeretur, ampliaretur aedes sacra iam in eo pago existens, domus paroecialis extrueretur, constitueretur sufficiens portio pro sumptibus divini cultus, et caetera, quae ad novae paroeciae erectionem requiruntur.

At novus Episcopus, cum ex pastorali visitatione comperisset incolas dictorum quatuor pagorum in dies satis augeri et rationes, ob quas dismembratio decreta fuerat, tractu temporis evasisse fortiores, omnem adhibuit curam, ut ea omnia perficerentur sine quibus dismembratio esse non potuisset.

Omnibus itaque fere paratis suo Decreto dismembrationem absolvit die 4 Maii 1864.

In eo Decreto, relictis ecclesiae matrici omnibus bonis, reservavit Parocho eiusdem matricis ius decimarum super terri-

Digitized by Google

torio avulso, quarum loco determinavit libellas annuas quinquaginta solvendas a novo Parocho, aequa facta aestimatione decimarum, quas antea Parochus A. in illis oppidis percipiebat. In obsequium autem matricitatis ecclesiae libram unam decrevit cerae elaboratae a novo Parocho pro tempore singulis annis et personaliter offerendam inter Missarum solemnia in festo S. Titularis, Rectori pro tempore ecclesiae A.

Rector ecclesiae A. qui ab initio dismembrationi refragatus erat, omnibus, quibus potuit artibus, ne ea postquam decreta fuerat effectum sortiretur, usus est, atque eam impugnare pergens ad S. Congregationem preces convertit. Quin imo ausus est provocare laicam auctoritatem, ne Episcopi Decretum executioni mandaretur, a qua reapse habuit responsum die 25 Novembris 1864: se manere debere Parochum integrae Paroeciae ac sine placito civilis auctoritatis dismembrationem subsistere non posse.

Ex hac rerum expositione satis apparet, quaestionem principalem iam fuisse diremptam, cum non solum ab Episcopo, sed etiam a S. C. C. dismembrationis causae cognitae essent: neque defuisse solemnitates cum eaedem causae cognitae et admissae essent in ipsarum partium contentione. Quare rationes quas Parochus iterum adduxit obsistens dismembrationi non quidem ad causae necessitatem sed ad eruditionem tantum adducimus.

Disceptatio synoptica.

Ea quae Parochus deducebat. — Initio animadvertebat, se non esse simplicem Episcopi mandatarium, sed iure sacrorum canonum iurisdictionem habere super universa paroecia; a qua iurisdictione, nisi insuperabilis necessitas id exigeret, se non posse iure quaesito privari: difficultatem autem viarum, flumen intersecans, et similia incommoda, si quae adessent, non esse causam sufficientem dismembrationis; Card. de Luca *de Parochis disc.* 18: « Parochias erigere minus expedit quam deputare Vicarios. » Item S. Rota *decis.* 224 *n.* 16 *et seq. part.* 10 *recent. et decis.* 158 *part.* 105 *n.* 5: « Sic enim, deputando Cappellanum, » satis occurritur necessitati parochianorum, et consulitur anti» quae ecclesiae absque aliqua dismembratione, quae sine causa

Digitized by Google

» necessitatis non permittitur, quando aeque sine illa consuli-
» tur, cum sit sacris canonibus odiosa; quod quando aliunde
» provideri potest deficit necessitas quae est causa dismembra-
» tionis, et cessat dispositio Concilii Tridentini et Caput *Ad*
» *Audientiam*, et in specie, quod non sit deveniendum ad dis-
» membrationem, quando deputatione unius Presbyteri, pos-
» sunt sacramenta in aliqua ecclesia ministrari. »

Item Ceccoper. ad Scarfanton. *Lucubrat. in decis. Rotae* 21 *n*. 18. « Et dum dicta deputatione remaneat omnibus consultum » necessitatibus nempe suburbanorum, ac indemnitati ecclesiae » matricis ac eius Rectoris, consequens est, quod dum potest » alio modo provideri, nullatenus deveniri debet ad odiosum re- » medium dismembrationis ut in praecitatis terminis resolvit » Rota etc. et ex mente S. Congregationis Concilii communiter » probant Barbosa ad *Conc. Trid. sess.* 21 *c.* 4 *de Refor. n* 10, » *et de Potestate Epis. alleg.* 78 *n.* 7, *et in Summ. Apost. decis. in* » *verb. n.* 2, Bertacchini *Vot. decis.* 117 *n.* 2 ubi refert Reso- » lutionem dictae S. Congregationis in *Militen.* 26 Ianuarii 1697, » inquiens etiam non sufficere ad effectum dismembrationis no- » tabilem distantiam, nec intermedium flumen, nec multos sine » sacramentis decessisse, nisi probetur, quod per applicationem » Cappellani suppleri non possit (1). Nec in tot auctoritatum

(1) Haec Bertacchini sententia inserta in hac S. Rotae decisione et S. Congregationi Concilii attibuta me movit ad eam Resolutionem videndam in regestis S. C. cum mihi improbabile videretur, eam fuisse sententiam S. Congregationis. Reapse, ea causa perlecta, dicta sententia nullimode continetur. In allegata enim *Militen.* agebatur de dismembratione paroeciae facta hac ratione. Vacavit per obitum quaedam ecclesia Archipresbyteralis; populus cuiusdam pagi intra eamdem archipresbyteralem paroeciam hac occasione petiit dismembrationem ob distantiam unius milliarii, uti asserebatur, et difficultatem itineris ex torrente interposito. Episcopus concursum pro Archipresbytero eligendo indixit, et habuit octo concurrentes, quos vocavit simul coram Vicario Generali, Examinatoribus synodalibus et Actuario, eisdemque patefecit suum consilium dismembrandi paroeciam ita ut in dicto pago, quadringentis fidelibus constante, novus Parochus poneretur percepturus decimas eiusdem pagi iniuncto insuper onere ecclesiae Archipresbyterali solvendi novo Parocho 50 Ducata annua. Res in illis comitiis plenis votis fuit excepta veluti per quasi-inspirationem ut idem Episcopus inquit: unde Decretum dismembrationis fuit emissum, et novus Archipresbyter novusque deinde Parochus fuerunt electi et instituti iuxta emissum Decretum. Res tranquilla remansit per octo annos, donec Archipresbyter reclamavit contra dismembrationem utpote factam sine causa legitima, sinesolemnitatibus et tempore vacationis-

Digitized by Google

» concursu meretur attendi illa Monacelli in *Formul. p.* 1 *tit.* 2 » *form.* 3 *n.* 6, asserentis, quod ubi Communitas polliceatur no- » vam parochialem dotare sit deveniendum ad dismembratio- » nem etc.»

Neque iuvare posse in praesenti themate dispositionem testamentariam dicti Sacerdotis « *cum nemo possit in testamento suo cavare, ne leges in testamento suo locum habeant. l.* 55 *ff. de Legat.*

Neque obstare Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 4 *de Ref.* neque caput *Ad audientiam, de Ecclesiis aedificandis*; namque, quando alio modo paroecianorum incommodis succurri potest, non esse

nullo Defensore pro ecclesia archipresbyterali vacante constituto. Causa proposita coram S. C. et novo parocho, ad sua iura dicenda invitato, non respondente, ad dubium: « An dismembratio loci Polyoli » ab ecclesia archipresbyterali, et erectio » novae parochiae ut supra facta sustinea- » tur: » S. C. die 26 Ianuarii 1867 censuit, *iniungendum prout praesentis Decreti tenore iniungit Episcopo Militen. ut conficiat processum servatis servandis et ad S. C. transmittat.*

Quisque autem videt ex hoc responso sententiam superius expositam non posse deduci cum in ea ageretur de verificandis dismembrationis causis deque necessariis solemnitatibus servandis.

Non est autem mihi dubium S. Rotam hac in re fuisse paullo tenaciorem: considerasse plerumque dismembrationem paroeciarum veluti nudam dismembrationem Beneficiorum: proindeque si aliqua ratione succurri posset distantiae et itineris difficultati per constitutionem alicuius coadiutoris seu Cappellani non devenit ad dismebrationem iudicandam, de qua re recoli possunt quae scripsi in Appendice VI. *V. III. p.* 396.

S. Congregatio Concilii pronior etiam fuit ad admittendas paroeciarum dismebrationes, quando dos pro novo Parocho aliunde constituta esset: de qua re sic scripsit Manacelli *loc. sup. cit.* « Verum » tamen est, quod cum frequenter ad for- » malem dismembrationem solet devenire » quando parochianorum pars, vel Com- » munitas quae id petit, ob distantiam » loci et magnam incommoditatem itineris » congrue dotet novam parochiam erigen- » dam, ut observat Card. De Luca *de* » *Decimis disc.* 12. *n.* 8. tunc oblatio » Cappellani seu Coadiutoris pro admi- » nistratione Sacramentorum diebus festis » per Rectorem facta ad evitandam dis- » membrationem, non est sufficiens ad » retardandam novae paroeciae erectio- » nem, sed ad illam iuste proceditur, ea » non obstante, ut declaravit Sacra Congr. » Concilii in *Ianuen.* 16 Ianuarii 1649, » quod est contra opinionem Rotae in » *Ovecten.* de anno 1681, quae decisio » allegabatur in dicta causa *Ianuen.* »

Alterum huius doctrinae exemplum eamdem doctrinam confirmans habes in *vol. III.* harum ephemeridum *pag.* 354. Quae quidem doctrina confirmior est capiti *Ad audientiam*, quod Tridentina Synodus in pleno vigore restituit.

Multo enim melius populo christiano consulitur per proprios Parochos (qui recentiori aetate appellati sunt etiam praeclaro Pastorum nomine), quam per caeteros eorum delegatione suffectos.

Digitized by Google

deveniendum ad dismembrationem, quae speciem habet prohibitae alienationis: in pago autem B. constitui optime posse Cappellanum, cum iam templum extaret et Presbyterum quoque, qui illis oppidanis Missas celebraret.

Asserebat autem Parochus inter eos oppidanos populos magnam non intercedere distantiam, neque adesse itineris difficultatem, ideoque, neque dictum caput *Ad Audientiam* ex hac ratione invocari potuisse. Et in huius rei confirmationem recolebat, anno 1767 fuisse motam quaestionem translationis paroeciae eiusdem ex uno pago in alium; itemque motam fuisse quaestionem dismembrationis, et propositis dubiis S. C. C. die 14 Martii: I. « An sustineatur translatio parochialis ecclesiae ad » novam ecclesiam *Villae*, vel potius sit locus restitutioni ad » antiquam ecclesiam *Arcis:* II. An sit decernenda illius divisio vel dismembratio: » S. C. respondit: Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam:* Ad II. *provisum in primo.*

Deesse praeterea inquiebat Populi consensum, cum iam anno 1839 ad Curiae intimationem, duos populos ex dismembrandis reclamasse ex ea ratione, quod dismembratio necessaria non esset, et paroeciae positio sibi commoda esset, neque casus deplorabiles unquam contigissent: quod si haec patefacta essent S. Congregationi anno 1839, illa non iudicavisset, locum esse dismembrationi contra populi Parochique consensum: namque *nullus invitus iure suo spoliandus est leg.* 64 *ff. de regul. iuris.* « *Et quod nostrum est sine consensu nostro ad alium transferri* » *non potest.* »

Qui populi dissensus ex eo praesertim nunc ostendebatur, quod, haud obstante Episcopi Decreto, incolae unius avulsi pagi, cum utile sibi esse cognoscerent manere iunctos cum antiqua paroecia, ad eius Rectorem confugissent pro spiritualibus indigentiis: et Episcopus ipse sub poena suspensionis interdixisset eidem Rectori ne in illos incolas ullum iurisdictionis paroecialis actum exerceret.

Ad laesionem denique quod attinet, inquiebat, per dismembrationem a sua paroecia avelli ditiores familias: paroeciae autem redditus esse tenues, quod et Episcopus affirmabat: decimas in episcopali Decreto dismembrationis aestimatas fuisse libellis 50 annuis, dum e contra aestimandae essent libellis 100:

Digitized by Google

incerta stolae non fuisse ulla ratione compensata, quae tamen ex avulsis populis ascendere inquiebat ad libellas 150. Atque ad emolumenta tandem totam restringebat quaestionem.

Ea quae in contrarium animadversa sunt.—Nihil animadversum fuit ex officio quoad dismembrationis causas, cum hae iam consideratae essent a S. Congregatione anno 1839, quae causas dismembrationis in facto adesse iudicavit, nihilque deductum nunc esset per Parochum, quod Resolutionem illam posset infirmare; maxime cum in rem iudicatam transierit: relatae itaque sunt litterae Episcopi, qui inter caetera ait, stolae incerta veteri Parocho compensari ex diminutione laboris; quae quidem cedere debent laboranti: eo vel magis quod dismembratione facta nihil demptum esset ex bonis veteris Paroeciae, quamvis Trid. Conc. *sess.* 22 *c.* 4 *de Ref.* statuerit: *Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus.* Consideratum insuper est, Episcopum aestimasse decimas quas antea Parochus percipiebat, libell. 50, audito Vicario Foraneo, et ipso Parocho, ac rationem habuisse numeri familiarum avulsarum a paroecia, et pretii frumenti per decennium.

Dubium.

» An et pro qua summa annuendum sit precibus Parochi (N.), » tum pro decimis, tum pro aliis incertis emolumentis.»

Resolutio.—S. Congregatio Concilii, die 12 Septembris 1868 respondere censuit: *Decretum Episcopi omnino esse servandum; et Parochus consulat conscientiae suae ob recursum ad potestatem laicam, et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Eos, qui per recursum provocant laicam auctoritatem, ne Decreta ecclesiasticae auctoritatis exsecutioni mandentur, ipso facto in censuras incurrere.

II. Colliges insuper, existentibus canonicis causis, idest necessitate aut evidenti utilitate, Episcopum devenire posse ac debere ad paroeciae dismembrationem.

Digitized by Google

III. Neque exigi populi Parochique existentis consensum, quando reddituum iacturam ipsi non patiantur.

IV. Quin imo eorum dissensum esse spernendum, si, causa canonica existente, iacturam aliquam reddituum persentirent (1).

V. Neque conqueri Parochos posse de coercita sibi iurisdictione; cum SS. Canones, quorum iure ipsi fruuntur, canonica existente causa, dismembrationem tueantur.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

FIRMANA.

Die 20 Iulii 1868.

Decretum. — « Hodiernus Director Piae Unionis sub Titulo Patrocinii S. Ioseph in Civitate Firmana, et Archiconfraternitati eiusdem Tituli Romae existenti in ecclesia S. Rochi aggregatae, metuens ne ob Decreta alias edita a Suprema Universali Inquisitione nempe Feria V. 17 Novembris 1689 et Feria V. 12 Iulii 1703 adscribi possent eidem Piae unioni extradioecesani S. Tribunali supplicem libellum porrexit. Emi Patres eumdem remitti mandarunt ad S. Congregationem Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, in qua omnibus ad examen revocatis propositum est sequens dubium:

(1) Incidit occasio scribendi de populi Parochique consensu exquirendo in causis dismembrationis paroeciarum in simili causa relata in *Vol. III. pag.* 362; praesertim vero in adiecta Appendice VI. *pag.* 396. Item de recursu ad laicam potestatem egi in *Vol. I. pag.* 567.

In huiusmodi causis dismembrationis fere semper eadem redit historia cum Parochi se obstinate opponant. Provocant enim populum ut dissentiat; quasi vero dismembratio paroeciae pendere debeat a populi arbitrio. Et quid est facilius Parocho animi agitatione commoto, quam aliquem paroecianorum numerum excitare, ut se dissentientes dismembrationi paroeciae ostendant? Caeterum christianus populus, qui non provocetur studio aliorum ad dissentiendum, obsequentissimus esse solet ecclesiasticae auctoritati, quae sola officium habet cognoscendi decernendique quid populo salutique animarum magis expediat.

Digitized by Google

» Utrum Pia Unio sub titulo Patrocinii S. Ioseph Firmi canonice erecta et legitime aggregata Archiconfraternitati eiusdem tituli de Urbe possit adscribere extraneos id postulantes.

» Emi Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Iulii 1868, audito prius Consultoris voto, reque mature perpensa rescripserunt.

» *Affirmative, dummodo omnia concurrant quae pro adscriptione requiruntur, et ad mentem.*

» Et facta de praemissis relatione SSmo D. Pio PP. IX. in Audientia habita a me infrascripto Cardinali Praefecto die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua Resolutionem S. Congregationis confirmavit.

» Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum ex SS. Reliquiarum die et anno ut supra.

A. Card. Bizzarri Praefectus.
A. Colombo Secretarius.

Animadversiones Consultoris.

Quoniam Director piae Unionis difficultate movebatur ex Decretis S. U. Inquisitionis indicatis, haec examinanda duxit Consultor; atque animadvertit, ea Decreta nihil commune habere cum excitato dubio. Et reapse hic est Decretorum tenor.

Feria V. die 17 *Novemb.* 1689.

« Cum alias die 18 Augusti 1684 fuerint per Breve Innocentii PP. XI. fel. record. nonnullae indulgentiae concessae Confraternitati sub invocatione B. M. Virginis Auxiliatricis canonice erectae seu erigendae in ecclesia parochiali S. Petri oppidi Monachii Frisingen. dioecesis; cumque postea ad notitiam Emorum et RmorumDD. S. R. E. Cardinalium generalium Inquisitorum pervenerint quaedam folia in dicto oppido Monachii impressa cum imagine B. Virginis sub titulo: « Compendio della Confederazione Mariana eretta sotto la protezione della B. Vergine Maria nella Chiesa parrocchiale di S. Pietro nella città elettorale di Monaco » quae non parum dissona dispositioni dicti bre-

Digitized by Google

vis Emis Patribus visa fuerint. Primo videlicet, ob discrepantiam nominis Confraternitatis et confoederationis, quae inter Breve et titulum praedictorum foliorum apparet. Secundo, quia in Brevi, quoad invocationem nominis Iesu in articulo mortis non fuit expressum nomen Mariae prout legitur in dictis foliis. Tertio demum, quia plurima dictorum foliorum exemplaria distributa fuerunt innumeris utriusque sexus Christifidelibus, variis in locis, tam in Italia, quam extra Italiam degentibus, ut isti nulla servata forma seu solemnitate pro eorum libitu possent nomen dare seu adscribi dictae Confraternitati contra mentem Pontificis expressam in dicto Brevi, in quo praecipuae indulgentiae concessae leguntur dictae Confraternitatis Confratribus et Consoribus certis anni diebus ecclesiam parochialem praefatam oppidi Monachii devote visitantibus. Quibus omnibus attentis, ac SSmi D. N. Alexandro PP. relatis, Sanctitas sua de consilio DD. Emorum Patrum, nedum folia praefata, uti contraria dispositioni dicti Brevis prohibuit, verum etiam uti nullas et invalidas assertas descriptiones Confratrum, sive Consororum quocumque loco extra Monachium factas declaravit, prout praesenti Decreto prohibet declarat ac respective annullat.»

Alterum Decretum huic simile emissum est feria V. die 12 Iulii 1703 in quo actum fuit de tribus Marianis Confraternitatibus indulgentiis auctis. «Cum autem ad notitiam pervenisset S. Congregationis Inquisitionis (*sunt verba Decreti*) quaedam folia seu summaria variis temporibus atque in diversis locis Italiae, et extra Italiam relative ad dictas Indulgentias impressa sub hoc titulo *lega spirituale dei viventi fermata coi morti* (seu latine *ligamen spirituale viventium firmatum cum mortuis*), quae praevio diligenti examine in multis contraria et non parum dissona dictorum Brevium dispositionibus ab Emis Patribus sunt reperta videlicet:

1°. »Quia in titulo Summarii Taurinensis Indulgentia, quae solis Christifidelibus in hac vita degentibus fuerunt concessae ad ipsos etiam defunctos, et quidem principaliter extensae reperiuntur, et in foliis seu summariis, quae referuntur ad Confraternitates Civitatum S. Fidei et Oeniponti, assumitur titulus proprio marte excogitatus, scilicet: *Lega spirituale dei viventi fermata coi morti*, contra tenorem dictorum Brevium.

Digitized by Google

2° » Quia indulgentiae, quae certis ac determinatis personis ac locis, in quibus praedictae Confraternitates canonice erectae sunt, in dictis Brevibus concedantur, ad omnes et quoscumque totius orbis Christifideles, qui pro eorum libitu nulla servata forma, seu solemnitate nomen dederint, et iisdem Confraternitatibus adscripti fuerint, indulgentiae praedictae extenduntur contra mentem Pontificum in dictis Brevibus satis expressam, in quibus praecipuae indulgentiae, haec vel illa opera pia exercentibus, vel certis anni diebus ecclesias praefatas civitatum Sanctae Fidei Oeniponti et Taurini devote visitantibus, concessae leguntur.

3°.» Demum, quia in foliis, seu summariis praedictis, ipsi etiam ubique locorum defuncti Confraternitatibus huiusmodi adscribuntur, vel adscribi dicuntur, postquam aliquis ex fidelibus viventibus pia quaedam opera pro illis expleverit, cum tamen de his nulla in dictis Brevibus mentio habeatur.

» Propterea his atque aliis attente perspectis, et coram SSmo D. N. Clemente Papa XI. relatis, Sanctitas Sua de Consilio dictorum Emorum Patrum, nedum folia seu summaria praedicta quocumque idiomate et quocumque loco impressa, veluti dictorum Brevium dispositionibus contraria prohibuit et damnavit, sicut illa praesenti Decreto damnat et prohibet, verum etiam uti nullas atque invalidas nulliusque roboris assertas descriptiones Confratrum et Consororum, quocumque loco extra civitates S. Fidei Oeniponti et Taurini factas declaravit, prout hoc ipso Decreto annullat et respective prohibet, salvis et firmis atque in suo robore permansuris iis omnibus, quae in dictis Brevibus conceduntur. »

Quin imo adductum est et aliud Decretum seu Litterae encyclicae die 25 Maii 1864 editae, in quibus de iisdem fere defectibus reprehensa sunt quaedam folia seu summaria indulgentiarum cuiusdam piae societatis quae in quadam Galliarum dioecesi erecta erat.

Itaque, in examen revocatis his Decretis, ad eam prohibitionem quod spectat protendendi extra dioecesim adscriptiones, animadvertit Consultor, ideo prohibitas fuisse, quia contra formam Apostolicarum concessionum factae essent tum quoad conditiones adscribendi, tum quoad opera implenda, tum quoad indulgentias

Digitized by Google

lucrandas: et hoc sensu pariter intelligenda esse duo Decreta S. C. Indulgentiarum, unum in *Americana* diei 28 Aprilis 1761, alterum recens editum in *Andegaven.* (1) diei 6 Septembris 1861.

Porro in Litteris Apostolicis in forma Brevis, quibus Confraternitas Firmana de qua agimus gaudet, prorsus nihil reperiri, quod aggregationes coerceret ad dioecesanos dumtaxat, ideoque eamdem merito adscribere posse quosvis exteros.

Observabatur tamen ex officio, dictam piam unionem amisisse Indulgentias per eas Litteras Apostolicas concessas, ob aggregationem factam Archisodalitati eiusdem nominis quae in Urbe extat; et gaudere dumtaxat indulgentiis ab hac communicatis iuxta formam earumdem literarum.

In his enim Litteris clausula aderat his verbis conflata: *Volumus autem.... ut si dicta pia unio alicui Archiconfraternitati aggregata iam sit, vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur .... priores et quaevis aliae literae Apostolicae illi nullatenus suffragentur, sed, ex tunc eo ipso nullae sint.* Quare eam piam unionem gaudere in praesentia indulgentiis dumtaxat et favoribus communicatis ab ipsa Archiconfraternitate cui aggregata est.

Ex quibus colliges:

I. Sanctam Sedem quammaxime reprobare folia seu summaria Indulgentiarum, quae apprime non respondeant Apostolicis concessionibus.

II. Gratias favoresque Apostolicos, quibus ditentur piae Confraternitates canonice erectae, nullimode posse protendi ultra concessionum formam.

III. Facultatem aggregandi confratres, quae in Litteris Apostolicis coercita non deprehendatur ad circumscripta loca, in quovis loco posse exerceri, dummodo caetera concurrant, quae pro adscriptione requiruntur.

(1) Hoc Decretum habes in *Vol. I.* *p.* 628. Heic animadvertimus, piam sodalitatem de qua editum fuerat primum Decretum S. Inquisitionis superius adductum, novis concessionibus Apostolicis deinde fuisse auctam; hinc mirum non sit si modo omnes adscribere possit.

*

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

CONCORDIAE.

Die 18 Septembris 1868.

Compendium facti. Sacerdos N. anno 1860 decedens, testamento iamdiu confecto haeredes oneravit nonnullis piis legatis, idest Missis 3000 tenui determinata eleemosyna: mille scutatis ad instaurandum paroeciale templum obligatione adiecta celebrandi anniversarium perpetuum per quatuor Sacerdotes: demum scutatis 20 pauperibus paroeciae deribendis. Pro his adimplendis legatis determinavit scutata 2000, ita ut iisdem satisfactis, quidquid superesset administrari a Parocho et fructus erogari deberent in subsidium pauperum familiarum paroeciae.

Sed cum, tempore quo vivimus, piae morientium voluntates a viventibus haeredibus plerumque uti mortuae censeantur et mortuo consepultae, haeredes Sacerdotis N. cuidam legi civili innixi, validitatem eorum legatorum impugnarunt.

Exsecutor testamentarius, cum praevideret rem difficilem futuram esse, ut in civilibus tribunalibus iustitia mortuo Sacerdoti redderetur, utilius causae piae esse existimavit si haeredes ad transigendum induceret; quod quidem obtinuit, quadam proposita transactione, in qua legata dimidiata sunt.

Hac transactione conventa, preces ab exsecutore porrectae sunt SSmo Patri ut adprobaretur; quare rogatus est Episcopus, qui inter caetera retulit, Parochum paroeciae legatariae audivisse pauperes, qui eleemosinae sibi debitae sponte renunciarunt: eumque existimare melius esse eam partem certam in acceptis habere, quam fortasse nihil. Episcopus denique enarravit, ipsum testatorem, dum viveret, iam magna ex parte satisfecisse Missarum legato in testamento iam scripto. His notitiis habitis caeterisque servatis res in examen deducta est in S. C. Episcop. et Regul.

Digitized by Google

Disceptatio synoptica.

Ex officio consideratum est, haeredes inniti quibusdam Decretis auctoritatis civilis anno 1751 in ditione Thuscana editis et anno 1848 ad aliam ditionem protensis, quibus iussum est, omnes dispositiones bonorum, quae valorem quemdam determinatum superarent, Ecclesiae factas, irritas esse sine Decreto antea impetrato a civili auctoritate. Harum enim ditionum erat Sacerdos N.

Observabatur autem haec Decreta denegare quidem posse actionem civilem *(per summam quidem iniuriam, cum iura laedant libertatis Ecclesiae)* ad vindicanda pia legata loco pio, non autem auferre posse naturalem obligationem, qua tenebantur haeredes vi testamenti, Piton. *discept. eccl.* 2 *n.* 14, Maranta *lib.* 1 *resp.* 41 *n.* 84, qui scripsit: *ex sola defuncti voluntate haeredi insurgit obligatio*. Hac posita certa obligatione, locum transactioni non dari: transigimus enim de dubia, non autem de certa obligatione.

Quin imo cum iniusta esset lex, per transactionis adprobationem quodammodo videretur ipsa probari: et hac de causa, probatam non fuisse quamdam transactionem in *Asculana Concordiae* die 14 Augusti 1863, in qua pariter haeredes quaedam similia Decreta opponebant Gubernii Pedemontani.

E contra favore transactionis observabatur, legem civilem identidem posse causam afferre ad transactionem probandam iuxta ea quae in quadam causa *Derthonen. Super concordia,* diei 27 Martii 1868 perpensa sunt (1).

His aliisque consideratis, propositum est resolvendum

Dubium

« An et quomodo adprobanda sit transactio in casu. »

Resolutio. Sac. Congregatio Episc. et Regul. re cognita die 18 Septembris 1868 respondere censuit: *Attentis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus, Archiepiscopo (N.) cum facultatibus necessariis et opportunis etiam ad effectum reductionis Missarum, facto verbo cum Sanctissimo.*

(1) Hanc causam, si placet, recolere potes in *Vol. III. pag.* 529. Animadverte tamen, eam causam nihil commune habere quoad civiles leges cum praesenti.

Digitized by Google

Ex iis colliges:

I. Transactiones fortasse praestitutas de re certo Ecclesiae debita S. Sedem non adprobare, si haec unica ratio existat: *quia is qui totum debet ex iniqua lege cogi civiliter non possit ut totum tradat.*

II. Praesentem transactionem adprobasse ob singularia adiuncta.

III. Neque esse existimandum, Decreta civilia, facultatem fidelium contra fas laedentia libere disponendi de suis bonis favore Ecclesiae, auferre obligationem haeredibus faciendi satis iustissimae testatorum voluntati.

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

EPISTOLA HORTATIVA

Die 29 Septembris 1868.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

« Fuit in more positum saeculis anteactis, ut qui cum Apostolica Sede communicare deberent ad negotia ecclesiastica (exceptis illis quae ad ritus orientales pertinebant) pertractanda, vel ad gratias postulandas, ii latina lingua aut saltem italica uterentur. Nec sane eiusmodi mos gravibus destituebatur rationum momentis, cum inter coetera exigi nullatenus posset ut in tanta linguarum varietate administri aut officiales Sanctae Sedis, quae ab omnibus terrarum orbis nationibus literas aut petitiones excipit, omnium linguas legerent atque intelligerent. At vero nonnullis ab hinc annis usus invaluit ut ad Sacram hanc Congregationem Fidei Propagandae passim scripta non solum gallica lingua (quod difficultatem vix ullam facessit) sed anglica germanica, hollandica aliisque exarata linguis transmittantur; ex quo non raro contingit ut negotiorum sacrorum expeditio non parum dilationis patiatur. Quae cum ita sint, sane non possum

Digitized by Google

quin Ill. Dominationi tuae commendem etiam atque etiam, ut nedum laicis, sed praesertim ecclesiasticis viris tibi subiectis inculcare ne praetermittas, ut quoties ad sacrum hoc Consilium literas, petitiones aut etiam acta ad causas ecclesiasticas pertinentia mittere voluerint, latinum vel italicum idioma, quantum fieri poterit, adhibendum curent. Et quoniam latinam linguam commemoravi, abs re non erit animadvertere ex illius linguae neglectu gravissima per orbem Ecclesiis detrimenta obvenire. Neque enim tantum exinde difficilior evadit cum Ecclesia Romana atque aliis cum Ecclesiis variarum regionum communicatio, non solum amittitur maximum illud, quo praeteritis temporibus catholici itinerantes gaudebant, emolumentum, inveniendi scilicet, ubique locorum, Christi fideles quasi fratres communi patriae romanae lingua loquentes: verum etiam extranei christiano populo sensim sine sensu evadent ac fere impervii omnes tum sacrae tum profanae scientiae fontes, qui, graecam praesertim linguam ignorantibus, nonnisi per latinum idioma patere possunt. Quamobrem erit sollicitudinis tuae operam impendere, ut studium latinae linguae in tua Dioecesi promoveatur, cuius rei suscipiendae, opportunam Tibi occasionem praebere poterit, quod praesentibus literis Ill. Dominationi tuae censui commendandum.

» Precor Deum ut Te diu sospitem servet incolumemque.

» Datum Romae ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 29 Septembris, 1868.»

Illmae ac Revmae Dominationis Tuae.

Ad Officia paratissimus

AL. C. BARNABÒ Praefectus

Ioannes Simeoni Secretarius.

Videtur res aliqua notatione digna: qua aetate quaestio in Ecclesia mota est de Auctoribus latinis classicis a catholicis gimnasiis seminariisque arcendis, eadem aetate necessarias esse literas hortativas, ut Clerici iuxta veterem inaestimabilemque consuetudinem Sanctae Sedi per literas latine, non autem vernacula lingua, exaratas communicent, atque in studium latinae linguae incumbant, ne tantum unitatis vinculum sive in scientiis ecclesiasticis sive in ideis mutuo communicandis inter tot dissitos variorumque idiomatum populos penitus dissolvatur.

Digitized by Google

APPENDIX VI.

DE QUAESTIONE HERMENEUTICE CONSIDERATA DIRIBENDI SACRATISSIMAM EUCHARISTIAM IN MISSIS VESTIBUS NIGRIS CELEBRATIS.

Redimus ad quaestionem liturgicam de qua post Generale Decretum emissum locuti iam sumus.

Tertius Consultor, qui eam pertractare aggressus est (quam pertractationem inferius per summa capita referemus) animadvertit, ad rectum de ea iudicium ferendum, perperam se petiturum esse argumenta ex vetustis liturgiae monumentis, quae luculentissima sunt, cum nullum extaret dubium de Sacratissima Eucharistia fidelibus exhibita in Missis Defunctorum etiam vestibus nigris celebratis, de quibus Benedictus XIV. refert historiam: quaestionem non ex illis oriri, sed ex legibus liturgicis postremo sancitis, quibus hodie utimur; iis praesertim, quae colores respiciant ab Ecclesiae ministris in sacris functionibus adhibendis: quare dirimendam esse quaestionem iuxta praesentes liturgicas praescriptiones.

Et reapse tum hic, tum secundus Consultor huic quaestioni dumtaxat institerunt.

Animadversiones secundi Consultoris.

Hic ad rem propius accedens haec consideravit: leges liturgicas in hac quaestione considerandas contineri in Missali et Rituali Romano, quorum primum auctoritate S. Pii V. editum est et a Clemente VIII. et Urbano recognitum; alterum vero in Christiano Orbe servandum prodiit iussu Pauli V. anno 1614 et a Benedicto XIV. anno 1760 auctum et emendatum.

Missalis Rubricas ad Missas vivorum quod attinet haec statuere *tit. 7. de Offert. n. 2. 3.* « *Dicto Offertorio, discooperit calicem, accipit patenam cum hostia... Si fuerint aliae hostiae non super patenam, sed super corporale, vel in alio calice seu vase pro communione populi consecrandae, calicem illum seu vas manu dextera discooperit, et intentionem suam etc.*

Cum vero Sacerdos ad consecrationem pervenerit, haec easdem Rubricas praescribere *tit. 8 de Can. etc. n. 5* « *Si adsit vas cum aliis hostiis consecrandis, antequam accipiat hostiam, discooperit manu dextera calicem seu vas aliarum hostiarum... et secreto profert verba consecrationis super hostiam et simul super omnes, super si plures sint consecrandae.* » Et *num. 6*: « *Reposita hostia consecrata super corporali, genuflexus ipsam veneratur. Si adsit vas aliarum hostiarum, patena vel palla cooperit ut supra.* »

Denique de communione fidelibus adstantibus ministranda *num. 6*: « *si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem sanguinis, antequam se purificet, facta*

genuflexione ponit particulas consecratas in pyxide vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi a principio positae fuerint in pyxide seu alio calice. Interim minister ante eas extendit linteum, etc. Inquiebat autem Consultor has rubricas intelligendas esse etiam de Hostiis praeconsecratis, quae de Tabernaculo extrahantur; de qua re sic De Herdt *Sac. Liturg. Praxis t. 1 p. 2. tit. 10 n. 28* « Si hostiae in hac Missa non » sint consecratae, tabernaculum » aperit, illo aperto genuflectit, » erectus extrahit pyxidem etc.»

In Rituali autem *Ord. ministr. Euch.* « *Communio autem populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda.* »

Item in Missali *tit. 10. de Orat. Dom. et al. n. 5:* « *Si vero adsint hostiae consecratae super corporale positae pro alio tempore reservandae, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertat, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super corporale, quod, si fuerit, accurate reponit in calicem.* » *Et num. 7.* « *Si in altari remaneant particulae in calice seu in alio vase usque ad finem Missae, serventur ea, quae in Feria V. in Coena Domini praescribuntur circa finem Missae.* »

His autem Missalis et Ritualis particulis a Consultore adductis iisque exornatis Auctorum declarationibus, inferebat, 1°. sacram Eucharistiam ministrandam fidelibus esse immediate post Communionem Sacerdotis: 2°. cum Hostiis etiam praeconsecratis: 3°. etiam post Missam cum aperitione Tabernaculi.

Haec, quae ad Missas sic dictas vivorum referuntur, extendenda esse quoque ad Missas defunctorum, ex ipsis Rubricis sic ostendebat. In Missis de Requie plures quidem adesse variationes ad quas enumerandas integrum titulum impendi, idest *tit. 13. De iis quae omittuntur in Missa pro Defunctis:* in eo singulas Sacrificii actiones et singula pene verba ab ipso eius initio usque ad finem diligenter ex ordine recenseri; mutationes commemorari, ita ex. gr. de faciendo *ad Introitum* signo crucis manu dextera extenta super librum; de omittendo ante confessionem psalmo *Iudica me Deus,* nec non prima oratione ante Communionem etc.

Porro in hac accurata descriptione in iis quae omittenda sunt ac servanda nullo facto verbo de sacra Eucharistia fidelibus non diribenda, in eo titulo denique praescribi: *alia omnia ut in aliis Missis.* Ergo, Consultor concludebat, ad communionem fidelium quod attinet, in Missis defunctorum eadem servanda esse, quae de aliis Missis praescripta sunt.

Aliud argumentum desumpsit ex Rituale *tit. Ord. ministr. sac. Com.* ubi traditur ritus servandus ministrandi sacram Eucharistiam extra Missam et ibidem legitur: *Superpelliceo indutus ac desuper stola coloris*

Digitized by Google

officio illius diei convenientis, praecedente Clerico, seu alio ministro, procedit ad altare.... extrahit pyxidem... Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad altare dicere poterit: O Sacrum Convivium etc...*Deinde extenta manu dextera benedicit iis, qui communicarunt dicens;* Benedictio Dei Omnipotentis etc. »

Cum itaque hac ratione administrari possit sacra Eucharistia fidelibus extra Missam, quaerebat Consultor, quid obstare posset, quominus in Missa defunctorum administretur.

Tria autem animadvertit posse obstare: 1°. Colorem: 2°. Verba recitanda a Sacerdote tempore praesertim paschali; 3°. Benedictionem dandam communicatis.

Ad colorem quod attinet, recoluit historiam, quae in opere Benedicti XIV. *de Sacrif. Missae l. 1. c. 8 nn.* 16, 17, 18, traditur, idest ineunte saeculo IV. Sacerdotes et Levitas nullis aliis vestibus, quam albis in ministerio usos fuisse: alios deinde atque alios colores decursu temporis inductos esse, idest rubeum, albeum, viridem, violaceum, ita tamen ut violaceus et niger indiscriminatim per ea tempora adhiberetur: Innocentium III. statuisse seu confirmasse usum nigri coloris in sacris paramentis per integrum Adventus et Quadragesimae tempus.

Observabat autem in his anni partibus discrimen non intercessisse inter Missas defunctorum caeterasque quoad colorem: neque probabilitate aliqua posse dici per haec longa temporis spatia fideles non communicasse.

Neque nigras vestes posse obstare in praesenti qua utimur disciplina liturgica, quominus Tabernaculum aperiatur, tamquam si res esset minus conveniens; cum ipsa celebratio Sacrificii vestibus nigris peragatur; cumque detur etiam casus quo extrahi debeat stola nigra augustissimum Sacramentum, idest Feria VI. in Parasceve si Diaconus commode non possit ad capsulam aperiendam accedere iuxta ea quae tradit Meratus.

Ad secundum quod attinet, animadvertit, verba a Sacerdote recitanda in Rituali indicata quando sacra Eucharistia extra Missam detur, non esse praecepto praescripta « *Sacerdos reversus ad altare dicere poterit* » quae insuper intra Missam recitanda neque esse.

Ad tertium denique inquiebat, carentiam sacerdotalis benedictionis esse non posse causam impediendi communionem fidelium, cum ipsi fontem benedictionis suscipiant; nec omnino benedictione sacerdotali priventur, cum ante Eucharistiae sumptionem audiant sibi verba signo crucis directa *Indulgentiam, absolutionem etc.*

Animadversiones tertii Consultoris. Tertius Consultor eamdem quaestionem est aggressus, qui historico quaestionis statu accurate exposito, animadvertit, tot esse valida rationum momenta quae ostendunt infra Missas defunctorum licere Eucharisticum

Digitized by Google

Sacramentum fidelibus circumstantibus ministrare, quot idipsum in Missis vivorum fieri posse ac decere ostenderent. Atque commemorans *can. 8. sess. 22. cap. 6.* Concilii Trid. quo contra Novatores probatae ac commendatae sunt Missae illae in quibus solus Sacerdos communicat; nec non Constitutionem *Auctorem fidei* contra conciliabulum Pistoriense, animadvertit, optasse tamen S. Synodum, *ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret:* verba autem *singulis Missis* intelligi debere de omnibus sive vivorum sive defunctorum: cum iis cohaerere, quae in singulis Missis sive vivorum sive defunctorum leguntur; *ut quotquot ex hac altaris participatione etc.* item, *fiat accipientibus nobis etc.* item *Communio* et *Postcommunio*.

Neque obesse posse colorem nigrum vestium sacerdotalium; quia absonum foret ecclesiam huiusmodi colorem praescribendo tantam exceptionem liturgicis legibus et continuatae consuetudini tantopere adversam voluisse inducere, quin de ea alicubi loqueretur, et omnino tacite et tam levi de causa rem interdixisse, quae licet non sit de Sacrificii essentia, cum eo tamen congruentiae nexu quammaxime copulatur.

Quae quidem confirmabat Consultor altero argumento; idest iuxta Rubricas *de color. param. n. 18: paramenta debent esse coloris convenientis officio et Missae diei:* Romana autem ecclesia *nigro colore utitur Feria VI. in Parasceve et in omnibus officiis et Missis defunctorum.* Quare si debeat Missa pro defunctis vestibus nigris celebrari tanquam colore proprio, conveniens quoque esse infra eamdem Missam, cum iisdem nigris vestibus rem peragere quammaxime connexam cum Sacrificio quod litatur, qualis est participatio altaris fidelibus communicanda.

Nihili autem Consultor fecit difficultatem quam petunt ex carentia benedictionis, cum omnium benedictionum auctorem communicantes in se excipiant, iuxta dictum Benedicti XIV. in *op. cit. l. 3. c. 18. n. 11.*

Haec quidem de communione danda, particulis in Missa consecratis, de qua re nulla amplius excitatur quaestio.

De particulis autem praeconsecratis et e custodia infra Missam extrahendis, animadvertit, de eo nullum excitari dubium in Missis vivorum: et quidem merito cum verba Rubricae *si qui sunt communicandi, eos communicet ante quam se purificet* sint prorsus generalia nullamque particularem distinctionem praeseferant. Atque insuper ostendit Theologorum auctoritate, eumdem fructum fideles percipere sive communicent particulis in eadem Missa consecratis, sive praeconsecratis, cum semper de altari participent; qui enim edunt victimas participes sunt altaris *1. Corinth. 10. et Hebr. 13.*

Digitized by Google

Iam vero cum certum exploratumque esset, infra Missas defunctorum, non secus ac in illis vivorum, licere ac omnino convenire fidelibus qui Sacrificio intersunt, participationem praebere altaris, consequi, communionem populi infra Missas pro defunctis aeque fieri posse de particulis praeconsecratis.

De communione vero, quam fideles extra Missam faciunt, adductis iam supra allegatis verbis Ritualis romani, rationibus non spernendis Consultor contendit augustissimam Eucharistiam administrari non posse vestibus nigris. Namque cum Rituale praescribat, ut Sacerdos utatur *stola coloris officio illus diei convenientis,* eo nomine neminem unquam intellexisse colorem officio et Missis defunctorum convenientem.

Sed praeterea animadvertit, Rituale Romanum gradum faciens ad sacrae Synaxis distributionem faciendam per Sacerdotem celebrantem, statim post Missam, haec praescribere: *Quod si contingat absoluta Missa statim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc Planeta indutus, sacram communionem, eo modo quo supra dictum est, ministrabit.* Quae pariter intelligenda sunt de communione ante Missam. Porro si *eodem modo quo supra,* ergo eumdem ritum esse servandum: at vero hunc ritum cum paramentis nigris non congruere. Rursus si *eodem modo quo supra,* profecto communioni aequiparari, quae peragitur extra Missam, idest Sacerdote stola induto, quae officio diei respondeat aut saltem Sacramento Eucharistiae conveniat. Profunde enim animadvertit Consultor posse Sacerdotem cum paramentis coloris nigri litare sacrificium pro defunctis; ideoque posse in actu sacrificii altaris ad participationem fideles admittere, quae actio cum Sacrificio connectitur ex dictis: namque ambigere, an Christi Domini Corpus hoc modo fidelibus in Missis de Requie cum paramentis nigris ministrari possit, idem ferme esse ac in dubium revocare, utrum nec ne cum nigris indumentis Missam celebrare liceat. Huiusmodi tamen rationem plane deficere cum agitur de communione populi extra Missam. Hac autem ratione exclusa, subintrare liturgicam legem supra dictam: non quidem illam quam nonnulli tradunt petitam ab inconvenientia immittendi manus in sacram custodiam ad extrahendam pyxidem (quod sane nil vetat quominus fieri quoque possit sive ad consumendas sacras species ibi asservatas, sive ad Sacramentum reponendum) sed ex circumscripto usu coloris nigri ad Missas dumtaxat defunctorum et ex praescripto ritu extra Missam in communione exhibenda servando, qui nigra paramenta non patitur aut omnino excludit.

Profecto in sacra liturgia multa fieri non posse, subiungebat, non quia expresse vetita, sed quia nullibi permissa, vel quia implicite alicubi reprobata: et praeceptionem

alicuius rei plerumque secumferre exclusionem alterius: quare, proponente Rituale quid sit in praesenti themate agendum quoad Missas vivorum, et silente quoad Missas defunctorum; itemque, proponente colores Sacramento convenientes, eo ipso exclusam videri Eucharistiae administrationem ante vel post Missam in paramentis nigris.

Haec autem confirmare studuit extrinseco argumento petito ex Benedicti XIV. sententia expressa in *cit. oper. n.* 12. ubi legitur: « Concludendum est, posse in Missis defunctorum Eucharistiam, sive in illis, sive in alia Missa consecratam distribui dummodo id nec fiat ante, vel post Missam, sed intra eamdem Missam post ipsius Sacerdotis communionem. » Quam quidem doctrinam magni esse faciendam, cum ipse Promotoris Fidei munere fungeretur dum haec quaestio agitabatur; cum hoc opus scripsisset deinceps sacra purpura condecoratus: cumque hoc opus, eo Pontifice, nova ampliorique editione iterum fuisset typis mandatum.

Satis sit de hac haud grata quaestione, quae certe, post traditum solemne Decretum, auctoritate SSmi D. N. undequaque probatum, extincta est, nec amplius reviviscet.

Digitized by Google

APPENDIX VII.

CIRCA QUASDAM INDULGENTIAS APOCRIPHAS, QUAE DICUNTUR ADNEXAE CORONAE B. IOANNAE VALESIAE.

Praesertim in Galliis circumferuntur quaedam pagellae sequentis tenoris:

LES PARDONS

DU PETIT CHAPELET PRIVILÉGIÉ

« *Des Religieuses de l'Annonciade et Filles de la Vierge Marie, fondées par* B. H. Jeanne, *Reine de France Duchesse de Berri, accordés par les Souverains Pontifes Alexandre VI. Jules II. et Léon X. confirmés par Pie VII. applicables aux âmes du Purgatoire.*»

«Aux 10 grains blancs du Chapelet, il faut dire 10 *Ave Maria* en l'honneur des dix principales vertus de la Vierge, qui sont: pureté, prudence, humilité, dévotion, chasteté, obéissance, pauvreté, patience, charité, compassion. Il y a dix ans de pardon.

»Aux 5 grains rouges, il faut dire 5 fois *Pater* et *Ave Maria* en l'honneur des cinq plaies de Notre-Seigneur. Il y a dix mille ans de pardon.

»Aux 12 grains noirs, il faut dire 12 *Ave Maria* en l'honneur des douze fruits du Saint Sacrement de l'Autel, qui ne sont autres que les douze fruits du Saint Esprit que ce Saint Sacrement opère aux âmes qui le reçoivent dignement. Il y a douze mille jours de pardon.

»A chacun des trois gros grains, il faut dire un *Pater noster,* et *Ave Maria* à l'intention de Notre Saint Père le Pape, et pour l'augmentation de la foi catholique.

»Le premier *Pater noster* se dit en mémoire de l'amour que Notre Seigneur a porté aux âmes;

»Les second, en mémoire de ce qu'il a souffert pour le salut des âmes.

»Et le troisième, en mémoire de ce qu'il a mérité pour les âmes. Il y a trois cents ans de pardon.

»De plus, le pape Léon a donné encore cent jours de pardon aux dix *Ave Maria,* cent aux cinq *Pater noster,* et cent aux douze *Ave Maria.*

»Il y a mille ans d'indulgence à le porter seulement.

»Ce sont les trois dévotions inspirées à la bienheureuse reine Jeanne de France, et qu'elle distribuait aux fidèles, pour les attirer aù service de la Reine du Ciel, étant les trois dévotions de la Sainte Vierge.»

Harum pagellarum exemplaria non semel Romae vidimus S. Congregationi Indulgentiarum exhibita, ut de earum authenticitate testimonium redderetur. Quare non immerito duximus, quid in hac re tamquam certum tenendum sit, quid veluti falsum reiiciendum patefacere.

Beata Ioanna Valesia, cuius cultum immemorabilem adprobavit Benedictus XIV. iam Regina Galliarum (quo tempore fides Christi Dominatoris Supremi fulgere non dedigna-

batur inter Imperantium diademata), fundatrix Ordinis SS. Annunciatae sub Regula S. Francisci, instituit pariter quoddam sodalitium, quod frequentius fuit appellatum *ordo pacis;* atque Regulas praescripsit divinitus, ut fertur, acceptas, easdemque servandas omnibus, qui eidem ordini, seu Sodalitati nomen darent sive ecclesiasticis sive laicis utriusque sexus.

Pium huius sodalitatis exercitium triplex est.

Primum consistit in recitatione decies repetenda salutationis Angelicae in memoriam decem insigniorum virtutum SSmae Virginis, quarum testimonia exhibent sancti Evangelistae.

Secundum consistit in recitatione *Pater et Ave* in memoriam Passionis D. N. Iesu Christi, et dolorum, quos Virgo Deipara recolens vulnera cruciatusque Filii sui passa est.

Tertium denique consistit in recitatione duodecim *Ave Maria* in honorem SSmi Eucharistiae Sacramenti, ad assequendos totidem fructus, quos retribuit hic cibus caelestis fidelibus, qui non indigne ad sacram synaxim accedunt.

Unumquodque autem horum trium exercitiorum incipitur recitando unum *Pater et Ave* pro Summo Pontifice, et pro concordia Principum Christianorum (qui tunc extabant).

Ad haec rite peragenda excogitata fuit idonea Corona, quam *triplicatum Rosarium* appellant, triginta calculis seu globulis constans colore inter se discrepantibus, albo videlicet rubro et nigro.

Ex primo calculo rubro molis grandiusculae descendunt decem globuli albi per gyrum dispositi, quibus subnectitur secundus maior calculus niger et hunc successive et directe sequuntur quinque globuli rubri, quorum postremo adnectitur tertius maximus calculus albus ex quo procedunt duodecim reliqui globuli nigri in gyrum dispositi.

Itaque ad tres rubros recitatur *Pater et Ave;* ad decem albos, decem *Ave,* ad quinque rubros, quinque *Pater et Ave;* ad duodecim nigros, duodecim *Ave,* eo modo quo superius dictum est.

Leo X. confirmavit hanc piam sodalitatem a B. Ioanna institutam quae appellata est *ordo pacis.* Pacem enim triplicem, cordis nempe, oris, et operum Beata institutrix in suis Regulis valde commendavit. Facta insuper est potestas Superioribus et Confessariis Monialium SSmae Annunciatae sub Regula S. Francisci adscribendi fideles utriusque sexus ad eundem pacis ordinem.

Quoad Indulgentias, certum est, piam hanc precandi formulam ipsumque sodalitium ab initio spiritualibus donis fuisse decoratum; verum cum non satis haec dona spiritualia concessa noscerentur, in vulgus edi coeperunt et per manus fidelium passim circumferri quaedam folia indulgentias quammaximas diversorum Summorum Pontificum nomine praeseferentia, idest Alexandri VI. Iulii II. Leonis X. aliorumque. Quare iam a die 3 Augusti 1750, instante

Digitized by Google

Consistorio Archiepiscopali Salisburgensi, cui excessivae nimis visae sunt et contra praxim Romanae Sedis gratiarum concessiones quae iactabantur, a S. Congregatione Indulgentiarum ea folia interdicta fuerunt.

Deinde, nempe anno 1755, Moniales SS. Annunciatae monasterii Antenaci ad Rhenum, sollicitae de vera indulgentiarum cognitione huic pio exercitio adnexarum, Sanctae Sedi supplicarunt, transmittentes pariter exemplar earum concessionum, quae repertae fuerant apocriphae anno *1750*.

Hinc factum fuit, ut Benedictus XIV. exquisito S. Congregationis consilio, et examine instituto sequens Decretum emitti iussit.

«Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP.XIV. omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui quotidie per integrum mensem Coronam Beatae Ioannae Valesiae triplicatum Rosarium nuncupatum devote recitaverint semel intra eumdem mensem die, nempe ab unoquoque ad sui libitum eligenda, in qua vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam consequi valeant. His vero qui in singulis feriis sextis Quadragesimae, singulisque septem B. M. Virginis festivitatibus, ut supra dictam Coronam recitaverint, septem annorum totidemque quadragenarum. Ac tandem pro qualibet eiusdem Coronae devota recitatione Indulgentiam centum dierum in perpetuum benigne concessit. Revocatis omnibus et singulis Indulgentiis, quae pro eiusdem coronae recitatione asserebantur concessae.

»Declaravit insuper Sanctitas Sua, ut quis consequi possit praefatas Indulgentias requiri, ut Corona sit de more benedicta a Superioribus Ordinis Annunciationis B. M. Virginis sub regula S. Francisci a Sede Apostolica approbati, vel a quolibet Confessario Ordinario Monialium eiusdem Ordinis, et propterea eisdem Superioribus, et Confessariis dictae Coronae benedicendi facultatem tribuit et imperitus est.

»In distribuendis vero huiusmodi Coronis, eorumque usu, Sanctissimus servari iussit decretum fel. rec. Alexandri PP. VII editum sub die 6 Februarii 1657, nimirum, ne huiusmodi Coronae utpote benedictae, vendantur, aut alteri commodentur aut praecario dentur alioqin careant Indulgentiis iam concessis et aliqua ex eis deperdita alia subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra benedicta fuerit. Datum Romae die 6 Martii 1756.

Fr. I. Card. Portocarrero Praef.

A. E. Vicecomes Secret. »

Post haec quisque videt, quanta temeritate ea folia indulgentiarum adhuc circumferantur, superaddita etiam confirmatione S. Pont. Pii VII.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

MATRIMONII.

Die 19 Decembris 1868.

Compendium facti. Redit causa matrimonialis cuius synopsim dedimus in praeterito fasciculo *pag.* 241, quae proposita fuit sub dubio: « An sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolis sit » confirmanda vel infirmanda in casu » cui Emi Patres responderunt: *Sententiam esse confirmandam.* Qua scilicet matrimonium fuit declaratum irritum, quia contractum coram Parocho non proprio alterutrius sponsi.

Matrimonii Defensor, haud acquiescens huic Resolutioni, novam audientiam petiit obtinuitque simul rogans, ut a Neapolitana Curia quaedam documenta ex officio quaererentur, quibus ipse putabat pro matrimonii validitate nova erui posse argumenta. Putabat enim, ex actis Curiae quae matrimonio praecesserunt erui posse aliquam Ordinarii delegationem, qua posita, matrimonium, certo certius fuisset validum.

Datis itaque litteris Emus Antistes transmisit documentum, quo Curia auctoritatem fecerat Parocho *cui spectaret* ad benedicendum matrimonio inter eos sponsos, idest Caeciliam et Sempronium.

Documentum autem ita latine sonat. «*Parochus cui spectat, cum iam peractae sint tres publicationes, cumque nullum repertum fuerit canonicum impedimentum, celebrabit in sua paroeciali ecclesia matrimonium contrahendum inter* (Caeciliam ... et Sempronium...) *servata forma S. Concilii Tridentini et iussionibus huius Revmae Curiae Archiepiscopalis. Datum* etc.

Item transmisit novam Parochi depositionem in Curia emissam et iureiurando firmatam circa facultatem eidem traditam exsecutioni mandandi tribus continuis diebus publicationes, nec non circa veniam obtentam ad benedicendum matrimonio. Depo-

Digitized by Google

sitio haec ita latine se habet: « *Ego documentum non servo quo auctoritas mihi facta est denunciationes peragendi pro matrimonio inter Caeciliam et Sempronium tribus continuis diebus . . . quia necessarium non erat illud servare . . . Hoc Vicarii Generalis rescripto non intelligebatur, nec facultas mihi facta est, qua possem licite assistere matrimonio eorumdem. Postea mihi venia data est dicto matrimonio benedicendi, quando ad Curiam remisi documenta denunciationum factarum, in quibus ego testatus sum nullum relatum fuisse canonicum impedimentum. Documentum hoc, quo facultas mihi facta est matrimonio benedicendi est illud quod nunc exhibeo* . . . » Quod est illud ipsum quod mox retuli.

Disceptatio synoptica.

Quoniam haec causa sub novo adspectu consideratur, operae pretium est aliam enarrare circumstantiam facti, quae nunc praeteriri silentio non potest sine aliquo causae detrimento. Haec circumstantia est, quod Parochus ipse non adstiterat matrimonio, sed delegaverat alterum Sacerdotem qui illi matrimonio assisteret.

Defensio matrimonii. Substantia novae defensionis in hoc argumento tota consistit: in comperto est, Episcopum posse dare suis subditis facultatem contrahendi matrimonium coram quovis Parocho suae dioecesis: atqui Vicarius Generalis, qui vi officii sibi commissi praeditus est auctoritate episcopali, negotium formali ratione prius cognovit et facultatem celebrandi matrimonium fecit sponsis et Parocho in ea paroecia in qua tunc habitabant. Ergo matrimonium validum est censendum, licet domicilium aliquod in ea paroecia sponsi non contraxissent.

Primam propositionem ostendebat Defensor tum ex generalibus iuris principiis, tum ex Resolutionibus S. Sedis in specialibus casibus datis. Et ad speciales casus quod spectat sequentes causas referebat.

S. Congregationi Concilii die 9 Septembris 1684 casus qui sequitur a S. Poenitentiaria propositus est solvendus: « Fulanus » et Berta matrimonium inter se contracturi statum suum li- » berum probarunt apud acta Curiae Episcopalis, instantes sub- » inde iuberi Parocho ut ad trinam denuntiationem procederet. » Interrogati autem a Notario, quisnam esset eorum Parochus, » responderunt (per errorem tamen et citra contemptum cla-

» vium) esse Parochum S. Demetrii, in cuius parochia iampri- » dem habitaverant, sed tunc temporis non habitabant. Peractis » itaque a Parocho S. Demetrii iuxta sibi traditam facultatem » denunciationibus, nulloque impedimento detecto, Ordinarius » impartitus est solitam licentiam per dictum Notarium exten- » sam sub hac verborum formula: *concedimus licentiam Pa-* » *rocho S. Demetrii ut possit assistere Matrimonio inter Fulanum* » *et Bertam ambos eius parochiae.* Celebratum proinde fuit co- » ram dicto Parocho et testibus matrimonium. Sed post aliquod » tempus Fulanus librum moralem casu legens, invenit commu- » nem esse sententiam, quod ad matrimonii validitatem requi- » ritur praesentia Parochi saltem unius ex contrahentibus: unde » consultis pluribus Confessariis quid sibi agendum esset, sua- » sus fuit, ut una simul cum Berta consensum renovaret coram » proprio Parocho et testibus. At Fulanus explorata Bertae vo- » luntate, an in casu, quo non esset ipsius coniux, vellet sibi » matrimonio aliter copulari, responsum habuit absolute negati- » vum. Nihilominus habita nuper notitia, quod inter declaratio- » nes desumptas ex Bibliotheca Card. Bellarmini et typis im- » pressas ad *Cap. I. sess. 24 de Ref. Matr.* extat infrascripta: *licet* » *non proprius Parochus, sed alius de consensu Episcopi intersit,* » *matrimonium tenet, etiamsi Episcopus credat fuisse vocatum Pa-* » *rochum:* spem aliquam validitatis matrimonii concepit: sed » ad omnem dubietatem removendam suppliciter instat declarari: » an praefatum matrimonium contractum inter ipsum et Bertam » fuerit validum. » Cui S. Congregatio rescripsit: *Affirmative.*

Item adducebat Causam *Taurinen. Matrimonii* agitatam in S. C. C. die 12 Decembris 1767. Expedit ut referam eius facti speciem. Archiepiscopus Taurinensis anno 1751 die 13 Februarii mandavit Parocho S. Thomae eiusdem civitatis, ut *Ioannem Antonium Peyrani, filium Pauli, et Annam Casinelli, quondam Iosephi, ambos Taurinenses, et Parochianam suam, futuros coniuges ad invicem per verba de praesenti in faciem Ecclesiae desponsaret, ac matrimonio iungeret, dummodo unica pro omnibus in utraque Parochia praecederet denunciatio.*

Denunciationibus peractis die 15 eiusdem mensis celebratum fuit matrimonium in ecclesia S. Thomae coram Parocho eiusdem ecclesiae.

Digitized by Google

Triennio elapso, instante Anna uxore, quaestio instituta est, an matrimonium hoc coram proprio sponsae Parocho initum fuerit. Curia Archiepiscopalis sententiam tulit pro validitate; Curia autem Vercellensis iure appellationis sententiam revocans pro nullitaté matrimonii iudicavit.

Causa delata ad S. Sedem disputatum fuit super duplici capite; idest super domicilio seu quasi-domicilio quod sponsa haberet in paroecia S. Thomae. Certum quidem erat, sponsum nullum habuisse domicilium in ea paroecia, sed dubium erat an quasi–domicilium haberet sponsa in eadem S. Thomae paroecia. Et pro domicilio a Defensore matrimonii haec in facto adducebantur: «Ex ipsis testibus examinatis haberi, sponsam post trans» latum a matre mense Septembris anno 1750 domicilium a Pa» rochia S. Thomae ad alteram SS. Iacobi et Philippi, semper » diurnam moram cum avo et avia paternis habuisse toto anno » 1751 in parochia S. Thomae singulisque diebus eumdem spon» sum a prima luce ad noctem usque una cum avo atque avia » convixisse: ipsamque sponsam declarasse se verum domicilium » in domo avi statuisse: mutationem ideo domicilii factam a » matre non secumferre variationem domicilii sponsae, quae in » domo avi diurnam moram habuit et cuius domicilium et fami» liam de iure sequi tenebatur, *l.* 19 *et* 24 *ff. de stat. homin.*» (1). Haec tamen Annae Defensor infirmare curabat ex aliis testium dictis.

Alterum argumentum in hac causa *Mediolanensi* petiit Defensor ex supra allegato Curiae decreto, animadvertens a Curia datum fuisse Parocho S. Thomae expressum mandatum matrimonio assistendi, ex quo concludebat, subtilius inquirendum non esse, an sponsa domicilium adhuc habuisset nec ne in parochia S. Thomae. Proposita autem dubitandi formula: «An con» stet de nullitate matrimonii in casu:» S. Congregatio respondit: *negative.* Haec quidem ad primam propositionem superius adductam ostendendam referuntur.

Quoad secundam propositionem (quam Logici *minorem* appellant) ostendendam, Defensor in praesenti themate innitebatur

(1) Hisce in adiunctis facilius domicilium causa celebrandi validum matrimonium acquiritur, ut consideratum fuit in *Caesenaten.* die 25 Iunii 1723. Confer quae adnotavi in *Vol. I. pag. 132.*

Digitized by Google

testimoniis eorumdem sponsorum, qui, antequam matrimonium contraherent, a Curia de statu libero ex instituto interrogati: *an unquam discesserit ab hac civitate, sub qua paroecia degat, an esset uxoratus, voverit castitatem sive Religionem vel fidem matrimonii alicui dederit.* Sempronius respondit: *Ego nunquam ab hac urbe discessi .... in praesentia habito in districtu paroeciae N.* (in qua scilicet contraxerunt postea matrimonium). Item Caecilia respondit: *ego nunquam discessi ab hac urbe, nubilis sum in praesentia habito in districtu paroeciae N.* Idem repetierunt testes, qui deposuerunt: *in praesentia habitat* in paroecia N.

Hisce testimoniis habitis, adnotabat Defensor, Vicarium Generalem primum Decretum edidisse, quo dictis sponsis licentia data est contrahendi matrimonium *in faciem ecclesiae servata forma S. C. Trid. et ordinum huius Archiepiscopalis Curiae, dummodo eis non obstet canonicum impedimentum; nam ex informatione capta constat, ambos esse liberos ac solutos.*

Adnotabat pariter in scriptis facultatem eisdem factam fuisse ut tribus continuis diebus denunciationes in paroecia fierent. Denique, nullo impedimento relato, Curiam dedisse illud Decretum superius deductum: *Parochus cui spectat* etc.

Ex quibus eruebat Defensor Curiam se ingessisse in toto matrimonii negotio, et satisfacere voluisse desiderio a sponsis expresso contrahendi matrimonium in faciem Ecclesiae: ideoque nil aliud ab iisdem requisivisse, quam probationem domicilii in ea urbe et actualis habitationis.

Defensio Sempronii. Huius Defensor initio animadvertens extra dubitationem esse, Episcopum in sua dioecesi posse quemvis Presbyterum delegare pro matrimonii celebratione, ex ipsis expositis documentis ostendere curavit in praesenti themate nullam adfuisse delegationem, quod quidem eruebat ex verbis eiusdem documenti, quo post publicationes venia data est celebrandi matrimonium: *Parocho cui spectat, ... inter sponsos N. N. paroecialis ecclesiae N.* Observabat enim eiusmodi verba satis indicare veniam concessam fuisse Parocho illi, qui esset sponsorum proprius; non vero alium Parochum fuisse delegatum: permissum quidem fuisse matrimonium, non autem prorogatam fuisse Parochi iurisdictionem; et si haec duo simul confunderentur, actum esse

de Tridentino Decreto disponente, ut coram proprio contrahentium Parocho matrimonia celebrentur.

Facta autem hypothesi, illud documentum continere etiam delegationem, Defensor contendebat, nullum pariter declarandum esse matrimonium. Licet enim Defensor facile concederet delegationem ab aliquo Ordinario factam alicui Parocho, quem proprium contrahentium idem Ordinarius ex proprio errore putaverit, aut ex bona contrahentium fide in errorem illum inciderit, validum reddere matrimonium: id tamen negabat si ex mala contrahentium fide Ordinarius in illum errorem esset inductus.

Ad haec probanda adducebat auctoritatem S. Rotae in causa *Romana Matrimonii* 3 *Iulii* 1719 *coram Corio*, in qua agitata fuit causa nostrae valde similis: haec autem S. Rota in ea decisione exponit: « Quoties in legem moliri contenditur, toties fortasse » machinatione detecta res infeliciter evenit quemadmodum praeter frequentissima exempla palam fit in hac causa, in qua » concupitum matrimonium contractura Ioanna Catharina sagacissima mulier annorum ultra quadraginta cum Dominico Antonio inexperto iuvene, atque simul dispositionem S. Conc. » Tridentini *sess.* 24 *de Refor. matr. cap.* 1 eludere praecogitans, » curaverat prius de mense Maio extra consueta tempora describi » se facere in libro status animarum ecclesiae S. Salvatoris ad » Montes tamquam inhabitantem primam partem domus D. Prosperi Nunex positae in via *Baccina;* deinde datis ad probandum sui status libertatem testibus duabus mulieribus existentibus in Conservatorio a Divina Providentia nuncupato *ad Ripettam*, una simul deponentibus de eiusdem Ioannae Catharinae habitatione in praedicta parochia S. Salvatoris, *coram huius » Parocho praevia solita licentia eidem directa pro faciendis praeventivis denunciationibus* ad matrimonii celebrationem devenit » sub die 28 Iulii 1716. Paucis autem ab hinc diebus detectis » luce veritatis erroneis suppositionibus, causam super nullitate » contracti matrimonii primum delata ad Curiam Emi Vicarii » prodiit sententia *nullitatis matrimonii* . . . Deinde ad nostrum » Auditorium devoluta requisitis hodie per me iuxta tenorem » specialis commissionis omnium DD. suffragiis sub congruo dubio: – an constaret de validitate matrimonii, seu potius esset

» locus coactioni seu dotationi – prodiit in omnibus pro Domino » Antonio informante favorabile responsum.

» Nec inde erat, quod substantialis haec nullitas matrimonii » coram alieno Parocho celebrati evitari potuerit praetextu li- » centiae de contrahendo matrimonio obtentae ab Emo Vicario » *et directae eidem Parocho* SS. Salvatoris ... quia licet nullus » dubitaverit licentiam Ordinarii suffragaturam ubi clare consta- » ret, ipsum pro effectu assistendi matrimonio alienorum paro- » chianorum alium Sacerdotem delegare voluisse loco proprii » Parochi contrahentium, quod non raro ex rationabilibus causis » fieri solet; tunc tamen praxis est, ut licentia huiusmodi diversa » formula delegationem continente exprimatur, prout testantur » Notarii et Substituti Emi Vacarii. Vel ubi etiam materialis error » circa nominationem Parochi cum licentia dirigitur se teneat » tantum ex parte solius Ordinarii, ut erat casus Resolutionis » S. Congr. Concilii in etc. Vel ubi demum error absque ullo » tamen contemptu clavium ac citra ullam fraudem ob veri- » ficatam aliqualem habitationem in parochia ubi matrimo- » nium celebratum fuit se teneret ex parte ipsorum contra- » hentium ...

» Nihilominus omnibus praedictis circumstantiis exulantibus » a praesenti casu, in quo revera nullum verificatur indicium » habitationis contrahentium in parochia SS. Salvatoris, et li- » centia Emi Vicarii nullam quoque contineat delegationem eius » Parochi; sed eidem directa noscatur *non quidem ex errore Emi-* » *nentissimi Vicarii aut ex inculpabili oscitantia contrahentium,* » *sed ex eorum fraudolenta machinatione,* qui supposuerunt eum » esse verum et proprium Parochum ...»

Eadem fere repetuntur in decisione confirmatoria *diei 2 Decembris* 1720 *coram Gamaches,* et in tertia confirmatoria sententia *diei* 7 *Martii* 1721 *coram eodem,* in qua tamen in acri partium certamine alia obiectio fuit proposita his verbis: « li- » centiam quoque in forma ordinaria sufficere, ut nullitas con- » tractus cesset, cum ubi adsit consensus Episcopi, sponsi rite » et recte coniungantur ab alio quoque Presbitero quam Paro- » cho, etiamsi Ordinarius putet istum esse Parochum proprium; » quia ad validitatem connubii sufficit illud contrahi coram Sa- » cerdote de licentia Episcopi; neque requisivisse Concilium qua

» intentione quove modo licentiam daret Antistes, sed satis » habuisse, ut Sacerdoti non Parocho indulgeret licentiam. »

Huic propositae obiectioni sic S. Rota respondit: « Attamen » omnem difficultatem diluit animadversio, quod licentia ante» dicta patitur quoque vitium *subreptionis et doli; subreptionis* » ob reticitam in precibus expressionem verae parochiae; *doli,* » quia error Ordinarii de vero Parocho ad alium minime pro» cessit ex errore Ordinarii, sed ex fraudolenta machinatione » contrahentium, qui ad probandum statum liberum induxerant » testes asserentes utrumque esse de parochia S. Salvatoris, quod » falsum in facto detectum est . . . Itaque cum licentia subreptitie » habita nullius sit firmitatis, et neminem propria malitia iu» vare debeat, conclusum fuit, theoricas in obiecto allegatas pro » validitate coniugii procedere, quoties error se teneat tantum » ex parte Episcopi, nullusque adsit dolus et machinatio con» trahentium; contra vero in hypothesi matrimonium contractum » sub licentia subreptitia et dolosa invalidum prorsus atque ir» ritum manere. »

Hac S. Rotae doctrina Defensor Sempronii respondit ad omnes animadversiones e contrario factas; sed sibi satis non fuit: namque alterum consideravit adiunctum in praesenti themate, quod erat facultas facta a Parocho N. alteri Sacerdoti matrimonio celebrando assistendi. Quare, facta hypothesi, Curiae licentiam Parocho datam undequaque sufficientem fuisse ad celebrandum valide matrimonium, contendebat, invalide Parochum facultatem sibi traditam subdelegasse; ideoque matrimonium etiam sub hac hypothesi fuisse nullum.

Quod quidem ostendere studuit ex generalibus iuris principiis, quibus traditur, mandatarium non posse subdelegare iurisdictionem, excepto casu, quo fuerit a Principe delegatus, *l.* 6 *ff. de iurisdictione* in qua legitur: « *More maiorum ita comparatum est, ut is demum iurisdictionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio haberet.* » Item *l.* 5 *ff. de officio eius cui mandata est iurisdictio,* in qua legitur: « *Mandatam sibi iurisdictionem mandare alteri neminem posse manifestum est.* » Quos textus sic illustrat Voet in iure civili peritissimus, *lib.* 2, *tit.* 1 *de Iurisd. n.* 11. « Sed ut legitima, seu extraordinaria, iuris» dictio mandari nequit, ita nec ea quae alteri mandata est per

» mandatarium recte mandatur, *l. ult. ff. de off. eius l.5 ff. de iuris.*
» eo quod ut ante dictum est, eam vice et nomine mandantis,
» et ita alieno beneficio mandatarius exercet, nihil ipse proprium
» habens; adeo ut ne in potestate quidem mandantis sit nomi-
» natim id agere, ut ipse desineret iurisdictionem habere et illa
» in mandatarium sic transiret, ut is iure proprio eamdem exer-
» ceret: namque nec privata auctoritate magistratus quisquam
» abdicando imperium amittere illud potest *l. pen. ff. de off. prae-*
» *sid.* neque, si maxime id posset, propterea in alium transfe-
» rendi ius haberet; sed tantum abdicatione semet exueret illa,
» qua fuerat munitus, potestate, arbitrio Principis in alium
» deinceps conferenda.»

Eamdemque doctrinam in iure canonico vigere Defensor ostendit ex *cap.* 62 *de Appellat. in fin.* cuius haec sunt verba: *cum nonnisi delegatus a Principe causam alii valeat delegare.*

Ea quae ex officio adiecta sunt. — Quae Defensor Sempronii deduxit aliis validis auctoritatibus sunt ex officio roborata. Cum enim indubium sit, matrimonium initum non praesente proprio Parocho, vel alio Sacerdote de illius vel Ordinarii licentia, nullum esse, consideratum est, eiusmodi licentiam toto caelo ab illa distare, quae ex invecta praxi ab Ordinariis dari solet Parochis ut matrimonio celebrando assistant; hac enim licentia non delegatur iurisdictio; dum contra ex priore licentia vera iurisdictio delegetur.

In licentia autem, quam Curia Parocho dedit, non contineri delegationem sed simplicem permissionem habita ratione probationis factae de statu libero: S. Rotam in *Neapolitana Matrimonii 22 Iunii* 1767 *coram Priolo* causam pertractasse nostrae fere identicam, ac tenuisse, nullam adfuisse delegationem, quia, omissis caeteris, verba: *servata forma Concilii Trid.* contrariam omnino importarent voluntatem, et quia, cum delegatio sit actus voluntatis, ista delegatio adesse non posset absque voluntate delegantis.

Huic S. Rotae doctrinae consonare doctrinam S. Cong. Concilii in *Farfen. Nullitatis Matr.* 26 Maii 1707 item, Card. De Luca *ad Conc. disc.* 26 n. 25, *de Matrim. disc.* 1 *n.* 4 *seqq.*, qui *num.* 7 haec habet: « Esset enim maximum absurdum, ut huiusmodi li-
» centiae quae conceduntur Parochis cum praesupposito eorum

Digitized by Google

» potestatis, quodque ageretur cum propriis subditis, ad id trahi » possent, quoniam ita nimium de facili fraudes fieri possent » dictae formae conciliari quae inanis ac vacua remaneret. »

Observabatur autem aliud esse dicendum quando matrimonii celebratio Parocho non proprio contrahentium fuerit commissa ex materiali errore eiusdem Ordinarii, ut, omissis caeteris iam allegatis, in *Salen.* quam refert Barbosa in *Summ. Apost. decis. coll.* 465 *n.* 6, e contra vero si Ordinarius in errorem ex fraude devenerit ut in *cit. Neapolitana Matrimonii coram Priolo* etc.

Denique quoad subdelegationem a Parocho factam de qua supra, inter caetera adiungebatur auctoritas Pirrhing, qui *de Offic. et potest. Iud. delegat. tit.* 23 *sect.* 1 §. 4, de subdelegatione ad matrimonium loquens, haec scripsit: « Quod tamen ut valide fiat, » necesse est ut Ordinarius quicumque Sacerdoti illi delegato » expresse commiserit, ut si ipsemet assistere nolit, vel non » possit, alium quemcumque Sacerdotem substituat, quia tunc » Sacerdos ille substitutus assistit cum licentia Ordinarii; idque » iuxta Conc. Trid. requiritur ad valorem matrimonii, nam ibi » exigitur, ut, alius Sacerdos de licentia ipsius Parochi seu Or- » dinarii, matrimonio assistat, et quidem cum expressa licentia » eiusdem. »

Hisce aliisque deductis propositum est resolvendum

Dubium

« An sit standum vel recedendum a decisis in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio, causa denuo discussa die 19 Decembris 1868 respondere censuit: *In decisis.*

Ex quibus colliges:

I. Non esse confundendam facultatem, quam dare possunt Ordinarii cuivis Sacerdoti assistendi matrimonio contrahendo, cum ea facultate, quam concedere fortasse soleant Ordinarii Parochis ad quos spectet assistendi matrimonio celebrando.

II. In prima facultate contineri specialem deputationem, qua tribuitur assistendi facultas Sacerdoti qui ea careat facultate: in secunda contineri consuetam declarationem, qua, ex causa summarie cognita, rite procedi posse ad matrimonium Parocho cui spectat significatur.

Digitized by Google

III. Duplici sensu secundam hanc facultatem posse intelligi: 1° *tibi liceat matrimonio horum sponsorum assistere, si tibi spectet ex tridentina lege, ut ego suppono, assistendi facultas:* 2° *tibi liceat matrimonio assistere horum sponsorum quos puto tuos parochianos esse.*

IV. Facultatem priori sensu conceptam, *conditione* non verificata, matrimonio non videri posse suffragari: secundo sensu acceptam, *modo* licet non verificato, matrimonio suffragari.

V. S. Rotam censuisse, hanc facultatem *sub modo* datam non suffragari matrimonio, si sponsi ex subreptione vel obreptione ab Ordinario eam obtinuerint (1).

(1) Dixi S. Rotam id censuisse; nam reperire non valui aliquam Resolutionem S. Congregationis ex qua idem erui posset. Fagnanus in Cap. *Quod Nobis, de Clandestin. despons. n.* 55, sibi quaerit: « an sit nullum matrimonium cui intervenit Sacerdos iussu Episcopi, si Episcopus deceptus est, ratus, Sacerdotem illum esse Parochum contrahentium, cum tamen non esset: » et respondit: « Cum Episcopus *Amerinen.* hoc dubium declarari petiisset, S. Congregatio censuit *esse validum.* » Et hanc rationem idem auctor reddit: « In terminis matrimonii illud clarum esse, quod Concilium ad validitatem matrimonii voluit sufficere, ut fieret coram Sacerdote de licentia Episcopi, etiamsi talis Sacerdos alias non esset proprius Parochus; nec requisivit Concilium qua intentione, quove modo Episcopus daret talem licentiam, sed satis habuit, ut licentiam daret Sacerdoti non Parocho. In hoc casu Episcopus dedit licentiam tali Sacerdoti non Parocho: ergo matrimonium est validum, pro quo etiam in dubio pronunciandum est. »

Item Barbosa *Apost. Decis. Collect.* 465 *n.* 6 scripsit: « Matrimonium contractum coram Parocho alieno de licentia Episcopi validum est, quamvis Episcopus intentionem haberet tale matrimonium non alii quam proprio Parocho committendi, *S. Cong.* in *Salen.*, quam refert Sellius *in Selectis Canon. c.* 8 *n.* 73. »

Item Bellarminus *loc. cit.* ex Sententia S. Congregationis tradit: « Licet non proprius Parochus, sed alius de consensu Episcopi intersit, matrimonium tenet, etiamsi Episcopus credat fuisse vocatum Parochum. »

Card. De Luca, qui in ea sententia versatur, ut eiusmodi licentiae quae a Curiis dari solent nullam tribuant facultatem Parocho quam non habeat, refert causam *Romanam Nullitatis* agitatam die 23 Aprilis 1667 *De matr. discur.* 1. his verbis: «Post diuturnam conversationem quam Franciscus habuerat cum Cassandra, quae inhonestam vitam ducebat in domo ad annum conducta in parochia S. Mariae in *Campitello;* cum Franciscus intenderet eam uxorem ducere, timeret autem ne innotesceret Ascanio Patri, in cuius domo vivebat in parochia S. Augustini, curavit mulier de die frequentare domum cuiusdam eius benevolae mulieris in parochia S. Nicolai, ut ibi videretur, quamvis nocte ad propriam consuetam domum rediret: obtentaque a Vicesgerente licentia directa Parocho S. Nicolai, ut coniungeret istam mulierem tamquam eius subditam

Digitized by Google

VI. Parochum, qui non sit contrahentium proprius, cui licentia ab Ordinario data sit assistendi matrimonio, etiam sub nulla conditione aut modo, vi huius licentiae eidem directae non posse alium Sacerdotem deputare ut matrimonio assistat.

V. In praesenti casu facta etiam hypothesi, licentiam ab Ordinario datam non fuisse conditionatam, vi huius licentiae invalide Parochum alterum Sacerdotem deputasse (1).

» in matrimonium, quod vidissent eam » habitare in hac parochia, ad matrimonii » celebrationem coram eo deventum est » cum dispensatione denunciationum. » Hoc autem detecto, curavit viri pater » ut ex parte filii, qui a muliere diverterat, introduceretur causa nullitatis » matrimonii coram Vicesgerente. Verum » ex Rescripto SSmi, Stante mulieris » paupertate, causa summarie pro stylo » decidenda remissa fuit S. Congregationi » Concilii, a qua, sub die 23 Aprilis 1667, » prodiit Resolutio pro matrimonii validitate, non sine tamen magna votorum » scissura; ideoque concessa fuit nova » audientia, quae tamen sine effectu remansit, dum superventa mors viri controversiae finem dedit. »

Hisce adde duas causas quas Defensor matrimonii in nostra quaestione adduxit.

(1) Certum est in iure principium, eum qui demandatam habeat iurisdictionem alteri demandare non posse, nisi fuerit delegatus a Principe propter eminentem foecundamque Principis auctoritatem: et dantur casus in quibus etiam ille, qui delegatus sit a Principe, subdelegare non possit, ut contingit ex. gr. quando Princeps in aliquo negotio personam aliquam deputet propter eius personalem peritiam, idoneitatem, industriam etc. vel quando aliquam facultatem gratiosam ei tribuat quin mentionem faciat de facultate subdelegandi; de qua re videsis quae adnotata sunt in *Aurelianen.* quam adduxi *pag. 103.*

Quamvis autem qui mandatam habent auctoritatem non a Principe non possint eamdem subdelegare; datur tamen casus, quo alteri eamdem valide mandent; idest quando Ordinarius, seu qui ordinaria iurisdictione praeditus est, eamdem mandet cum facultate subdelegandi. Hoc in casu ita rem declarat clarissimus Voet *loco supra cit. n. 12:* « Praetorem ita » posse alteri suam mandare iurisdictionem, ut mandatarius non suam, sed » ipsius Praetoris mandantis iurisdictionem alteri mandet, et ita efficiat, ut » non amplius ipse vicem Praetoris gerat, » sed ut tertius ille vice Praetoris iurisdictionem exerceat. » In causa de qua supra egimus si Parocho facultas sufficiens data esset assistendi matrimonio, eam tamen invalide subdelegasset.

Digitized by Google

SERVITII CHORI

Die 18 Septembris 1868.

Compendium facti. In cathedrali Ecclesia N. mos invaluerat inserviendi choro alternis vicibus per hebdomadas etiam tempore Adventus. Administrator Apostolicus, qui eam gubernabat Ecclesiam, cum sacrae visitationi operam daret, hunc morem deprehendit oppositum statutis synodi dioecesanae: ideoque censuit rem totam S. Congregationi Concilii exponere a qua responsum accepit: *necesse est, ut Canonicos invites ad causam deducendam, cur non universi iuxta ss. canones quotidie choro inserviant, et si legitimo titulo polleant, cur ad chorum accedere non soleant iis diebus, qui ex instituto excipiuntur, et passim communes vocitantur. Si quid contra ius deprehenderis, et Canonici in ea consuetudine quae invaluit perstare velint, haec S. Congregatio consulenda est, quae suum iudicium interponat.*

Hisce mandatis obsecutus illico est Antistes Administrator, sed Canonici respondere distulerunt: hac re cognita S. Congregatio novum dedit mandatum his verbis: *Eidem Episcopo, qui indicat Capitulo alium terminum duorum mensium ad iustificandam choralis officiaturae methodum alternativam, quo inutiliter elapso, transmittat per Procuratorem Fiscalem documenta ad rem facentia ut S. C. valeat prout de iure providere.*

Post hoc Decretum Canonici sua iura deduxerunt.

Disceptatio synoptica.

Ea quae deducebant canonici.—Canonici itaque invocabant statuta Capitularia ab Episcopo probata die 15 Septembris 1727, in quibus nulla obligatio interessendi choro tempore Adventus reperitur. Imo cum in iis expresse haberetur, chorale servitium praestandum esse *tempore quadragesimae, nec non tota Octava Corporis Christi* legitime sequi aiebant, tempus Adventus exclusum fuisse ex regula - *inclusio unius, exclusio alterius.*

Neque obstare subsumebant dioecesanam synodum, cum idem Episcopus auctor fuisset tum dictae synodi, tum statutorum capitularium quae anno decimoseptimo a celebrata synodo ab eodem adprobata fuerunt. Hinc praesumendum esse legitimis de

Digitized by Google

causis synodo dioecesanae fuisse derogatum. Eo vel magis, quod eodem die et anno et ab eodem Episcopo eaedem constitutiones capitulares adprobatae fuerunt pro Ecclesia cathedrali C. id temporis unita cathedrali N. de qua agimus.

Invocabant praeterea Canonici etiam consuetudinem immemorabilem quam nullus unquam Episcopus in dubium revocaverit, nullusque contra illam aliquid duxerit opponendum: neque posse utiliter in contrarium invocari Trid. *c.* 12 *sess.* 24 *de Ref.* in quo statuitur, non licere Canonicis vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses a propriis ecclesiis quolibet anno abesse; cum S. Congregatio eiusdem Concilii interpres die 21 Februarii 1578 declaraverit: *Fundationum privilegiis, quibus ultra tres menses Canonicis abesse licet non est derogatum a Tridentino.* Hinc mirum non esse inquiebant, in ipsa Urbe praeter Patriarchales Ecclesias adesse Capitula, in quibus exemptio choralis ultra tres menses permittatur. Et cum de alternativo servitio tempore Adventus ageretur, nonnulla cathedralia Capitula nominabant, quae id servarent.

Exhibita insuper tabella choralis servitii, contendebant, dies choralis servitii ascendere ad menses decem et dies sexdecim, ita ut neque trium mensium vacatione singulis annis ipsi fruerentur.

Ea quae deducebat episcopus. E contra Episcopus Administrator sustinebat, statutum capitulare adversari tum consuetudini, tum dioecesanae Synodo, tum Concilio Trid. Ostendebat primum ex actis SS. Visitationum, cum anno 1704 sub articulo *De servitio et disciplina chori* adnotatum fuerit: « Ad chori servitium » tenentur tum Dignitates, tum Canonici, tum Cappellani non » solum numerarii, sed etiam supranumerarii per alternas tamen » hebdomadas, ita ut quotidie, diebus non festivis, conveniat » mediatas Canonicorum et Cappellanorum. Iure tamen alterna- » tivae non gaudent toto tempore Adventus et Quadragesimae, » nec in Dominicis et festis diebus de praecepto, in quibus om- » nes convenire debent.» Iisdem fere verbis in subsequenti Visitatione fuit notatum.

At non modo consuetudini, sed et Synodo dioecesanae Capitularia statuta aperte resistere Episcopus adnotabat: in ea siquidem anno 1710 admissum fuit alternativum chorale servitium,

Digitized by Google

hac tamen adiecta clausula: *excepto tamen tempore Adventus et Quadragesimae, nec non octava Corporis Christi, tunc enim omnes Choro addictos volumus.*

Haec praeterea confirmare e Concilio Trid. studuit idem Antistes *cap.* 12 *sess.* 24 collato cum *cap.* 1 *sess.* 23 *de Refor.* Neque difficultatem facessere subiungebat, adprobationem statutorum capitularium ab Episcopis factam; cum Concilium Romanum anno 1725 de statutis capitularibus adprobandis agens diserte Episcopis praescripserit ne quid contra ius et Concilii Tridentini Decreta adprobarent (1).

Perperam autem inquiebat Canonicos ad consuetudinem confugere, cum ea cederet in praeiudicium divini cultus nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpens.

Contra tabellam seu elenchum a Canonicis exhibitum, adnotabat, eosdem computasse pro uno servitii choralis die singulas supplicationes, singulas Vesperas solemnes et unumquodque anniversarium. Concludebat autem hac supputatione non facta, chorale servitium non attingere novem menses.

Ea quae adiungebantur ex officio. Haec autem iuxta disciplinam S. C. C. sunt adnotata: Concilium Trid. *sess.* 24 *c.* 12 de Ref. abrogasse statuta quae longiorem quam tres menses vacationem indulgerent: non defuisse aliquos qui haud sublatam a Concilio fuisse opinarentur immemorabilem consuetudinem ut Canonici amplius quam tres menses vacare possent, et S. C. opinionem hanc reprobasse anno 1581 his verbis: *Sac. Congr. censuit non licere Praebendatos vigore cuiuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum ecclesiis ultra tres menses abesse.*» *Lib.* 3 *decret. pag.* 189. Licet autem postmodum declaraverit, consuetudinem inserviendi per hebdomadas non fuisse sublatam a Concilio, illam tamen locum habere posse decrevisse dummodo per novem integros menses Capitulares inservirent, ut in *Cassanen.* mense Iunio 1659 his verbis: *Sacra Congr. censuit, modum inserviendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dummodo tamen novem mensibus integris ecclesiae inserviatur iuxta Caput.* 12. *sess.* 24 » *Lib.* 6 *decret. pag.* 13.

Si quando vero ex indulto concessae sint Capitulis et Collegiatis vacationes per aliquot menses excepta fuisse tempora

(1) Confer quae de constitutionibus capitularibus adduxi in *Vol. II. pag.* 253.

Digitized by Google

Adventus et Quadragesimae, ut in *Terraconen.* die 18 Februarii 1764 in qua, cum Capitulum ecclesiae collegiatae de Reus, quae praeter Priorem constabat triginta et sex Praebendatis, petiisset ut indulgeretur absentia a choro per duos menses, proposito dubio: « An et quomodo petitis sit annuendum:» rescriptum prodiit: *Affirmative pro quatuor Capitularibus per turnum, et pro duobus mensibus tantum, et cum solitis clausulis, ita tamen, ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae omnibus diebus festis et solemnioribus* Nativitatis *et Resurrectionis D. N. I. C. Pentecostes, SSmi Corporis Christi et per totam octavam eiusdem ac aliis temporibus ab Ordinario bene visis interesse et iugiter servire teneantur.* Reproposita autem causa sub dubio: « An moderandae sint clausu- » lae appositae in Rescripto, seu potius augendus sit numerus » Capitularium qui abesse possint in casu: » die 23 Martii 1765 fuit resolutum: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam pro sex Capitularibus tantum.*

Interdum ob reddituum tenuitatem caeteraque adiuncta, maiore indulgentia S. C. se gessisse, ut in *Cathacen.* die 25 Novembris 1689: reclamaverant enim Capitulares a Decreto Episcopi improbantis consuetudinem, cuius vigore singuli inserviebant Dominicis et solemnioribus diebus, sed aliis diebus alternatim; et disputato dubio: « An liceat Capitularibus inservire per tertiarias: » S. C. *Negative* respondit, *Lib. decr.* 48 *pag.* 567: verum facta Canonicis facultate nova iura deducendi sub dubio: « An sit standum vel re- » cedendum a Decisis » die 5 Septembris 1699 S. Congregatio perstitit in decisis, sed habita ratione tenuitatis reddituum censuit ex gratia indulgendum Capitularibus, ut toto anni tempore per mediarias, idest per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis Missae, Matutino et omnibus horis interesse possent, ita tamen ut diebus Dominicis et festis de praecepto tempore Adventus et Quadragesimae, ac Octavario Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, ac SSmi Corporis Christi ultra medietatem Capitularium, qui erant de servitio, Missae et Vesperis inservire tenerentur. *Lib.* 49 *decret. pag.* 311.

Item in causa *Castrimaris* cum die 6 Februarii 1734 mandatum fuisset Episcopo, ut illius ecclesiae servitium iuxta praescripta a Conc. Trid. disponeret, nec permitteret vacationes ultra tres menses, Canonici impetrata nova audientia exposuerunt, ab

Digitized by Google

anno 1587, ob aeris insalubritatem et tenues redditus, Vicarium Apostolicum indulsisse, ut per tertiariam deservire possent, idque iteratis vicibus in actu S. Visitationis a pluribus Episcopis confirmatum fuisse: proposito itaque dubio: « an sit standum vel re» cedendum a decisis in casu,» responsum fuit die 30 Iulii 1735: *In decisis, sed ex gratia indulgendum esse, ut inservire possint per mediarias ad formam Rescripti in Cathacen. Servitii Chori 5 Septembris* 1699.

Denique in *Ferentina* die 3 Augusti 1782; cum enim in cathedrali ecclesia consuetudo vigeret alternis hebdomadis choro inserviendi etiam tempore Adventus Completorii et Completorii Quadragesimae; et cum Canonici ad servandam consuetudinem allegassent immemorabilem consuetudinem, loci asperitatem et difficilem hyemali tempore accessum ad Cathedralem ob nives, proposito dubio: « an et quomodo Capitulum Cathedralis ec» clesiae Ferentinae inservire debeat etiam tempore Adventus et » Quadragesimae in casu: » S. C. respondit: *Affirmative iuxta solitum attentis circumstantiis in casu concurrentibus.*

Dubium

« An et quomodo servanda sit alternativa servitii choralis » tempore Adventus in casu. »

Resolutio. – S. Congregatio Concilii die 12 Septembris 1868 respondere censuit: *Negative, et omnes Capitulares teneri ad chori servitium.*

Ex quibus colliges:

I. Tridentinum Concilium suo Decreto non indulxisse indiscriminatim Capitularibus tres menses vacationum, sed coercuisse ad tres menses longiores vacationes.

II. Hoc Decreto derogasse etiam consuetudinibus immemorabilibus, non autem derogasse privilegiis fundationum (1).

(1) Canonici in sua defensione allegarunt Resolutionem quandam S. C. superius adductam hisce verbis: *Fundationum privilegiis, quibus ultra tres menses Canonicis abesse licet non est derogatum a Tridentino.* Hanc Resolutionem tamen non rite intellexerunt. Namque privilegia fundationum consistunt in privilegiis quibus fruuntur fundatores, qui in limine fundationum possunt adiicere leges quas praediligant, et hisce legibus ecclesiastica auctoritas difficillime derogat. Quisnam prohibetur fundare, puta, Canonicatum cum obligatione accedendi unica vice ad chorum singulis annis? Confer, si placet, quae scripsi in *Vol. II. p. 576. et seq.*

Digitized by Google

III. Neque derogasse methodo inserviendi choro alternis hebdomadis, si, hac methodo servata, non amplius quam tribus vacationum mensibus Canonici tandem fruantur.

IV. Vacationum indulto non posse Canonicos uti solemnioribus anni temporibus ne populus in ecclesia praesentia Cleri privetur, quo tempore aut laetetur Ecclesia aut poenitentiae preces effundat.

V. Quare consuetudinem inductam ut tempore Adventus non omnes Canonici choro deserviant, si ea in iudicium deducatur, non facile sustineri (1).

REPOSITIONIS DECRETI.

Die 19 Decembris 1868.

Compendium facti. In oppido dioecesis N. duo sunt ecclesiae paroeciales una sub invocatione S. Petri in qua adest Archipresbyter et quinque Beneficiarii distinctas inter se et separatas Praebendas habentes cum onere singulis imposito celebrandi quotannis 59 Missas sive lectas sive cum cantu.

Altera sub invocatione S. Ioannis Baptistae, in qua adest Abbas et tres Beneficiarii, quorum pariter Praebendis adnexum est onus Missarum 181 sive lectarum sive cum cantu.

Laudabilis consuetudo invaluit a remotissimo tempore, ut in eiusmodi ecclesiis plures sacrae functiones celebrentur more ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum, ita ut quaedam Missae statis diebus solemniter cantentur omnibus Beneficiariis praesentibus, solemnes Vesperae celebrentur, etc.

(1) Dixi *si ea in iudicium deducatur;* namque notum est principium quod Romanus Pontifex Innocentius III, in scientia ss. Canonum facile princeps, tradidit in *cap. Cum iamdudum 18 de Praebendis* his verbis: *Multa per patientiam tolerantur, quae si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia, non debent tolerari.* Hoc principium memoriae mandent illi Lectores nostri, si qui sint, qui in legendis causis quas adducimus fortasse agitentur. Non debent enim privati hisce in rebus scrupulis angi: sed ad summum rem deferant ad auctoritatem episcopalem, quae officium habet pro sua prudentia ss. Canones executioni demandare: quod si auctoritas silere censeat, ipsi quiescant.

Digitized by Google

Haec omnia, uti etiam anniversaria piaque legata, quorum redditus communes sunt, celebrantur, quin tamen Beneficiarii obligatione residendi teneantur, ita ut per quosvis substitutos Presbyteros eadem sacra officia implere possint.

Anno 1756 ab hac iuridica quasi-possessione non residendi turbati fuerunt, et causa agitata manutentionem in ea quasi-possessione obtinuerunt.

Anno 1772 cum nonnulli irrepsissent abusus, Episcopus in actu S. Visitationis congruam mulctam decrevit solvendam a quovis Beneficiario, qui nulla legitima causa praepeditus muneri suo obeundo deesset.

Anno 1830 Episcopus similes abusus reperit; quare, S. Congregationem sciscitatus est, utrum Episcopus cogere posset Beneficiarios absentes, qui nullum subrogaverint, ad faciendum satis propriis muneribus. Cui S. C. respondit: *Posse Episcopum non modo decernere ut Beneficiati absentes, qui nullum subrogaverint, qui suam vicem impleat in choro, emolumentis priventur, quae inter praesentes distribuantur, sed etiam mulctam, ut prudentia dictaverit, irrogare.*

Hoc S. Congregationis responsum patefecit Episcopus omnibus quorum poterat interesse, ut quisque prompte diligenterque officia persolvere studeret.

Cum autem anno 1850 Episcopus nosceret dictos Beneficiarios nonnisi negligenter satisfacere officiis superius indicatis, ideo in actu s. Visitationis decrevit; « ut quae desuper recen-
» suimus officia prompte ac diligenter obire studeant diebus et
» hora praestitutis, et si qui in posterum ex ipsis negligentes
» reperiantur pecuniariae poenae subiectos volumus ac declara-
» mus, ita ut qui vel Missis concinendis tam pro vivis, quam
» pro defunctis interesse renuerit vel neglexerit, aut post ulti-
» mum *Kyrie Eleison* intervenerit, iulii medietatem *(seu quin-
» que obolos)*; qui vero Vesperas persolvere in choro diebus fe-
» stis, vel officium defunctorum inibi recitare omiserit, aut
» primo psalmo iam absoluto advenerit, iulii pariter medietatem
» toties quoties solvere teneantur. Si vero diebus festis sole-
» mnioribus de praecepto primae Classis, vel in tribus Benedi-
» ctionibus Candelarum, Cinerum, et Palmarum, aut in postre-
» mis tribus diebus maioris hebdomadae, vel in commemora-

Digitized by Google

» tione omnium fidelium defuctorum, aut in Litaniis maioribus » praefata omissio contigerit, integrum iulium *(seu decem obolos)*, » quisque negligens sit, qualibet vice solvere debeat. »

Hoc Decretum non arrisit Beneficiario N. qui ab anno 1856 Romae moram traxit. Hic enim asserens se Presbyterum invenire non posse qui eius vices gereret, ac tribus absentiae annis solvere debuisse annua scutata romana quindecim, et eiusmodi mulctas impares esse tenuitati Beneficii, SSmo Patri supplicavit ut Episcopi Decretum irritum redderet.

Rogatus Episcopus retulit, Beneficiario N., deductis expensis pro oneribus Beneficio inhaerentibus, superesse scutata annua 78. Monuit autem, quamvis Beneficiarii Collegium constituerent, singulos tamen non videri obligatos ad personaliter residendum: certum tamen esse etiam ex consuetudine eos sibi alios subrogare debere tempore absentiae; eo vel magis, quod inter onera haberentur quaedam officia quibus vel per se vel per alium satisfacere tenerentur.

De more ex officio nonnulla animadversa sunt, quae utrinque militare viderentur.

Dubium

« An et quomodo sustineatur Decretum Episcopale diei 16 » Septembris 1850 in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 19 Decembris 1868 respondere censuit: *Affirmative et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Morem longaevum inductum praeter praescriptam legem, vim legis obtinere, si actus iterati vel ex natura sua obligationem supponant, aut obligatorii ex communi opinione censeantur (1).

II. Officia choralia sive ex praescripta lege, sive ex consuetudine praeter legem obeunda intuitu Praebendarum quas Beneficiarii possideant, sub generalibus legibus pro sua ratione comprehendi, quibus Canonicorum officia comprehenduntur (2).

III. In officiis enim obeundis in quibus eadem vigeat ratio legis, in illis eamdem vigere debere legis dispositionem.

(1) Videsis quae adnotata sunt de Consuetudine in *Vol. II. pag. 161.*

(2) Confer causam huic affinem in *Vol. I. pag. 285. et seqq.*

Digitized by Google

RESCRIPTI.

Die 12 Septembris 1868.

Compendium facti. Canonicus Metropolitanae ecclesiae N. anno 1864 ex italici gubernii sententia carceris damnatus est *ob cooperationem suam in fuga cuiusdam iuvenis declinantis delectum militum, ob obsequium suum aulae Romanae et aversionem praesenti gubernandi ordini*. E patria proinde exsulans Summum Pontificem exoravit, ut, impedimento perdurante, ab obligatione inserviendi choro ita eximeret, ut redditus simul suos faceret et distributiones.

Praevia Archiepiscopi informatione SSmus Pater die 8 Ianuarii 1866 precibus annuit ad sex menses, ea tamen lege, ut distributiones illae quae audiunt *inter praesentes* amitteret. Elapsis sex mensibus iterum S. Sedi orator preces admovit, et die 27 Iulii 1867 alterum obtinuit Rescriptum quo ad alios duos menses gratia prorogata est hac adiecta clausula, ut amissa tertia reddituum parte, obstacula, quae ad propriam sedem illum remeare non sinebant, removere conaretur. Huiusmodi Rescripto orator non acquievit; iterum proinde petiit ut sibi applicaretur Resolutio S. C. data die 8 Iulii 1865 in Causa *Nucerina Paganorum,* in qua ipse resolutum fuisse inquiebat, quosdam Canonicos, qui simili de causa abesse cogebantur, posse percipere omnes fructus et distributiones etiam adventitias (1).

Hae preces S. Congregationi exhibitae, de more ad Antistitem remissae sunt qui inter caetera haec respondit: « quoad nuperrimas preces Canonici oratoris Romae degentis, omnes omnino canonicales redditus ac caeteras adventitias obventiones postulantis, non modo quoad futurum, sed etiam quoad praeteritum tempus... Capitulum canonice collectum interpellavi, et responsum per secreta suffragia emissum in scriptis accepi, vi cuius capitulares sese referunt ad capitularem resolutionem diei 16 Maii 1867, in qua oratori faverunt, dummodo tertiam distributionum seu reddituum partem dimitteret sive pro transacto sive pro futuro.

(1) Confer hanc causam quam adduxi in *Vol. II. pag. 407*.

Digitized by Google

» In casu vero oratoris observatum iam est, fuisse ipsum quodammodo causam suae absentiae, propterea quod in rebus a sacro ministerio alienis minime coactus sese immiscuit. » Et paulo post: « Denique in hac nostra Metropolitana plures ob legitimas causas, puta valetudinis curandae, Vicarii Generalis muneris gerendi, Auditoris pro Apostolica Nuntiatura in extero regno muneris peragendi causa, a propria residentia novissimis hisce annis elapsis abfuerunt, et obventiones licet fixas ob consuetudinem non perceperunt. »

Hactenus Capitulum.

Disceptatio synoptica.

Cum tota quaestio nunc versaretur utrum indicatum Rescriptum exsecutioni mandandum esset, ex officio de more nonnulla adducebantur quae pro affirmativa sententia militare viderentur; et nonnulla quae pro sententia negativa.

Commemorata itaque Constitutione Bonifacii VIII. quae legitur in *cap. unic. de Cler. non Resid. in* 6° quamque servandam inculcat Trid. *sess.* 24 *c.* 12 *de Ref.* observabatur in ea Constitutione eos tantum fuisse exceptos, quos *iusta et rationabilis corporalis necessitas vel evidens ecclesiae utilitas* a residentia excusaret. Sic enim in ea legitur: « *Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas vel evidens ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat... De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum.* »

Porro non videbatur orator in praesenti themate has similesque exceptionis causas posse certo invocare ad percipiendas distributiones. Considerato autem variarum distributionum genere, quarum aliae desumuntur ex communi massa, cuiusmodi solent esse distributiones quotidianae vel etiam quae *inter praesentes* nuncupantur; aliae vero ex extrinsecis causis, cuiusmodi sunt distributiones quae dicuntur *incertae;* quarum quidem aliae sunt *fixae* aliae *adventitiae et manuales,* quoad incertas distributiones, cum hae proveniant ex piis legatis aut largitionibus, eaeque non alia mente censeantur relictae, quam ut ab iis per-

Digitized by Google

cipiantur, qui reipsa sacrarum functionum celebrationi intersint, non videbantur posse in themate a profugo Canonico percipi.

Eo vel magis, quod ipse ex dictis fuerat quodammodo suae absentiae causa, et consuetudo in eo Capitulo vigeret non percipiendi has distributiones neque ab illis, qui legitima de causa abessent.

Observabatur autem, oratorem frustra opponere allegatam Resolutionem in *Nucerina Paganorum,* cum concessae non fuerint oratoribus de quibus in ea agitur, obventiones *adventitiae,* cumque alia adiuncta in ea causa concurrerent.

Ea quae pro Canonico N. militabant. — Verum e contrario animadversum est, explorati iuris esse, tamquam praesentem eum esse habendum, qui absit ex timore iniustae coniectionis in vincula, Fagnanus *c. Licet de Praeb. n.* 15; S. Congr. C. in *Lancianen.* 16 Febr. et 8 Maii 1627 item ex *Reatina* 9 *Sept.* 1815 et ex *Ferentina* eadem die et anno; in quibus cum quaereretur, num deportati vel sponte profugi sub gallico regimine, sese vetito iuramento subtrahendi causa, fructus suarum Praebendarum distributionesque absentiae tempore lucrati fuissent, affirmativum edidit responsum.

In praesenti autem themate eadem videbatur vigere causa, cum ex authentico sententiae civilis exemplari desumeretur, ideo ad annum carceris fuisse Canonicum damnatum *quia adversus actuali gubernandi ordini et quia obsequens aulae Romanae.*

Neque omisisse, observabatur, oratorem opportuna adhibere remedia ad obstacula removenda, quae ipsum a residentia prohiberent, ceu ipsum Capitulum die 18 Maii 1867 testatum fuerat. Si igitur per oratorem non stetit, quominus obstacula removerentur, absentiam a choro eidem haud esse imputandam.

Neque facile posse opponi, oratorem poenam carceris sibi conscivisse sese immiscendo in rebus a sacro ministerio alienis: huic enim obiectioni respondebat idem supplex orator, se tali damnationi occasionem non dedisse neque id ex tenore sententiae inflictae apparere: certum insuper esse, cum de Ecclesiae ministris agitur, quodvis vel leve indicium satis esse iudicibus gubernii italici ad infligendam illis damnationem.

Hisce autem in adiunctis non apparere rationem, quare eidem deneganda esset tum tertia reddituum pars, in qua consi-

Digitized by Google

stunt distributiones quotidianae, tum distributiones non quotidianae fixae.

Hisce confirmatis variis Resolutionibus S. Congregationis propositum est resolvendum

Dubium

« An et quomodo sit exequendum Rescriptum S. Congregationis diei 27 Iulii 1867. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 12 Septembris 1868 respondere censuit: *Affirmative iuxta modum; nempe prorogato indulto diei* 8 *Ianuarii* 1866 *usque ad annum computandum a die praesentis Resolutionis cum clausulis in eodem indulto contentis.*

Ex iis colliges:

I. Eos capitulares, qui timore carceris aliarumque poenarum (quae a civili magistratu violenter iniusteque comminentur) a residentia abscedunt, tamquam choro praesentes esse considerandos, quousque violenta absentiae causa perduret.

II. Eiusmodi fictam praesentiam non semper eosdem parere effectus: sed eos dumtaxat, quos maior vel minor causae validitas suadeat, et locorum consuetudo facile ferat.

III. In praesenti autem themate occasionem quamdam suae absentiae Canonicum dedisse ex minus consulta agendi ratione: et consuetudinem eo in Capitulo viguisse non dandi distributiones fixas, iis, qui iusta quavis de causa abessent.

Digitized by Google

REVOCATIONIS INDULTI.

Die 29 Augusti 1868.

Compendium facti. Sacerdos N. testamentaria lege voluit, ut *sua bona inservirent alicui Clerico pro patrimonio, quando ascendere velit ad sacros Ordines, qui Clericus descendat ex linea masculina Rosati N. patris testatoris, tam ex linea masculina, quam foeminina; item etiam Clerico qui descendat ex linea laterali masculina Uriani M., qui pater fuit matris testatoris, ita tamen ut semper praeferretur Clericus descendens ex linea masculina dicti Rosati N. et si accidat, plures esse ordinandos, praeferatur proximior in gradu parentelae dicto testatori, et si plures in eodem gradu existant praeferatur maior natu.* Obligationem praeterea electo Clerico imposuit celebrandi vel celebrare faciendi tres Missas singulis hebdomadis etc.

Horum bonorum possessionem cepit anno 1844 Gabriel unicus superstes ex linea masculina praedilecta; qui insuper Clericali militiae adscriptus in ea iam aetate versabatur, ut ad sacros Ordines promoveri posset. Sed aliquot post annos, idem Gabriel, cum se imparem novisset ad sacerdotalia munera obeunda, supplici oblato libello, postulavit a SSmo Patre, ut ipsum habilem redderet ad Cappellaniam possidendam etiam in statu coniugali, cum ipse reperiretur aetate 38 annorum et succurrere deberet matri viduae, cuius unicus erat filius.

Super his precibus exquisitum ut moris est Ordinarii votum; et testamentariis tabulis inspectis, rogatis patronis, eorumque habito consensu, ac rerum veritate explorata, quas orator ad gratiam sibi conciliandam in libello expresserat, oratoris favore Ordinarius mentem suam expresserat his verbis: «Ego existimo,
» Cappellaniae huius saecularizationem posse concedi attenta ino-
» pia Oratoris, vinculo maximae proximitatis, legitima posses-
» sione, et quod non minus est attendendum, provecta eiusdem
» aetate 38 annorum, qua ineptus redditur studiis necessariis,
» ut ad SS. Ordines promoveatur.»

Omnibus itaque consideratis, Rescriptum prodiit die 1 Februarii 1858, quo SSmus, *benigne commisit eidem Episcopo, ut veris existentibus narratis, memoratum oratorem super gestione*

Digitized by Google

habitus clericalis gratis dispensare, eumdemque ad retinendam enunciatam Cappellaniam in statu etiam coniugali, impletis per alium oneribus ad formam fundationis, et de quorum implemento coram Ordinario pro tempore orator ipse docere teneatur, pro suo arbitrio et conscientia gratis pariter habilitare possit et valeat. Quod Rescriptum per exsecutoriale Episcopi Decretum fuit exsecutioni statim mandatum.

Cum Gabriel in pacifica possessione versaretur, extemplo anno 1863 Clericus M. ex linea foeminina Rosati progenitus petiit apud Curiam immissionem in dictam Cappellaniam, ex ea ratione, quod non esset alius Clericus descendens ex vocatis a testatore lineis, qui eidem praeferri posset.

Cum Episcopus precibus haud obsecundare censeret, easdem orator convertit ad SSñum Patrem, ut declarare dignaretur cessasse concessum indultum cum Clericus a testatore vocatus supervenisset.

Monitis de more partibus quaestio S. Congregationi proposita est.

Disceptatio synoptica.

Defensio Gabrielis. — Gabriel per suum Defensorem haec deduxit. Perpendit, gratiam Cappellaniam familiarem retinendi eaque in statu laicali fruendi, nulli vel *conditioni*, vel temporis *limitationi* obnoxiam reperiri; at *pure* e contra *simpliciterque petitam, pure* item et *quoad viveret* oratori concessam fuisse: novum autem non esse, Principis Rescriptum legis auctoritatem habere *l. 1 ff. de Const.* et absonum esse gratiam Principis *inconditionate* et *quoad viveret* Oratori concessam inter angustiores limites modo coarctare, eamque ex perpetua temporaneam reddere.

Eo vel magis, quod convenit Principis beneficia esse mansura et plenissime in iis sit interpretatio facienda, *cap. 22 de Privil.,* nec non S. Rota in *Ferentina Benef. die 11 Decemb. 1815 coram Serlupi,* quae in casu a nostro haud absimili haec perpendit: « Firmum quippe et stabile ius faciunt possessori Bene-
» ficiorum quoad fructuum, donec vivat, perceptionem tam le-
» gitima collatio, quam Apostolica dispensatio, nec certe ita
» summum Pontificem veniam retinendi Beneficia in saeculari
» habitu et coniugali statu tribuisse censendum est, ut ab arbi-

Digitized by Google

» trio cuiuslibet impetrantis postea penderet concessionem et » gratiam alteri factam in irritum deducere. Beneficia enim » Principis oportet sint mansura. »

Quae cum ita sint, locum non esse revocationi indulti idem Defensor contendit, nisi evidentissime editum Rescriptum *subreptionis* vel *obreptionis* vitio inquinatum demonstraretur: e contra vero quamlibet suspicionem obreptionis vel subreptionis in praesenti themate longe abesse.

Hisce aliisque deductis, cum Defensor Clerici M. oratoris nihil in contrarium deduxerit propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu. »

Resolutio. — S. C. Concilii die 29 Augusti 1868 respondere censuit: *Negative.*

Ex quibus colliges:

I. Principis gratiosum Rescriptum, quod sine obreptione aut subreptione fuerit obtentum, vim peculiaris legis habere.

II. Neque esse locum cessationi Rescripti aut eiusdem revocationi, si casus deinde eveniat, a quo fortasse gratia non fuisset incoepta: oportet enim Principis beneficia sine limitatione concessa esse mansura.

III. Colliges demum bona laicalis Cappellaniae quae ex voluntate testatoris possideri saltem debeant a Clerico, non posse possideri in statu coniugali sine speciali Apostolica habilitatione.

Digitized by Google

CAPPELLANIAE.

Die 29 Augusti 1868.

Summaria precum. Ioannes Canonicus honorarius ecclesiae cathedralis N. Cappellaniam obtinuit, quae choralis servitii officium secumfert in eadem ecclesia. Hic antequam canonica institutione donaretur, subscripsit cuidam Capituli Resolutioni his verbis: *sine praeiudicio iurium quae ad me spectare possunt*. Resolutio enim capitularis admittebat Angelum *in simplici et exclusiva qualitate et conditione Cappellani iuxta sensum legis fundationis cum assignatione sedis in choro aliisque honoribus et oneribus et habitu quae eidem competerent tamquam Cappellano.*

Canonica institutione obtenta, Ioannes consideravit, sibi probro esse depositionem habitus canonicalis; cum autem eidem ecclesiae pauci Canonici inservirent, Episcopi consilio, preces SSm̃o porrexit, ut concedere eidem dignaretur posse facere satis oneribus Cappellaniae in sede canonicali, et canonicali habitu.

Cum autem preces de more remissae essent ad Episcopum, ut audirentur illi, quorum interesset; tum Cappellani caeteri tum Capitulum, partim Ioannis precibus suffragati sunt, partim refragati.

Quamvis enim Ioannes acceptissimus Capitulo et consideratione dignus esset habendus; tamen Cappellani propter parvum numerum non sinebant, ut Ioannes, uti ceteri Cappellani, oneribus Cappellaniae non satisfaceret; quod si uti Canonicus eadem impleret, eum fallentiis volebant obnoxium.

Ioannes autem difficultates oppositas diluere curavit: cum enim officium Cappellanorum esset Missam conventualem canendi per turnum, inquiebat, illud officium se adimplere posse per Cappellanum a se substituendum: cum insuper praecipuum Cappellanorum onus in chorali cantu repositum esset, quod et Canonicis erat commune, hoc officium se implere pari ratione, si in canonicali sede consisteret; quod si alio canonicali munere eo tempore fungi deberet, cum ex hoc ipso alter Canonicus exoneraretur, semper adfuturus esset in cantu, qui ipsum repraesentaret.

Digitized by Google

Cum autem idem Ioannes post possessionem satisfecerit oneribus Cappellaniae considens in canonicali sede et habitu canonicali, postulavit insuper ut a fallentiis solvendis liberaretur a die possessionis Cappellaniae usque ad diem, quo sperabat se gratiam esse obtenturum.

Quin imo cum in servitio sic praestando perseveraret et compatibilia viderentur onera Cappellaniae cum dignitate canonicali, tum Cappellani tum Canonici, praesertim autem Episcopus, precibus oratoris plene suffragati sunt.

Animadversiones ex officio. Perpensum est, Canonicatus honorarios haud incompatibiles esse cum quovis Beneficio residentiali, cum huiusmodi Canonici identidem dicantur habere *nomen sine re et nomenclaturam vacuam et inanem, ius adeo tenue et exile ut de vento reputetur et Canonicatum in aere,* ut scriptum legitur in causis *Fulginaten.* 14 Martii 1648, *Terracinen.* 19 Ianuarii 1788, *Montis Politiani* 4 Februarii 1804: item Scarfantonius *lib.* 1 *t.* 14 *p.* 1: quare licitum esse Canonicis honorariis nomen Canonici retinere una cum altero quovis Beneficio: at non aeque permissum esse canonicalibus muneribus vacare in detrimentum onerum, quae ratione alicuius Beneficii ipse implere teneantur: quod pluribus auctoritatibus confirmabatur, cum omnes, qui Beneficia quaevis possideant, teneantur per se et non per alios connexa officia praestare.

Rescriptum. S. Congregatio Concilii precibus perpensis in comitiis habitis die 29 Augusti 1868 rescribere censuit: *Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia etiam quoad fallentias non distributas, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Canonicos honorarios, qui aliquod Beneficium chorale obtineant in eadem ecclesia, non posse satisfacere officiis Beneficii in qualitate canonicali, quamvis omnia fere officia Canonicis Beneficiariisque sint communia.

II. Quare si obeant per accidens Beneficii officia non tamquam Beneficiarii, sed tamquam Canonici, eosdem esse fallentiis obnoxios (1), nisi speciali Apostolico indulto ad id fruantur.

(1) Confer Decretum S. C. R. in *Lycien.* quod retuli *pag.* 30. de Vicario Capitulari, qui vicariali habitu processionibus Capituli interveniat.

Digitized by Google

Die 1 Februarii 1868.

Summaria precum. Eugenius Canonicatum obtinuit in Collegiata ecclesia N. die 11 Octobris 1817. Hic Canonicatus erat iurispatronatus, qui ex primaeva institutione non alia habebat choralia officia nisi inserviendi diebus festis et integro Quadragesimae et Adventus tempore, necnon interveniendi singulis Capituli functionibus sacris: imo ab his officiis et a lege residentiae ex dicta institutione eximebatur, si Canonicus ratione studiorum abesset.

Idem Eugenius, dimisso hoc Canonicatu, alterum in eadem Collegiata obtinuit die 11 Februarii 1849, vi cuius tenebatur choro inservire omnibus diebus festis etiam suppressis, nec non tempore Quadragesimae, Adventus et Octavae SSmi Corporis Domini.

Anno 1860 preces porrexit pro iubilationis indulto: et constitit quidem quadragenarium temporis spatium a primi Canonicatus possessione praeterlapsum fuisse; sed cum simul constitisset, eumdem Canonicum usque ad annum 1822 a loco suae residentiae studiorum causa abfuisse, et ab anno 1823 usque ad annum 1837 in alio oppido P. degisse, licet saepissime choro interfuerit, Rescriptum prodiit die 1 Februarii 1861: *Recurrat postquam longiori servitio compensaverit tempus absentiae causa studiorum, nec non fallentias omnes, quibus mulctari debuisset, durante eius commoratione in oppido P.*

Eugenius, suo munere functum fuisse putans iuxta illud Rescriptum, labente anno 1866, preces iterum obtulit pro eadem gratia.

Rogatus de more Ordinarius retulit. « Pro continuo servitio chori deessent anni decem et octo; at si vera esset adsistentia choralis tempore quo in oppido P. fuit, quatuor tantum essent absentiae anni pro studiis peragendis. Sed iam decem excesserunt ex quibus quadraginta anni elapsi sunt a capta possessione canonicali. Aiunt Canonici continue ac laudabiliter Eugenium choro deserviisse ab anno 1838 usque in praesens, ideoque asserunt fallentias ipsum compensasse. Ego autem nihil asserere possum, cum neque punctorum libri, neque aliorum testationes

Digitized by Google

adsint, ut determinetur, an et quale servitium exhibuerit Eugenius tempore quo alibi commoratus fuit. Tantummodo Dominicus N. iam illius collegiatae Canonicus. . . . aetate longaevus, testatur, Eugenium semper choro interfuisse. . . . cum in oppido P. degeret.»

Sed insuper Capitulum ipsum suis scriptis testabatur diligentiam Eugenii in choro inserviendo.

RESCRIPTUM. — S. Congregatio Concilii his perpensis die 1 Februarii 1868 respondere censuit: *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis, et ad mentem.* Mens S. Congregationis fuit, ut Episcopus praescriberet congruum terminum Capitulo ad suas constitutiones faciendas ad formam iuris, et ad eligendos Punctatores.

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Cum iubilationis indultum non sit aliud nisi proemium ob quadragenarium chorale servitium, illud non concedi nisi constet servitium fuisse assidue diligenterque praestitum.

II. Quin imo absentiae causas undequaque legitimas ex sese non suffragari huius gratiae impetrationi, cum tempus in chorali servitium insumptum non fuerit.

III. Quare, elapso quadragenario tempore a die captae possessionis, locum dari compensationi fallentiarum, quae antea commissae sint, ut Capitularis iubilare possit.

IV. Capitula quaevis teneri ad Constitutiones sibi scribendas ad formam iuris, quae ab Episcopo sunt deinde adprobandae.

V. Eos, qui choro sunt addicti, cum fallentiis tempore indebitae absentiae subiiciantur, eligere debere Punctatores, seu eos, qui in apposito libro singulas absentias notent.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE S. R. U. INQUISITIONIS

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI EXIGENDA AB HAERETICIS QUI IN SINUM CATHOLICAE ECCLESIAE REDEUNTES SUB CONDITIONE REBAPTIZANTUR.

Supplices preces

Beatissime Pater

« Inter decreta primae Synodi Provincialis Westmonasteriensis sub C. XVI. n. 8., ubi sermo est de abiuratione Protestantium adultorum, et de baptismate sub conditione eis conferendo, additur «Confessio etiam sacramentalis semper in tali casu est exigenda.» In adnotationibus, quas adiecit Pater Ballerini Editioni Romanae Theologiae Moralis P. Gury, dicitur hanc confessionem esse conformiorem Instructioni a Suprema S. Officii Congregatione super modo reconciliandi haereticos editae, ex qua Instructione deducitur, opportunam esse integram peccatorum confessionem. In textu P. Gury tenetur eam esse suadendam in praxi.

» Quum vero hic Auctor tam in Theologia, quam in casibus Conscientiae citaverit opinionem aliorum Auctorum docentium propter existentiam dubii de primo baptismate a neo-conversis tempore infantiae suscepto (adeo ut si nullum id fuerit, vera baptismi susceptio sit ea, quae occasione abiurationis sub conditione traditur) dubiam esse obligationem peccata integre confitendi ante hoc baptisma conditionatum, nonnulli Confessarii in Anglia censuerunt, eos auctores secuti, dubiam confessionis integrae obligationem esse nullam obligationem: ac propter repugnantiam conversorum ad eam faciendam, et propter periculum confessionis imperfectae, vel etiam sacrilegae, omnino expedire, ut conversi aliqua tantum peccata Confessario exponant, ut ab eo absolutionis sacramentalis, si forsan ea opus sit, beneficium impetrent.

» Ex alia parte habetur praxis constans maximae partis Confessariorum Regni integram confessionem tam ante, quam post approbationem Concilii Provincialis non modo suadentium, sed etiam exigentium; habetur difficultas conversorum, intellectum

ad obsequium fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem, quas in Sacramento Poenitentiae Christus Dominus reponere dignatus est; habetur etiam impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neo-conversus rite sit ad ipsum baptisma dispositus, velitque, ex. gr., restitutionem famae vel bonorum (si ad eam teneri contigerit) facere, occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire, etiamsi per S. Sedis dispensationem (uti in casibus quotidie frequentioribus matrimonii post divortium civile contracti) illud sanari nequeat; habetur insuper necessitas suae saluti per iustificationem in Sacramento Poenitentiae prospiciendi, a cuius integritate nemo in infantia semel baptizatus possit eximi; attenta praesertim diligentia iuniorum e Clero Anglicano circa ritum baptizandi fideliter servandum, et attento proinde maiori numero eorum, de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitare.

» Quum vero certum sit, quod post plures annos confessionis integrae obligatio vim suam omnino sit amissura, si in praxi sequi valeant Theologi uti tutam opinionem Auctorum praefatorum, Archiepiscopus Westmonasteriensis, et Episcopi Angliae enixe rogant, ut Sanctitas Vestra, pro sua in Missiones Angliae benignitate, dignetur declarare hac super quaestione gravissima mentem Ecclesiae:

» An debeat, iuxta Synodi Provincialis Decretum a S. Sede probatum, confessio Sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an ea debeat esse integra? »

DECRETUM.

Feria V. loco IV. die 17 *Decembris* 1868.

«In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus proposito suprascripto dubio praehabitisque DD. Consultorum suffragiis, iidem Emi ac Rmi Patres ad utramque dubii partem censuerunt respondendum esse: *Affirmative; et dandum esse Decretum latum sub feria quinta die decimaseptima Iunii anni millesimi septingentesimi decimi quinti.*

Digitized by Google

Eadem die ac Feria.

« SSm̃us D. N. D. Pius divina providentia Papa IX. in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii concessa Resolutionem Em̃orum Patrum adprobare ac confirmare dignatus est; eamque una cum memorato Decreto mandavit remitti R. P. D. Archiepiscopo Westmonasteriensi.

ANGELUS ARGENTI S. R. et U. I. Notarius.

ALIUD ALLEGATUM DECRETUM

FERIA V. die 17 Iunii 1715.

Dubium

« An plena fides sit adhibenda Carolo Wipperman de Rostoch in ducatu Muxlemburgh praedicanti et Lectori theologiae lutheranae quietisticae superintendenti et doctori primario sectae Lutheranorum Quietistarum, S. Fidei catholicae reconciliato in S. O. Parmae, et circa nonnullos errores detectos in eius Baptismo; an ipsi credendum sit circa ea quae enarrat, et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti, tum etiam ut coeterorum illius sectae seu Regionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur.

» Quaeritur, an dictus Wipperman sit rebaptizandus, et quatenus affirmative, an absolute vel sub conditione; et quatenus affirmative; an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae; et quatenus affirmative; an confessio praeponenda sit, vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione.

» SSm̃us auditis votis Em̃orum dixit: Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et collato Baptismo, eius praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur. »

Praesens Copia concordat cum suo originali
Ita est ANGELUS ARGENTI
S. R. et U. I. Notarius.

Digitized by Google

Heic praeter caetera animadverti potest:

I. Cum de actu certe gesto agitur, standum esse pro validitate actus, nisi de eiusdem nullitate constet; maxime vero si de actu solemni agatur, qui praeterea ex divina lege praescriptus iterari rescindique non possit.

II. Quare omnes obligationes, quae cum eodem actu, quem non constet esse nullum, aliquo nexu consociantur, in suo vigore manere (1).

(1) Haec illustrari possunt exemplo desumpto ex Sacramento matrimonii. Non raro contingit in agendis matrimonialibus causis ut dubitetur de matrimonii validitate ita, ut iudicari non possit matrimonium esse nullum, neque iudicari possit matrimonium esse validum: haec iudicii suspensio locum identidem habet non solum ob defectum plenae probationis nullitatis in foro tantum externo, sed etiam in foro interno. Hisce in adiunctis SS. Congregationes respondere solent: *non constare de nullitate matrimonii*. Hac responsione coguntur coniuges in matrimonio contracto persistere, et a nulla obligatione matrimoniali soluti certissime censentur.

Si porro liceret ita ratiocinari: posita probabili invaliditate matrimonii, probabilis est ab obligationibus matrimonialibus libertas; eiusmodi enim obligationes sequi non possunt nisi matrimonium rite initum: quisque videt quaenam consequerentur absurda.

Negari quidem non potest, discrimen intercedere inter obligatnem confitendi peccata post Baptismum commissa, et obligationes quae ex matrimonio consequuntur: cum hae immediate et directe ex matrimoniali contractu derivent; illa autem ex alia lege Baptismati extrinseca, idest, quia ex Divina institutione post Baptismum non aliud Sacramentum peccatori superest quo Deo reconcilietur praeter poenitentiae Sacramentum cuius materia sunt peccata: et ideo obligationes matrimoniales cum matrimonio connectuntur tamquam effectus cum causa; obligatio confitendi peccata connectitur cum Baptismo tamquam conditionatum cum conditione. At vero eiusmodi nexus discrimen quo obligationes consociantur, tale non esse videtur quod comparationem labefactet. Namque si obligatio confitendi peccata in hac quaestione pendeat unice a validate Baptismi; cum pro validitate Baptismi sine dubio standum sit quousque de eius nullitate non constet, ita pariter sine dubio standum est pro obligatione confitendi peccata post eumdem Baptismum commissa.

Sed fortasse dices: facta hypothesi, qua Baptismus primus, de cuius validitate dubitatur, sit nullus, et secundus sit validus, imponeretur obligatio quae converso ad fidem posset esse gravissima; dum e contrario peccata eadem neque essent materia capax Sacramenti.

Haec quidem quamvis contingere possint, non sunt satis ad removendam obligationem, quousque standum sit pro validitate Baptismatis. Idem fere dici posset de matrimonio: facta hypothesi, qua matrimonium, de cuius validitate dubitatur, sit nullum, imponeretur obligatio quae coniugibus esset gravissima; dum e contrario neque possent nec vivere deberent tamquam coniuges.

Fortasse dices: si haec peccata non remittantur per secundum Baptismum invalidum ob prioris validitatem, remitti poterunt sive per contrictionem perfectam sive indirecte per absolutionem cum attritione. Sed haec supponunt,

*

Digitized by Google

III. Quare cum post Baptisma non aliud in Ecclesia supersit Sacramentum, quo Deo Peccatores reconciliari possint, ab hac obligatione solutos dimitti, nec debere nec posse, eos omnes, qui, baptismate in haeresi suscepto, de cuius nullitate non constet, in Ecclesiae catholicae sinum redeunt.

IV. Neque interesse, an, abiurata haeresi, sub conditione rebaptizentur: quod enim in re tam gravi ad cautelam commodumque conversi geritur, in argumentum trahi non posse ad infirmandas obligationes, quae cum actu certe gesto connexae intelliguntur.

V. Colliges demum, cum de Sacramentis agitur, tutiorem viam esse ineundam.

standum esse pro validitate secundi Baptismatis, quod tamen conferri solet unice ad cautelam cum de re tam gravi agatur, in qua tutiorem semper viam sequi tenemur.

Haec quidem in hac quaestione, praeter caetera in adductis precibus animadversa, dicenda videntur, quae insuper illustrari etiam possent per similia qua traduntur de sacra Ordinatione, Religiosa Professione etc.

Verum quidem est, illud generale principium, quo standum esse dicitur pro valore actus quousque de eius nullitate non constet, suas admittere exceptiones; praesertim quando agatur de actu non solemni, qui non alium ex sese producat effectum, nisi gravem obligationem, ut ex. gr. contingit in contractu sponsalium. Namque cum proniores esse debeamus ad auferendas obligationes, contrarium in sponsalibus vigere censetur principium: idest, standum esse pro nullitate sponsalium, quousque de eorumdem validitate non constet. Neque interest, an dubitatio de eorumdem validitate oriatur ex aliqua circumstantia facti, vel ex aliqua ratiuncula iuris. Quare S. Rota, ex quibusdam iuris ratiunculis, constanter tenuit, sponsalia contracta sub conditione, si Papa dispensaverit, nulla in ipso suo initio esse: et S. Congregationem Concilii eamdem sententiam esse secutam non obscure deducitur ex pluribus Resolutionibus, quas attuli in *Vol. I. pag. 75, 81, 121.*, quae quidem nonnisi immerito in alium inanemque sensum detorquerentur.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

SOCIETATIS IESU

DE INDULGENTIIS CONCESSIS FIDELIBUS VISITANTIBUS ECCLESIAS REGULARIUM.

Die 20 Iulii 1868.

Decretum.—«S. Congregationi expositum fuit quod *inter Ecclesias in quibus Patres Societatis Iesu exercent sacrum ministerium, praesertim post politicas superioris huiusque saeculi perturbationes, aliquae olim ad Societatem ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt, aliae tamen ad Societatem Iesu nunquam proprie pertinuerunt, sed earum cura eidem Societati concredita est, ut ibidem obeat sui ordinis ministeria.* Quaerebatur porro: *utrum in utriusque generis ecclesiis fideles lucrari possint indulgentias quae a Sancta Sede Apostolica concessae sunt visitantibus ecclesias Soc. Iesu occasione quorundam festorum ex. gr. S. Ignatii, S. Aloisii etc.*

» Relate ad primam partem quaesiti nulla occurrebat difficultas; si enim illegitime Ecclesiae sublatae fuerint, in casu restitutionis non solum de iure, sed etiam facto ad societatem ipsam spectant. Si vero aliqua ecclesia a Societate canonice subtracta sit, et deinde canonice pariter restituta, ad pristinum statum rediisse minime ambigendum est.

»Sed cum relate ad secundam quaesiti partem rescriptum fuisset, ut clarius exponeretur, factum est hisce verbis: *È nato dubbio se queste indulgenze possano guadagnarsi dai fedeli non solo in quelle chiese che sono in vero senso proprie della Compagnia, ma eziandio in quelle altre, che sono date solamente in uso alla Compagnia. A questa specie appartengono p. es. quelle la cui proprietà è realmente de' Vescovi respettivi, ma che quanto all' uso stabile e totale sono affidate alla Compagnia e sogliono chiamarsi chiese de' Gesuiti* (1).

(1) Ea italica verba sic latine sonant: « Dubium exortum est, utrum eiusmodi indulgentiae lucrifieri a fidelibus possint non solum in illis ecclesiis quae

» Pluries haec S. Congregatio Resolutiones ediderat, quae ad propositum dubium aliquo modo referri possent. Et revera die 11 Ianuarii 1762 declaraverat, *omnes et singulas Cappellas publicas Fr. Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncup. in Germania, Polonia, Hungaria etc. existentes gaudere, donec residentiam inibi praefati-Fratres duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis caeteris ecclesiis eiusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas Cappellas Christifideles ad sacrum audiendum et ad percipienda Ecclesiae sacramenta confluant*.

» Et iam antea, die nempe 27 Martii 1732 eadem haec S. C. ad preces Procuratoris Generalis FF. Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncup. censuerat, *Ecclesias, Cappellas et Oratoria publica in residentiis et hospitiis Missionum praefati Ordinis gaudere indulgentiis generaliter concessis omnibus Ecclesiis Ordinis eiusdem, dummodo tamen Ecclesiae et Oratoria sint publica et fixa et ad quae confluant Fideles ad sacrum audiendum et ad recipienda Ecclesiae Sacramenta.*» In hisce autem casibus vel agebatur de ecclesiis et Cappellis propriis illorum Ordinum, vel quaestio respiciebat qualitatem dumtaxat Cappellarum atque ecclesiarum.

» At vero aliter se res habuit quando actum fuit de ecclesiis saecularium, in quibus per Religiosos divina officia seu Sacramenta administrabantur; tunc enim minime declaratum est praedictas ecclesias indulgentiis gaudere, sed potius speciale Indultum communicationis Indulgentiarum concessum est. Ita, inter caetera, indultum fuit per litteras Apostolicas datas die 25 Iunii 1765 ut *Christifideles aliquam ex ecclesiis saecularium visitantes, quae in Provinciis ultra montes a FF. Ord. Minorum Capuccinorum administrantur eas indulgentias consequantur quas consequerentur si aliquam ex ecclesiis Ordinis visitarent.*

» Non immerito igitur distinguendae erant ecclesiae, quae saltem quoad usum propriae Ordinis dici possunt, ab ecclesiis, in quibus Religiosi divina Officia et Sacramenta tantum administrant, quin ullo modo propriae Ordinis dici possint, prout sunt ecclesiae Arcium, Stationum militum et aliae huiusmodi,

vero sensu propriae sunt societatis, sed etiam in caeteris quae datae sunt societati in usum. Ad hanc classem pertinent ex. gr. illae quarum proprietas vere pertinet ad Episcopos earum, sed ad usum quod spectat stabilem et integrum eae creditae sunt Societati, et nuncupari solent ecclesiae *Iesuitarum.*»

Digitized by Google

quibus aliqui Religiosi in Spiritualibus inserviunt, cum priores quidem indulgentiis gaudeant, non vero secundae, nisi speciale Apostolicum indultum obtentum fuerit.

» Rebus huc adductis, opportunum visum fuit in casu exquirere a Revmo P. Praeposito Generali Societatis Iesu, an circa propositum dubium aliquid addendum existimaret, qui reapse ad caeteras animadversiones addidit responsum sui Praedecessoris P. Vincentii Caraffa datum die 6 Maii 1647 quod sic se habet: *Quaestione hic saepe agitata, tandem iudicatum fuit: Templa aliena simpliciter concessa nostris usibus, adeo ut quoad usum censeri possint nostra, gaudere privilegiis et Indulgentiis templorum Societatis, quandiu in his tamquam suis exercet sua ministeria.»*

» Quare tota quaestio in quatuor sequentia dubia distributa fuit, quae S. Congregationi solvenda proposita fuere:

I. » An Christifideles indulgentias concessas a S. Sede visitantibus ecclesias Societatis Iesu lucrari possint visitando ecclesias, quae olim ad Societatem ipsam pertinebant; eidemque denuo restitutae sunt.

II. » An quoad alias ecclesias, quae nunquam proprie ad Societatem ipsam pertinuerunt, sed earum cura eidem Societati, legitime concredita est, ut ibidem obeat sui ordinis ministeria, approbandum sit responsum datum a P. Vincentio Caraffa die 6 Maii 1647.

» Et quatenus affirmative:

III. » Quasnam conditiones habere debeat concessio usus, ut ecclesiae concreditae quoad usum ipsum censeri possint *nostrae*, nempe ipsius Societatis.

» Et quatenus negative:

IV. » Quomodo secundo dubio respondendum sit.

» Itaque Emi Patres in generalibus Comitiis habitis apud Vaticanas Aedes die 20 Iulii 1868, auditis Consultorum votis et rebus mature perpensis, rescribi mandaverunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative, dummodo penes ecclesias de quibus agitur Patres Societatis Iesu resideant, et ministeria propria ibi obeant.*

Ad III. *Concessionem usus debere esse legitimam, et usum constantem ac plenum, et dummodo huiusmodi ecclesiae sint publicae.*

Digitized by Google

Ad IV. *Provisum in secundo.*

» Facta denique de his omnibus SSmo Domino Nostro Pio PP. IX. relatione ab infrascripto Card. Praefecto in Audientia diei 18 Augusti eiusdem anni Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Resolutionem benigne approbavit et confirmavit.»

» Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die et anno ut supra.»

A. Card. Bizzarri Praefect.

A. Colombo Secretarius.

Ex quibus colliges.

I. Indulgentias quae adnectuntur ecclesiis intuitu existentium Regularium, quorum propriae sint, eosdem Regulares sequi quorum causa sunt concessae.

II. Quare, Regularibus ex aliquo facto expulsis, easdem ecclesias dictas Indulgentias amittere, iisdem redeuntibus, easdem Indulgentias ipso facto reviviscere.

III. Neque esse necessarium iuridicum proprietatis titulum, ut Regularis familia sua praesentia indulgentias communicet: sed satis esse plenam et duraturam legitimam possessionem, qua ecclesiae a christiano populo Regularium eorumdem merito censeantur (1).

(1) Recoli possunt plura huic Decreto affinia, quae adduximus in *Vol. I. p. 239 et 687, in Vol. III. pag. 156 et 663 ad I.*

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

DE PROCESSU CONFICIENDO PRIMAQUE SENTENTIA FERENDA AB ORDINARIO IN CAUSIS SERVORUM DEI, QUANDO AGITUR DE CASU EXCEPTO IN SOLEMNIBUS URBANI VIII. DECRETIS.

Die 5 Decembris 1868.

Decretum. « In Generalibus Decretis a S. M. Urbano PP. VIII. editis super moderatione cultus Dei famulis praestandi, omnino praecipitur ut, sive causa procedat per viam non cultus, sive per viam casus excepti, particularis processus praecedere debeat una cum subsequenti pronuntiatione Ordinarii, seu Iudicis ab Apostolica Sede delegati, vel super cultu non exhibito vel super casu excepto. Quibus Decretis diu conformis extitit S. R. C. praxis, uti patet ex eiusdem Congregationis Actis. Quin etiam, prouti testatur S. M. Benedictus PP. XIV. in suo opere de Canonizatione Sanctorum Lib. II. Cap. 23 N. 10, inductum fuit ad normam eorumdem Decretorum ut per particularem processum, nedum probaretur cultus initium, seu fundamentum casus excepti, verum etiam cultus eiusdem iugis continuatio, usque ad sententiam hac de re editam sive ab Ordinario, sive a Iudice ab Apostolica Sede delegato. Subinde tamen, accedente expresso vel tacito S. Sedis consensu, iudicialis illa ac legitima inquisitio intermitti coepit, et per extraiudiciales probationes deventum est ad declarationem casus excepti. Verum cum Emi Patres sacris tuendis Ritibus Praepositi particularis processus confectionem valde conferre animadverterint accuratiori causarum examini, re mature perpensa, auditoque S. Fidei Promotore hodiernis Comitiis ad Vaticanum habitis, Generalium Decretorum tenorem, ac veterem S. Congregationis praxim districtius in posterum observari iusserunt. Proinde statuere, ut deinceps ad approbationem cuiuslibet ex casibus exceptis non deveniatur, nisi praecesserit particularis Processus tam super cultus initio, seu super fundamento casus excepti, quam super cultus continuatione usque ad sententiam ab Ordinario, seu ab Iudice ab Apostolica Sede de-

Digitized by Google

legato emanandam, qua declaretur, casum de quo agitur comprehendi inter exceptos a memoratis Decretis S. M. Urbani PP. VIII.– Si SS. D. N. placuerit. Die 5. Decembris 1868.

» Facta autem per me Secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit, ac confirmavit, typisque editum publicari praecepit die 10 eiusdem Mensis et Anni. »

C. Epis. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.
Loco ✠ Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

Decretum. — Feria II. die 14 Decembris 1868.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

The condemnation of Pope Honorius: *latine vero:* Damnatio Honorii Papae; Auctore B. P. Le Page Renouf. Londini, apud Longmans, Green et Soc. 1868.

Christendom's Divisions being a philophical sketch of the Divisions of the christian family in East and West: *latine vero:* Christianismi divisiones: nempe specimen philosophicum divisionum Christianae familiae in Oriente atque Occidente; Auctore Edmundo S. F. Foulkes. Londini Vol. 2; 1865 et 1867.

Digitized by Google

Lezioni di Letteratura italiana dettate nell' Università di Napoli da Luigi Settembrini; Vol. sec. Napoli stabilimento tipografico Ghio 1868.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX. *per me infrascriptum S. I. C. a secretis relatis*, SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 18 *Decembris* 1868.

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus

Loco ✠ Sigilli

Fr. ANGELUS VINCENTIUS MODENA Ord. Praed.
S. Ind. Congr. a Secretis.

Die 19 *Decembris* 1868 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, et Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloisium Serafini Apost. Curs.*

Philippus Ossani Mag. Curs.

Digitized by Google

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

PROPOSITIONES CONSISTORIALES

Die 21 Decembris 1868.

SSmus Dominus Noster die 21 Decembris in aedibus Vaticanis habuit secretum Consistorium, in quo proposuit:

Metropolitanam ecclesiam Fogarisien. et Alba-Iulien. ritus-Graeci Rumeni in Transilvania ad quam transtulit R. P. D. Ioannem Vancsa Episcopum Armenopolitanum seu Szamos-Uivariensem.

Metropolitanam Ecclesiam Mechoacanen. in Mexicana ditione Americae Septemtrionalis vacantem per obitum bo. me. Clementis Munguia penes romanam curiam defuncti: ad hanc ecclesiam transtulit R. P. D. Ignatium Arciga hactenus Episcopum Lengonensem in partibus infidelium.

Mechoacanum amplissima Mechoacaniae regionis urbs Mexicana Americae Septemtrionalis et in planitie aedificata triginta continet et amplius incolarum millia.

Eius Metropolitana Ecclesia SSmo Salvatori dicata, optimam praefert structuram et quatuor eidem suffragantur Episcopi.

Metropolitanum Capitulum quinque recenset dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus) octo cum utraque praebenda Canonicos, tres integros, totidemque semi-portionarios, aliosque presbyteros et clericos rei divinae operam navantes.

Per Parochum animarum cura exercetur in Metropolitana, ubi fons adest baptismalis etc.

Quaedam aliae recensentur Mechoacani paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, nonnulla virorum ac mulierum monasteria, plures laicorum sodalitates, nosocomium ac seminarium: mons vero pietatis desideratur.

Archidioeceseos ambitus latissime patet; et plurimas sub se complectitur paroecias ac loca.

Cathedralem Ecclesiam de Serena in ditione Chilenesi Americae Meridionalis vacantem per obitum bo. me. Iusti Donoso ultimi illius Episcopi; huic ecclesiae praefecit R. D. Iosephum Emmanuelem Orrego Presbyterum Archidioeceseos S. Iacobi de Chile, qui in ecclesiastica officia sedulo incubuit praesertim Verbi Dei praedicatione et exomologesi excipienda utriusque sexus: bis Parochus in urbe Chilensi, ibique adlectus Professor Theologiae dogmaticae et moralis tum iuris canonici et historiae ecclesiasticae, Seminarii Rector, et Decanus pro facultate theologica renunciatus est: Canonicus de Mercede in eadem Metropolitana constitutus et deinde Thesaurarii Dignitate hactenus honestatus est: cathe-

Digitized by Google

drali sede de Serena vacante Vicarii Capitularis munere etiamnum perfunctus est.

Urbs de Serena, caput provinciae de Coquimbo in ditione Chilensi Americae meridionalis, mille et quadringentas continet domos, eamque duodecies pene mille incolunt cives catholicam religionem profitentes.

Cathedralis Ecclesia, novae ac solidae structurae, Beatissimae Virginis ab Auxilio titulo gloriatur, atque S. Iacobi de Chile Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus) duos item Canonicos absque theologali aut poenitentiaria praebenda, quatuor Capellanos de choro ac totidem alios Presbyteros, qui cum Clericis divinis inserviunt.

Animarum cura non exercetur in Cathedrali.

Cathedrali proximum extat Episcopale palatium, quod bonum ac recentis exstructionis praefert aedificium.

Una insuper reperitur in urbe de Serena paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, tria virorum ac duo mulierum monasteria, quaedam pro utroque sexu collegia, quatuor laicorum sodalitates, nosocomium atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ducentas latitudinis excedit leucas, triginta longitudinis, et octodecim sub se complectitur civitates et loca.

Chathedralem Ecclesiam Verulan. vacantem per obitum bo. me. Fortunati Maurizi ultimi illius Episcopi: huic ecclesiae praefecit R. D. Ioannem Baptistam Maneschi presbyterum Fulginatensem, qui in s. theologia et utroque iure in romana Universitate doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis officiis laudabiliter emicuit: in publico patrio gimnasio Rector adlectus, ac praedefuncti Fulginatensis Antistitis Vicarius Generalis renunciatus tum inter illius ecclesiae Canonicos, tum inter Sanctissimi D. N. Cubicularios ad honores cooptatus est. Interim pro Senogalliensi dioecesi semel iterumque Vicarii Generalis, eaque sede vacante Vicarii quoque Capitularis munere perfunctus est.

Verulum una ex Hernicis urbibus in Campaniae provincia ditionis Pontificiae supra montem apud Cosam fluvium exstructa trium fere milliariorum est ambitus mille et quingentas continet domos, et a quinque circiter inhabitatur incolarum millibus Apostolicae Sanctae Sedi in temporalibus quoque obtemperantium.

Cathedralis Ecclesia S. Andreae Apostoli titulo gloriatur, eademque Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum unicam recenset Archidiaconatus dignitatem, quindecim cum utraque praebenda (poenitentiali scilicet et theologali) Canonicos, quatuor Beneficiatos, Altaristam, duos Cappellanos Cantores, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per unum ex Canonicis concursu electum, ab Episcopo adprobatum, et ab alio Presbytero adjutum, animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc plures insignes Sanctorum reliquiae; nominatim corpus S. Mariae Salome civitatis Patronae praecipuae in Sanctuarii Cappella decenter adservatur.

Sex aliae recensentur Veruli paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae earumque duae sunt etiam Collegiatae, unum pro viris ac alterum pro mulieribus monasterium, plures laicorum sodalitates aliquot frumentarii montes, atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad triginta circiter milliaria protenditur, pluresque sub se complectitur civitates et loca.

Archiepiscopalem Ecclesiam Corinthien. in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Ioannis Fraschina a Bosco ultimi illius Archiepiscopi: huic ecclesiae praefecit R. P. D. Iosephum Angelini Presbyterum ac Patritium Ascu-

lanum, qui in facultate philosophica, theologica et in utroque iure Romae laurea doctorali donatus, nobilis Accademiae Ecclesiasticae Decanus effectus, inter Praelatos Domesticos Sanctissimi D. N. adscitus est. Tribunalis A. C. et Gubernii Assessoris, Congregationis Visitationis Apost. Convisitatoris, et alterius super disciplina Regularium a Secretis, ac insuper Congregationum tum Episc. et Regul. tum Immunitatis ecclesiasticae, et S.R.U. Inquisitionis Consultoris munere perfunctus est: Locumtenens civilis Vicariatus Urbis, et hactenus Canonicus in Patriarchali Basilica Vaticana effectus inter Examinatores sive Cleri romani et vaticani, sive Episcoporum cooptatus est: denique Vicariatus Almae Urbis Vicesgerens nuperrime constitutus.

Corinthus celeberrima olim ac ditissima Achaiae urbs in ipso Isthmo Peloponnesiaco adhuc infidelium iugo miserrime subest.

Sanctissimus de more indulsit ne idem Promotus ad ipsam Corinthien. Ecclesiam accederet, quousque ab infidelibus ea ecclesia detineretur.

Episcopalem Ecclesiam Calydonien. sub Archiepiscopo Naupactensi in partibus infidelium vacantem per translationem R.P.D. Antonii Grech Delicata Cassia Testaferrata ad Cathedralem Sedem Gaudisiensem.

Ad eam promovit R. D. Lucam Petrovic Presbyterum dioeceseos Segniensis ac Modrussiensis, eumdemque Auxiliarem deputavit Emi et Rmi D. Georgei S. R. E. Presb. Card. Haulik Archiepiscopi Zagrabiensis, ut ei in pontificalibus caeterisque pastoralibus muneribus obeundis auxilio esse possit. Idem promotus in facultate theologica doctorali laurea donatus in ecclesiastica obeunda munera sedulo incubuit: iuris canonici et historiae ecclesiasticae in Liceo Episcopali Segniensi Professor, in eadem Cathedrali Canonicus, defensor Matrimonii et religiosae Professionis adlectus, illiusque Episcopalis Consistorii Referens, atque Gymnasii Praefectus constitutus est: qua Cappellanus Aulicus animarum curam aliquot per annos gerens in Cappella aulica Viennae, Directoris munere in sublimiori Presbyterorum instituto perfunctus est: Canonicus hactenus in Metropolitana Zagrabiensi ac Rector simul Seminarii Clericorum et theologiae Professor renunciatus, in SSmi D. N. Cubicularios secretos supranumerarios cooptatus est.

Calydon urbs olim primaria Aetoliae ad Evenum fluvium, adhuc infidelium iugo miserrime subest.

Sanctissimus inter caetera de more deinde indulsit ne idem Promotus ad dictam Calydonien. Ecclesiam accederet quousque ab infidelibus detinebitur.

Episcopalem Ecclesiam Antipatren. sub Archiepiscopo Caesariensi in partibus infidelium vacantem per translationem R. P. D. Francisci Gandolfi ad Cathedrales Sedes Cornetanam ac Centumcellarum invicem perpetuo canonice unitas: ad eam promovit R. D. Gasparem Willi Presbyterum Curiensem Professum in Ordine S. Benedicti, eumdemque deputavit Auxiliarem R. P. D. Nicolai Francisci Florentini Antistitis Curiensis ut ei in pontificalibus caeterisque pastoralibus muneribus obeundis adiumento esse possit. Idem promotus in ecclesiastica obeunda officia laude incubuit: monasterii Einsildensis Capitularis, studiorum Praefectus, et quindecim per annos illius amplae paroeciae Rector hactenus renunciatus, in pago Suitensi Consilii educationis publicus Consiliarius atque Scholarum ruralium Inspector adlectus est.

Antipatris urbs Palestinae inter Rhamam et Caesaream, adhuc infidelium iugo miserrime subest.

Sanctissimus inter caetera de more deinde indulsit ne idem Promotus ad Antipatren. ecclesiam accederet quousque ab infidelibus illa detineretur.

Digitized by Google

Post haec SSmus Pater patefecit sequentes electiones per S. Congregationem de Propaganda Fide ab ultimo usque ad praesens Consistorium.

Archiepiscopalem ecclesiam Anazarben. in partibus infidelium, cui praefecit Carolum Eyre, Cubicularium honorarium SSmi, Canonicum Cathedralis Exam in Anglia, Visitatorem Apostolicum deputatum in Glasacuae in Scotia.

Ecclesiam Episcopalem Nicopolitan. in partibus infidelium, cui praefecit R. D. Ioannem Mac-Donald, eumque deputavit Coadiutorem R. P. D. Iacobi Francisci Kyle, Episcopi Germaniciensis in partibus, Vicarii Apostolici in districtu septemtrionali Scotiae.

Inde SSmus Pater adlocutus est de gravissimis Hispaniae casibus, deplorans multa mala ab Ecclesia tolerata, et nominatim periculum in quo versatur unitatis fidei, qua semper gloriata est catholica illa Natio.

ERRATA CORRIGE

In Resolutione causae Iurispatronatus relata in fasciculo 40 sub titulo ***Immissionis et expulsionis*** pag. 204 legendum est: ***sententiam esse infirmandam,*** non autem ***confirmandum.*** Supposita autem Resolutione quam erronee excripsimus, consequens erat, ut S. Congregatio considerasset causam non *in possessorio* sed *in petitorio;* et ita, ut verba fundationis expendens, reperisset Cappellaniam esse saltem Clericalem: sed e contra, S. Congregatio per Resolutionem quam dedit, consideravit causam non *in petitorio* sed *in possessorio* tantum. Postea, qui expulsionem Cappellani a Cappellania postulabant; quaestionem moverunt super qualitate clericali Cappellaniae; sed non erat amplius quaestioni locus, cum pendente lite, Cappellanus quem expulsum volebant, ex hac vita decesserit.

Digitized by Google

APPENDIX VIII.

EPISTOLA ENCYCLICA GREGORII XVI. FEL. REC. AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS ORBIS CATHOLICI DE ECCLESIAE CIVILISQUE SOCIETATIS PERTURBATIONE.

Notum est quot rumores excitaverit atque adhuc excitet celeberrima Epistola Encyclica Sanctissimi D. N. quae incipit «Quanta cura» cum adnexo Syllabo propositionum reprobatarum: Quae omnia adduximus in Vol. III. pag. 160: cum autem huic Epistolae et Syllabo omnino affinis sit indicata Epistola Gregorii XVI. fel. rec. quae non admodum vulgata est, quamvis in dicta constitutione «Quanta cura» allegetur, eam Lectoribus nostris tradimus, ex qua apparet qua firmitate apostolica S. Sedis doctrina tradatur. Dicta autem Epistola est sequentis tenoris:

GREGORIUS PAPA XVI.

VENERABILES FRATRES

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Mirari vos arbitramur quod ab imposita Nostrae humilitati Ecclesiae universae procuratione nondum literas ad vos dederimus prout et consuetudo vel a primis temporibus invecta, et benevolentia in vos Nostra postulasset. Erat id quidem nobis maxime in vòtis ut dilataremus illico super vos cor Nostrum atque in communicatione spiritus ea vos adloqueremur voce, qua confirmare fratres in persona Beati Petri iussi fuimus (1).

» Verum probe nostis, quanam malorum aerumnarumque procella primis Pontificatus Nostri momentis in eam subito altitudinem maris acti fuerimus, in qua, nisi dextera Dei fecisset virtutem, ex teterrima impiorum conspiratione Nos congemuissetis demersos. Refugit animus tristissima tot discriminum recensione susceptum inde moerorem refricare; Patrique potius omnis consolationis benedicimus, qui disiectis perduellibus praesenti nos eripuit periculo, atque turbulentissima sedata tempestate dedit a metu respirare. Proposuimus illico vobiscum communicare consilia ad sanandas

(1) Luc. 22, 32.

Digitized by Google

contritiones Israel; sed ingens curarum moles, quibus in concilianda publici ordinis restitutione obruti fuimus, moram tunc Nostrae huic obiecit voluntati.

» Nova interim accessit causa silentii ob factiosorum insolentiam, qui signa perduellionis iterum attollere conati sunt. Nos quidem tantam hominum pervicaciam, quorum effrenatus furor impunitate diuturna impensaeque nostrae benignitatis indulgentia non deliniri, sed alii potius conspiciebatur, debuimus tandem ingenti licet cum moerore ex collata nobis divinitus auctoritate, virga compescere (1); ex quo, prouť iam probe coniicere potestis, operosior in dies instantia Nostra quotidiana facta est.

» Ast, cum quod ipsum iisdem ex causis distuleramus iam possessionem Pontificatus in Lateranensi Basilica ex more institutoque maiorum adiverimus, omni demum abiecta cunctatione ad vos properamus, Venerabiles Fratres, testemque nostrae erga vos voluntatis epistolam damus laetissimo hoc die, quo de Virginis Sanctissimae in Coelum Assumptae triumpho solemnia festa peragimus, ut quam patronam ac sospitam inter maximas quosque calamitates persensimus, Ipsa et scribentibus ad vos Nobis adstet propitia mentemque Nostram coelesti afflatu suo in ea inducat consilia, quae Christiano gregi futura sint quammaxime salutaria.

» Moerentes quidem animoque tristitia confecto venimus ad vos, quos, pro vestro in religionem studio, ex tanta in qua ipsa versatur, temporum acerbitate maxime anxios novimus. Vere enim dixerimus horam nunc esse potestatis tenebrarum ad cribrandos sicut triticum filios electionis (2). Vere luxit, et defluxit terra.....infecta ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum (3).

» Loquimur, Venerabiles Fratres, quae vestris ipsi oculis conspicitis, quae communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum; et quae magnam vim magnamque necessitatem possidet divini cultus maiestas ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio: sana hinc pervertitur doctrina erroresque omnis generis disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non iura, non instituta, non sanctiores quaelibet disciplinae tutae sunt ab audacia loquentium iniqua. Vexatur acerrime Romana haec Nostra Beatissimi Petri Sedes in qua posuit Christus Ecclesiae firmamentum; et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur. Divina Ecclesiae auctoritas oppugnatur, ipsiusque iuribus convulsis, substernitur ipsa terrenis rationibus ac per summam iniuriam odio populorum subiicitur in turpem redacta servitutem.

(1) Corinth. 4, 21.—(2) Luc. 22, 53.—(3) Isaiae 24, 5.

Digitized by Google

Debita Episcopis obedientia infringitur, eorumque iura conculcantur. Personant horrendum in modum academiae ac gymnasia novis opinionum monstris quibus non occulte amplius et in cuniculis petitur Catholica fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperte et iam propalam infertur. Institutis enim exemploque praeceptorum corruptis adolescentium animis, ingens religionis clades morumque perversitas teterrima percrebuit. Hinc porro freno religionis sanctissimae proiecto, per quam unam regna consistunt dominatusque vis ac robur firmatur, conspicimus ordinis publici exitium, labem principatus, omnisque legitimae potestatis conversionem invalescere. Quae quidem tanta calamitatum congeries ex illarum in primis conspiratione societatum est repetenda, in quas quidquid in haeresibus et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegum flagitiosum ac blasphemum est, quasi in sentinam quandam cum omnium sordium concretione confluxit.

» Hae, Venerabiles Fratres, et alia complura et fortassis etiam graviora, quae in praesens percensere longum esset ac vos probe nostis, in dolore esse Nos iubent, acerbo sane ac diuturno quos in Cathedra Principis Apostolorum constitutos zelus universae domus Dei comedat prae ceteris opus est. Verum cum eo Nos loci positos esse agnoscamus, quo deplorare dumtaxat innumera haec mala non sufficiat, nisi et ea convellere pro viribus connitamur: ad opem fidei vestrae confugimus, vestramque pro catholici gregis salute sollicitudinem advocamus, Venerabiles Fratres, quorum spectat virtus ac religio, et singularis prudentia et sedula adsiduitas animos nobis addit, atque in tanta rerum asperitate afflictos consolatione sustentat periucunda. Nostrarum quippe est partium vocem tollere omniaque conari ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem: Nostrum est oves in ea dumtaxat pabula compellere quae salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspicione perniciosa. Absit charissimi, absit, ut, quando tanta premant mala, tanta impendeant discrimina, suo desint muneri pastores et perculsi metu dimittant oves, vel abiecta cura gregis otio torpeant ac desidia. Agamus idcirco in unitate spiritus communem Nostram seu verius Dei causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una omnium sit vigilantia una contentio.

» Id porro apprime praestabitis, si, quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis et doctrinae, illud assidue revolventes animo, universalem Ecclesiam quacumque novitate pulsari (1); atque ex sancti Agathonis pontificis monitu (2), nihil de iis, quae sunt regulariter definita minui debere, nihil mutari, nihil ad-

(1) S. Caelest. PP. epist. 24 ad Epis. Galliarum. —(2) S. Agatho PP. epist. ad Imp. apud Labb. tom. 11. pag. 235 ed. Mansi.

Digitized by Google

iici, sed ea et verbis, et sensibus illibata esse custodienda. Immota inde consistet firmitas unitatis, quae hac Beati Petri Cathedra suo veluti fundamento continetur, ut unde in Ecclesias omnes venerandae communionis iura dimanant, ibi universis et murus sit, et securitas et portus expers fluctuum et bonorum thesaurus innumerabilium (1). Ad eorum itaque retundendam audaciam, qui vel iura sanctae huius Sedis infringere conantur, vel dirimere Ecclesiarum cum ipsa coniunctionem, qua una eaedem nituntur et vigent, maximum fidei in eam ac venerationis sincerae studium inculcate, inclamantes cum sancto Cypriano (2) falso confidere, se esse in Ecclesia qui Cathedram Petri deserat, super quam fundata est Ecclesia.

» In hoc ideo elaborandum vobis est adsidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes iudicium de sana doctrina, qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiae universae regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse cui plena pascendi regendi et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit, uti Patres Florentini Concilii diserte declararunt. (3).

Est autem singulorum Episcoporum Cathedrae Petri fidelissime adhaerere, depositum sancte religioseque custodire et pascere, qui in eis est gregem Dei. Presbyteri vero subiecti sint oportet Episcopis, quos uti animae parentes suscipiendos ab ipsis esse monet Hieronymus (4); nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari, quidpiam in suscepto ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere sine sententia Episcopi, cuius fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigetur (5). Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus praestitutum hunc ordinem aliquid moliantur statum Ecclesiae quantum in ipsis est perturbare.

» Nefas porro esset atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma et iurium Ecclesiae ministrorumque eius ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis iuris naturae principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam, civilique auctoritati subiectam.

» Cum autem, ut Tridentinorum Patrum verbis utamur, constet Ecclesiam eruditam fuisse a Christo Iesu eiusque Apostolis atque a Spiritu Sancto illi omnem viritatem in dies suggerente edoceri (6), absurdum

(1) S. Innoc. PP. ep. 11. apud Coust.—(2) S. Cypr. de Unit. Eccl.—(3) Conc. Flor. sess. 25. apud Lab. t. 18 col. 527. ed. Ven.—(4) S. Hier. ep. ad Nepot. al. 24. —(5) Ex Can. Ap. 38 ap. Lab. t. 1 pag. 38 ed. Mansi.— (6) C. Trid. sess. 13 de Euch. in proem.

Digitized by Google

plane est, ac maxime in eam iniuriosum restaurationem ac generationem quandam obtrudi, quasi necessariam, ut eius incolumitati, et incremento consulatur, perinde ac si censeri ipsa possit vel defectui vel abscurationi, vel aliis huiuscemodi incommodis obnoxia; quo quidem molimine, eo spectant novatores, ut recentis humanae institutionis iaciantur fundamenta, illudque ipsum eveniat, quod detestatur Cyprianus, ut, quae divina res est, humana fiat Ecclesia (1). Perpendant vero, qui consilia id genus machinantur, uni Romano Pontifici, ex sancti Leonis testimonio, canonum dispensationem esse creditam, ipsiusque dumtaxat esse, non vero privati hominis de paternarum regulis sanctionum quidpiam decernere, atque ita quemadmodum scribit sanctus Gelasius (2), decreta canonum librare decessorumque praecepta metiri, ut quae necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, temperentur.

» Hic autem vestram volumus excitatam pro religione constantiam adversus foedissimam in clericalem coelibatum coniurationem, quam nostis effervescere in dies latius, connitentibus cum perditissimis Nostri aevi philosophis, nonnullis etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui personae obliti munerisque sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiae prorupérunt, ut publicas etiam atque iteratas aliquibus in locis ausi sint adhibere Principibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam. Sed piget de turpissimis hisce conatibus longo vos sermone distinere, vestraeque potius religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti in quam lascivientium tela undique sunt intenta, sarctam tectam custodiri, vindicari, defendi, ex sacrorum canonum praescripto omni ope contendatis.

» Honorabile deinde christianorum connubium, quod sacramentum magnum nuncupavit Paulus in Christo et Ecclesia (3), communes nostras curas efflagitat, ne quid adversus ipsius sanctitatem, ac de indissolubili eiusdem vinculo minus recte sentiatur, vel tentetur induci. Impense id iam commendarat suis ad vos literis felicis recordationis praedecessor Noster Pius VIII. Adhuc tamen infesta eidem molimina succrescunt. Docendi itaque sunt sedulo populi, matrimonium semel rite initum dirimi amplius non posse, nexisque connubio Deum indixisse perpetuam vitae societatem, nodumque necessitudinis, qui exolvi, nisi morte, non possit. Memores, sacris illud rebus adnumerari, et Ecclesiae proinde subiici, praestitutas de ipso eiusdem Ecclesiae leges habeant ob oculos, iisque pareant sancte accurateque, ex quarum exsequutione omnino pendet eiusdem connubii vis, robur ac iusta consociatio. Caveant, ne, quod sacrorum canonum placitis

(1) S. Cypr. ep. 52. edit. Baluz.—(2) S. Gelasius PP. in ep. ad Episc. Lucaniae.—(3) Ad Hebr. 13, 4.

Digitized by Google

conciliorumque decretis officiat, ulla ratione admittant, probe gnari, exitus infelices illa habitura esse coniugia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo aestu libidinis iungantur, quin de Sacramento, ac de misteriis quae illo significantur, ulla teneat sponsos cogitatio.

» Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in praesens comploramus Ecclesiam indifferentismum scilicet, seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio in re perspicua, planeque evidenti, errorem exitiosissimum a populis vestrae curae concreditis propelletis. Admonente Apostolo (1), unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma, extimescant qui e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur, reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio, esse se contra Christum qui cum Christo non sunt (2), seque infeliciter dispergere, qui cum ipso non colligunt, ideoque absque dubio in aeternum esse perituros, nisi teneant Catholicam fidem eamque integram inviolatamque servaverint (3). Hieronymum audiant, qui, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat, se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter clamitasse: si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est (4). Falso autem si quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus. Opportune enim responderet Augustinus (5): Ipsam formam habet etiam sarmentum quod praecisum est de vite: sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice?

» Atque ex hoc putidissimi indifferentissimi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiae. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae et civilis rei labem late grassatur, dictantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. At quae peior mors animae, quam libertas erroris? inquiebat Augustinus (6). Freno quippe omni adempto quo homines contineantur in semitis veritatis, proruente iam in praeceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus puteum abyssi (7), e quo vidit Ioannes ascendere fumum quo obscuratus est sol locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terrae. Inde enim animorum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum rerumque

(1) Ad Ephes. 4, 5.—(2) Luc. 11, 23.—(3) Symbol. S. Athanas.—(4) S. Hieron. ep. 57.—(5) S. Augus. in psal. contra part. Donat.—(6) S. August. ep. 166.—(7) Apocalyp. 9, 3.

Digitized by Google

ac legum sanctissimarum contemptus, inde uno verbo pestis rei publicae prae qualibet capitalior, cum experientia teste vel a prima antiquitate notum sit, civitates, quae opibus, imperio, gloria floruere, hoc uno malo concidisse, libertate immoderata opinionum, licentia concionum, rerum novandarum cupiditate.

»Huc spectat deterrima illa ac numquam satis exsecranda et detestabilis libertas artis librariae ad scripta quaelibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, Venerabiles Fratres, intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obruamur, quae longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine libellisque et scriptis mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terrae. Sunt tamen, proh dolor! qui eo impudentiae abripiantur, ut asserant pugnaciter hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitatum tempestate ad religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profecto est omnique iure improbatum, patrari data opera malum certum ac maius, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena libere spargi, ac publice vendi comportarique, imo et obbibi debere sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur eripi eos ex interitu identidem contingat?

» Verum longe alia fuit Ecclesiae disciplina in exscindenda malorum librorum peste vel ab Apostolorum aetate, quos legimus grandem librorum vim publice combussisse (1). Satis sit leges in concilio Lateranensi V. in eam rem datas perlegere, et Constitutionem, quae deinceps a Leone X. fel. rec. praedecessore Nostro fuit edita, ne id quod ad fidei augumentum ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat(2). Id quidem et Tridentinis Patribus maximae curae fuit, qui remedium tanto huic malo adhibuere edito saluberrimo Decreto de Indice librorum quibus impura doctrina contineretur conficiendo (3). Pugnandum est acriter, inquit Clemens XIII. fel. rec. praedecessor Noster in suis de noxiorum librorum proscriptione enc. literis (4), pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies: nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant. Ex hac itaque constanti omnium aetatum sollicitudine, qua

(1) Act. Apost. 19.—(2) Act. Conc. Lateran. V. sess. 10 ubi refertur Const. Leonis X. Legenda est anterior Constitutio Alexandri VI. *Inter multiplices,* in qua multa ad rem.—(3) Conc. Trid. sess. 18 et 25.—(4) Lit. Clem. XIII. *Christianae* 25 Novembr. 1766.

Digitized by Google

semper sancta haec Apostolica Sedes suspectos et noxios libros damnare et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissime, quantopere falsa temeraria, eidemque Apostolicae Sedi iniuriosa, et foecunda malorum in Christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum, veluti gravem nimis et onerosam, reiiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam praedicent a recti iuris principiis abhorrere, iusque illius decernendae habendaeque audeant Ecclesiae denegare.

» Cum autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperimus, quibus debita erga Principes fides atque submissio labefactatur, facesque perduellionis ubique incenduntur: cavendum maxime erit, ne populi inde decepti a recta semita abducantur. Animadvertant omnes non esse, iuxta Apostoli monitum, potestatem nisi a Deo: quae autem sunt a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (1). Quocirca et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in Principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare connituntur.

» Atque hac plane ex causa, ne tanta se turpitudine foedarent veteres Christiani, saevientibus licet persecutionibus, optime tamen eos de Imperatoribus, ac de imperii incolumitate meritos fuisse constat, idque nedum fide in iis, quae sibi mandabantur religioni non contraria, accurate prompteque perficiendis, sed et constantia, et effuso etiam in praeliis sanguine luculentissime comprobasse. Milites Christiani, ait sanctus Augustinus (2), servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in coelis erat. Distinguebant Dominum aeternum a domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam domino temporali. Haec quidem sibi ob oculos proposuerat sanctus Mauritius martyr invictus, legionis Thebanae primicierius, quando, uti sanctus Eucherius refert, haec respondit Imperatori (3): Milites sumus Imperator tui, sed tamen servi quod libere confitemur Dei... Et nunc non nos haec ultima vitae necessitas in rebellionem coegit: tenemus ecce arma et non resistimus, quia mori, quam occidere satius volumus. Quae quidem veterum Christianorum in Principes fides eo etiam illustrior effulget, si perpendatur cum Tertulliano (4), tunc temporis Christianis non defuisse vim numerorum et copiarum, si hostes exertos agere voluissent. Externi sumus, inquit ipse, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum,

(1) Ad Rom. 13, 2.—(2) S. Aug. in psal. 124, n. 7.—(3) S. Eucher. apud Ruinart. Acta SS. Mart. de SS. Maurit. et Soc.—(4) Tertul. in apologet. cap. 34.

Digitized by Google

forum... Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere...? Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique pudore dominationem vestram tot qualiumcumque ammissio civium, immo et ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram... quaesissetis, quibus imperaretis: plures hostes, quam cives vobis remansissent; nunc autem pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum.

» Praeclara haec immobilis subiectionis in Principes exempla, quae ex sanctissimis Christianae religionis praeceptis necessario proficiscebantur, detestandam illorum insolentiam et improbitatem condemnant, qui proiecta effrenataque procacis libertatis cupiditate aestuantes, toti in eo sunt, ut iura quaeque principatuum labefactent atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi. Huc sane scelestissima deliramenta consiliaque conspirarunt. Waldensium, Beguardorum, Wiclefistarum, aliorumque huiusmodi filiorum Belial, qui humani generis sordes ac dedecora fuere, merito idcirco ab Apostolica hac Sede toties anathemate confixi. Nec alia profecto ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint, liberos se esse ab omnibus, quod ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosora quaelibet audacissime aggrediuntur.

» Neque laetiora et religioni et Principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum Sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit ac salutaris.

» At ad caeteras acerbissimas causas, quibus solliciti sumus et in communi discrimine dolore quodam praecipuo angimur, accessere consociationes quaedam statique coetus, quibus quasi agmine facto cum cuiuscumque etiam falsae religionis ac cultus sectatoribus, simulata quidem in religionem pietate, vere tamen novitatis seditionumque ubique promovendarum cupidine, libertas omnis generis praedicatur, perturbationes in sacram et civilem rem excitantur, sanctior quaelibet auctoritas discerpitur.

» Haec perdolenti sane animo, fidentes tamen in eo, qui imperat ventis et facit tranquillitatem, scribimus ad vos, Venerabiles Fratres, ut induti scutum fidei contendatis praeliari strenue praelia Domini. Ad vos potissimum pertinet, stare pro muro contra omnem multitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, habeantque a vobis panem qui esuriunt iustitiam. Adsciti ut sitis cultores navi in vinea Domini,

Digitized by Google

id unum agite, in hoc simul laborate, ut radix quaelibet amaritudinis ex agro vobis commisso evellatur, omnique enecato semine vitiorum, convalescat ibi seges laeta virtutum. Eos in primis affectu paterno complexi, qui ad sacras praesertim disciplinas et ad philosophicas quaestiones animum appulere, hortatores auctoresque iisdem sitis, ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint, Deum esse sapientiae Deum, emendatoremque sapientium (1) ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per Verbum docet homines scire Deum (2). Superbi seu potius insipientis hominis est fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus, nostraeque mentis rationi confidere, quae naturae humanae conditione debilis est atque infirma. Caeterum communibus hisce votis pro rei et sacrae et publicae incolumitate carissimi in Christo filii Nostri viri Principes sua faveant ope et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiae salute laboratur; imo pluris sibi suadeant fidei causam esse debere, quam regni, magnumque sibi esse perpendant, dicimus cum S. Leone Pontifice, si ipsorum diademati de manu Domini etiam fidei addatur corona. Positi quasi parentes et tutores populorum, veram, constantem opulentiam iis quietem parient, et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit religio et pietas in Deum qui habet scriptum in femore: Rex regum et Dominus dominantium.

» Sed ut omnia haec prospere ac feliciter eveniant, levemus oculos manusque ad sanctissimam Virginem Mariam, quae sola universas haereses interemit, Nostraque maxime fiducia, imo tota ratio est spei Nostrae (3). Suo ipsa patrocinio in tanta Dominici gregis necessitate studiis, consiliis, actionibusque Nostris exitus secundissimos imploret. Id et ab Apostolorum Principe Petro et ab eius Coapostolo Paulo humili prece efflagitemus ut stetis omnes pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est. Hac iucunda spe freti confidimus, auctorem consummatoremque fidei Iesum Christum consolaturum tandem fore nos omnes in Tribulationibus quae invenerunt Nos nimis, coelestisque auxilii auspicem Apostolicam benedictionem, vobis Venerabiles Fratres et ovibus vestrae curae traditis peramanter impertimur.

» Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem decimo octavo Kalendas Septembris die solemni Assumptionis eiusdem Beatae Virginis Mariae anno Dominicae incarnationis millesimo octingentesimo trigesimo secundo Pontificatus Nostri anno secundo. »

(1) Sap. 7,15.—(2) S. Iren. lib. 14, cap. 10.—(3) Ex S. Bern. serm. de Nat. B.M.V. 37.

Digitized by Google

APPENDIX IX.

Constitutio Benedicti XIV. tertio nonas Novembris 1741 edita et frequentissime allegata, in qua praescribitur ordo et forma in iudiciis causarum matrimonialium super matrimoniorum validitate, vel nullitate declaranda servandus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

«Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt, et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda Divinae Legis servetur auctoritas.

» §. 1. Siquidem Matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum, et indissolubile esse convenit; et quatenus est Catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens; *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis Iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Iudices humanae naturae conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis Parens praemonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhaerebit Uxori suae, et erunt duo in carne una.*

» §. 2. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam du-

Digitized by Google

xerant, uxorem ob nimiam Iudicum praecipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus ad quartas contrahendas nuptias devenerant;et similiter foeminarum, quae post primum, secundum et tertium maritum quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae Nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

» §. 3. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum Iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram Iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Iudex, ad cuius Tribunal Causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur; qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant: partim ex facto coniugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in Iudicium venientibus, alter, qui pro Matrimonio, alter vero, qui contra agit, sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum Matrimonium dissolvi cupiunt, vel quia pars, quae pro validitate Matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Iudice sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus, ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

» § 4. Quod autem ad Iudices pertinet, quibus extra Romanam Cu-

Digitized by Google

riam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis literis ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos, et scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae non nisi personis congrua iuris peritia, necessario probitatis, spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus: quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi, et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini, et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem Dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus, ac mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio, et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem, et modum a nobis in praefatis encyclicis literis praescriptum pro Iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

» §. 5. Quod vero ad ordinem, et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita, et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac iubemus, ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective Dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia, pariter et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

» §. 6. Ad officium autem Defensoris matrimoniorum huiusmodi,

Digitized by Google

ut supra electi, spectabit, in iudicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate, vel nullitate coram legitimo Iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

» §. 7. Et demum Defensoris huiusmodi persona, tanquam pars necessaria ad iudicii validitatem, et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio sive unus ex Coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata, et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum, et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

» §. 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex Coniugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, Defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur, si a Iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam Iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, Defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem Iudicem provocabit.

» §. 9. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem Defensoris, et partium interposita, si ambo, vel unus ex Coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies

Digitized by Google

non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrabens vel contrahentes, matrimonium huiusmodi omnibus poenis contra Poligamos a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus ac renovamus.

» §. 10. Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum Iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, et singula quaecumque coram iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodientur, citato in quolibet Iudicii actu Defensore matrimonii, qui voce, et scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur, et si Iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem Iudex in secunda instantia erit Iudex Commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal, et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat Defensore matrimonii, volumus, ut illo Defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius Dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

» §. 11. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerint, in potestate, et arbitrio Coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, Coniugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper, et firmo remanente iure, seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam vocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei salva conscientia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida; vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique Coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint,

Digitized by Google

poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima, et secunda instantia demandata fuerunt; nempe in quolibet iudiciali actu citato, et audito Defensore matrimonii; qui a Iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

» §. 12. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae Iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus a Iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecuniam ex mulctis suorum tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt Iudices Commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius Dioecesi Iudex Commissarius iuxta Sedis Apostolicae mandatum iudicium exercebit.

» §. 13. Hactenus quidem quoad causas Matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, eiusque Suburbiis, et districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur, citato et audito Defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregationi S.R.E. Cardinalium super interpretatione, et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, et Romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super Matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Defensor Matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore Decano praefati Tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a Persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

» §. 14. Unica quidem resolutio

Digitized by Google

pro nullilate Matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam Coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad Defensoris Matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem Defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio iudicata sit, a praefato Defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut ullo in casu Matrimoii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes, et conformes, a quibus neque pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; quod si secus factum fuerit, et novum initum Matrimonium, Nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis ut supra statutis submittantur.

» §. 15. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S.R.E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, et Romanus Pontifex eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

» §. 16. Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes Litteras semper firmas validas etc.» *(sequuntur amplissimae clausulae confirmatoriae derogatoriae etc.)*

Heic recolenda est generalis Instructio a S. C. C. edita, quam adduximus in *Vol. I. pag. 439*.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

NOMINATIONIS ET INSTITUTIONIS

Die 13 Iunii et 12 Septembris 1868 et 23 Ianuarii 1869.

Causa isthaec, contentiosissime agitata, ex illis italicis provinciis Romam devenit, quae anno 1861 Galliarum Imperio fuerunt adnexae.

Compendium facti. Archidiaconus ex nobili familia B. anno 1690 Canonicatum erexit in sua cathedrali N. Dos huius Canonicatus direpta fuit inter vicissitudines saeculi elapsi. Remansit tamen quoddam annuum legatum Libellarum seu *Francs* 120, quod Communitas civilis A. solvere illi Capitulo perrexit.

Sacerdos Ioannes ex eadem nobili familia B. descendens, consilium cepit anno 1848 fundandi iterum illum Canonicatum; idque praestitit simul cum patruo suo Comite Aloisio laico hac ratione: statuerunt pro dote 1° redditum annuum Libell. 96 quem redditum dare spopondit Aloisius obligans suos etiam successores, qui simul facultatem fecit Ioanni hypothecandi quosdam suos fundos ad securitatem eorumdem reddituum.

2° Libellas annuas 120, quae solvebantur Capitulo, de quibus iam mentionem feci: quem redditum Capitulum novo Canonicatui libenter cessit tamquam ad eum pertinentem.

3° Redditum annuum libellarum 630, quem constituit Sacerdos Ioannes ex suis bonis.

Haec dos in acceptis ab Episcopo habita fuit. Has tamen conditiones iidem fundatores apponere voluerunt: 1° *in casu quo Canonicatus supprimatur ob vim maiorem vel aliam quamcumque causam, quae non pendeat a Sacerdote Ioanne B. vel eius successoribus in Canonicatum, aut ipsum Capitulum supprimatur, eiusmodi adsignati redditus tamquam non adsignati considerandi erunt; et integra dos revertetur ad eosdem fundatores seu eorumdem haeredes.*

Digitized by Google

Ad iuspatronatus quod attinet, haec statuerunt: *ius nominandi pertinebit ad Comitem Aloisium B. eiusque descendentes in linea masculina, quibus deficientibus, ad fratrem Sacerdotis Ioannis B. eiusque descendentes masculos; in casu extinctionis harum linearum ius nominandi ad Episcopum pertinebit.*

Quod attinet ad iuspatronatus passivum statuerunt, *ut dictus Ioannes primus Canonicus sit, et post eum, eius frater Vincentius, qui nunc Vicarii paroecialis munere fungitur in paroecia C.... Praeferri semper debent Sacerdotes ad alterutram dictam lineam pertinentes.* Quibus deficientibus alias etiam familias passive vocarunt.

Canonicatus itaque hisce legibus auctoritate episcopali anno 1848 fuit erectus interveniente Capituli consensu (quod exegit ut novus Canonicatus daret redditum saltem Libell. 800 annuum) atque in eo canonice institutus est Ioannes iuxta legem fundationis. Anno 1854 quaedam controversia a tribunali civili fuit resoluta inter Ioannem, Capitulum, et communitatem dictam C. circa legatum libell. 120 illudque adiudicatum fuit ut antea Capitulo, sententia lata contra Ioannem. Iudicavit siquidem tribunal exstincta fuisse omnia iura veteris Canonicatus et per novam erectionem eadem vetera iura reviviscere non posse.

Postea Comes B. redditum annum libell. 96 nec solvit, nec solvere valuit, cum magno aere alieno eius bona gravarentur.

Anno autem 1866 die 3 Februarii Ioannes illi Canonicatui renunciavit, eiusque renunciatio in acceptis habita fuit ab Episcopo, qui alium pinguiorem Canonicatum tum vacantem eidem Ioanni die eodem contulit.

Episcopus subinde rogatus est ab eodem Ioanne ut ad novam nominationem dimissi Canonicatus non deveniret, quippe cum irrita ea fundatio et erectio suo iudicio existimanda esset.

Non aperte constat, quomodo se gesserit Episcopus circa eiusmodi petitionem; in facto tamen est, Episcopum per privatas epistolas interpellasse Patronum Aloisium, cui unice spectabat nominatio, ut nominaret; hic facultatem nominandi Episcopo ipsi fecit, aut ita rem egit, ut per quadrimestrem temporis lapsum nominatio devolveretur Episcopo; et ratam habuit nominationem ab Episcopo deinde factam.

Cum autem ex lege fundationis nominandus esset frater Io-

Digitized by Google

annis, qui tum erat paroecialis Vicarius, hic ab Episcopo invitatus suo iuri renunciavit. Haec omnia mense Maio 1866 per privatas epistolas peregisse videtur Episcopus.

Ioannes cum iamdiu sibi persuasisset erectionem sui Canonicatus irritam esse vel saltem in eum casum incidisse quo dos ad fundatores restituenda esset, omni studio curavit, ut Episcopus non amplius nominaret; atque eo devenit, ut die 15 Novembris eiusdem anni actum protestationis interposuerit apud acta tribunalis civilis, Episcopo notificandum, prout reapse eadem die 15 Novembris fuit notificatus.

Nihilominus Episcopus, posthabita eiusmodi protestatione, die sequenti 16 Novembris formaliter nominavit ad eum Canonicatum alium fratrem Ioannis Paulum B., qui professionem solemnem iamdiu emiserat in Ordine S. Francisci, et indulto saecularizationis obtento extra claustra degebat Ioannes: iterum die 22 Novembris eiusdem anni 1866 protestationem emisit adversus factam nominationem.

At, hac etiam protestatione posthabita, Paulus B. nominatus ab Episcopo obtinuit literas institutionis canonicae die 19 Februarii 1867.

Die 6 Martii eiusdem anni Ioannes causam detulit S. Congregationi Concilii, idque die 30 Martii Episcopo significavit.

Ioannes in suis protestationibus emissis confundebat veterem Canonicatus erectionem cum nova erectione a se facta, innuens veterem Canonicatum extinctum reviviscere non potuisse. Episcopus die 1 Aprilis 1867 iussit Paulum B. in possessionem Canonicatus immitti. Quare die 11 Aprilis 1867 praesentibus licet decem tantum Canonicis quaedam possessio dicto Paulo data esse videtur.

Cum autem inter eiusmodi rerum agitationem, quam enucleatius referre otiosum esset, Paulus in pleno iure Canonicatus se esse praetenderet et quaereret a Ioanne dotem eiusdem Canonicatus: e contrario Ioannes redditus Canonicatus a se fundati recusaret, res in civile iudicium deducta est. Tribunal civile primae instantiae sententiam tulit contra actorem, idest contra Paulum, tum quia legitimam existentiam coram civili lege ille Canonicatus non haberet; tum quia quaestio penderet apud S. Congregationem Concilii quae unice competens esset.

Digitized by Google

Haec sententia confirmata est in secunda instantia ob easdem ferme rationes, id est, quia Gubernium Gallicum, cui illa Itala provincia anno 1861 subiecta fuit, non admitteret nisi novem tantum Canonicos qui stipendium a Gubernio accipiant; quia haec lex publici esset ordinis et Capitulo de quo agimus esset applicata speciali Decreto anno 1864, et ideo reliqui Canonici antea constituti recogniti, admissique non essent coram civili lege: eo vel magis quod in praesenti casu neque constaret de valore nominationis factae in Pauli persona.

Disceptatio synoptica.

Defensio Ioannis quoad primum dubium. Causidicus Ioannis impugnavit validitatem novae nominationis ab Episcopo factae contendens neglectam fuisse canonicam formam, quia edicta resignationis non fuerant affixa, nec citati Patroni caeterique quorum id intererat ad nominandum; quod quidem peragendum erat non solum ex iure et ex Constitutione Gregorii XIII *Humano vix iudicio*, sed etiam ex consuetudine eiusdem dioecesis.

Post haec recoluit Defensor, Episcopum ad formalem nominationem et canonicam institutionem faciendam devenisse, etsi Ioannes protestationes apud acta inseruisset; immo etsi ad S. Sedem appellasset. Porro in comperto esse, praesentationes et nominationes, pendente lite, factas irritas esse et attentatas. Immo inhibitionem seu protestationem eius, cuius intersit, impedire quominus ad nominationem procedi valeat, et si procedatur, omnes subsequentes actus attentatorum vitio infectos esse: quod quidem cum noscerent Canonici, quatuor eorum protestationem etiam emisisse contra actum possessionis ab Episcopo praescriptum: imo ipsum civile tribunal declarasse, non posse haberi Paulum tamquam Canonicum cum appellatio intermissa esset ad S. Sedem, ad quam solam iudicium competeret; ideoque fructus Canonicatus novum Canonicum exigere non potuisse.

Recolebat insuper Defensor nonnulla facta quae ante evenerant: idest inquiebat anno 1854 per civile iudicium erectionem Canonicatus irritam fuisse declaratam; ideoque Canonicum Ioannem amisisse praestationem libell. 120, subinde etiam redditum a Comite fratre dandum libell. 96: cum autem Ioannes Episcopo supplicasset, ut rei prospiceret, eumdem Episcopum

Digitized by Google

exquisivisse votum sui Vicarii Generalis, qui in ea sententia fuit, ut extinctus declarari posset Canonicatus; ideoque Episcopum anno 1862 spem iniecisse in animum Ioannis se declaraturum esse Canonicatus extinctionem: postea vero, sententia mutata, adversus eumdem Ioannem processisse adeo, ut neque protestationes valuerint, neque appellatio ad S. Sedem.

Hinc Defensor ostendere curavit, protestationes emissas non fuisse spernendas, tum quia aderant rationes ab Episcopo antea recognitae quae pro extinctione Canonicatus militarent; tum quia Patronus qui ab Episcopo fuerat interpellatus ad nominandum, neque ius nominandi haberet, quippe cum utpote decoctus solvere non amplius posset partem dotis Canonicatus ob quam Patronus antea constitutus fuerat: quod si huius amissi iuris probabilitas tantum haberetur, admonendum fuisse de Canonicatus vacatione, Defensor inquiebat, alterum Patronum ex alia vocata linea.

Defensio Ioannis quoad secundum dubium. Defensor recolebat ea iuris principia, quibus traditur, appellatione interposita, cessare eo ipso iurisdictionem Iudicis *a quo;* et ea omnia, quae inde gesta sint, irrita esse et rescindenda: haec autem extendi quoque debere in casum, quo inhibitio et protestatio fuerit interposita, atque omnes expensas omniaque damna esse resarcienda.

Post haec recoluit merita eiusdem Ioannis qui ab Episcopo pluries fuerat commendatus ipsi Gubernio civili ut retributionem meritorum haberet: contendit, novum Canonicatum quem ab Episcopo consecutus Ioannes fuerat tenues pariter quotannis redditus praebere, et non sufficientes ad congruam Canonici substentationem; recoluit, erectionem novi Canonicatus reputari irritam, eumdemque Canonicatum reputari extinctum tum quia dos imminuta esset, tum quia tamquam legitimus a Gubernio non admitteretur, quo in casu maxima dos eiusdem Canonicatus revertenda erat eidem Ioanni fundatori: recoluit, heic agi de fundatore, cui ad paupertatem vergenti faveant omnia iura; ideoque postulabat, ut saltem, nominatione novi Canonici suspensa ad vitam Ioannis, redditus eiusdem Canonicatus eidem tribuerentur.

Ad haec summa capita reducitur prolixa defensio Ioannis, in qua Orator interseruerat multos paragraphos depromptos ex

Digitized by Google

foliis quae proponuntur in S. C. C. a quibus indicandis abstinuimus (1).

Defensio episcopi. — Defensor qui partes Episcopi suscepit et Canonici Pauli, initio statuit, Canonicatum existere, et sacrilegum esse contra ss. canones adserere eiusdem suppressionem in societate ecclesiastica quae a civilibus legibus nullatenus pendet.

Compertum enim esse, recolebat, nullimode dubitari posse de canonica existentia ecclesiastici Beneficii quando haec praecipua concurrant: 1° erectio canonica, idest erectio auctoritate Ordinarii peracta qui dotem in acceptis habuerit et conditiones quae non adversentur substantiae Beneficii erigendi admiserit:

(1) Excribere continue paragraphos ex foliis S. C. C. iisdemque paginas implere, videtur esse methodus ad causas defendendas pessima: namque in iisdem foliis solent ex officio per summa capita indicari rationes, quae militare videantur in unaquaque quaestione tum *pro* tum *contra*. Quare si paragraphum afferas et inde aliquid confirmare velis, necesse est, ut ostendas, doctrinam canonicam ibi expressam esse doctrinam a S. Congregatione per subsecutam Resolutionem probatam et receptam; quod saepe fieri non potest nisi dissertationem aliquam instituas, idest referendo facti speciem, et ostendendo, rationes in citato paragrapho expressas esse eas, quibus mota sit S. C. ad iudicandum. Vel si valorem eiusdem expressae doctrinae desumas ex allegationibus in eo paragrapho comulatis Auctorum vel aliarum Resolutionum; ut certus de ea doctrina evadas, oportet, ut examines eas allegationes et Resolutiones: namque, cum eiusmodi folia saepissime contineant synopticam expositionem allegationum Causidicorum; incertus saepissime manes, an Causidici, qui omnem movent lapidem ut victoriam referant, recte accurateque Auctorum auctoritates vel Resolutiones allegaverint. Quare si qui sint, qui referant indiscriminatim et sine delectu hos paragraphos, et paginas defensionum impleant hisce paragraphis, fucum quidem facere possunt suis Clientibus si parum versati sint in canonica iurisprudentia; sed ad Iudices quod attinet, non aliud faciunt quam molestiam fortasse creare. Contra si nitidas auctoritates ad rem facientes adducerent in singulis ratiocinationis partibus, minore quidem scriptura sine legentium toedio, multo melius causam iuvare possent. Hoc tamen fieri non potest sine meditatione et labore.

Dixi indiscriminatim et sine delectu: namque in iisdem foliis quae ex officio a Secretario S. C. seu eius Auditore conscribuntur aurum traditionalis doctrinae saepe reperitur, cum exprimi allegarique soleant Resolutiones a S. C. antea datae circa materiam de qua agitur, quo in casu recte utiliterque paragraphi allegari possunt cum ipso nomine S. Congregationis.

Nec aliquis recte obiiceret, eam methodum vetustissimam esse penes S. Rotam; namque paragraphi decisionum S. Rotae continent rationes quibus S. Rota mota est ad decidendum: et eiusmodi rationes decidendi dantur et concinnantur ab ipso iribunali postquam decisionem dedit.

Digitized by Google

2° officia spiritualia adnexa a Clerico vel Sacerdote obeunda: 3° eiusdem Beneficii perpetuitas.

Atqui haec omnia abunde concurrisse in erectione Canonicatus iurispatronatus de quo agimus, quod ex apertis fundationis tabulis Defensor ostendebat.

Animadvertit autem, eos omnes apertissime errare, qui existimaverint, tamquam nullam considerandam esse erectionem huius novi Canonicatus, quia anno 1801 ex iam subtractis diremptisque universis ferme redditibus suppressus manserit. Namque si Apostolica Sedes benigne toleraverit eam suppressionem, non tamen paravisse obstacula ad impediendas novas fundationes quae futurae essent vi publici ecclesiastici iuris, quod nunquam impedit quominus fideles ecclesiastica fundent Beneficia.

In comperto autem esse, ob redotationem, iuspatronatus acquiri, de qua re inter caeteros Vivianus, *Praxis Iurispatr. lib.* 2 *c.* 1 *n.* 1 scripsit: « Dotans ecclesiam fundatam et constructam sine dote repertam de consensu Dioecesani in ea acquirit iuspatronatus, et si ecclesia sit fundata, constructa et consecrata, sed indotata, si dotetur cum dicto consensu, dotans fit Patronus. » *Et num.* 11. « Adde, quod redotans ecclesiam cum consensu Dioecesani, quae in totum dotem amisit acquirit iuspatronatus ratione dictae redotationis, et primus Patronus, idest ille, qui eamdem antiquitus dotavit, nullum, causa dictae dotationis, iuspatronatus in tali ecclesia habebit; verum si ecclesia dotem amisit, sed non in totum, tunc supplens dotem non adquirit iuspatronatus, quia tunc dicitur Benefactor, sed, volente primo Patrono et consentiente Dioecesano, efficietur Patronus dictae ecclesiae cum primo dotante. »

In praesenti themate eamdem esse familiam, quae antiquitus Canonicatum fundavit, quaeque redotavit, novamque Canonicatui tribuit vitam.

Quod si aliquid ex veteri dotatione supersit, non ideo illum ipsum veterem Canonicatum per novam dotationem posse censeri sed novum, novumque iuspatronatus, quamvis cogitaretur revixisse vetus. Ad hanc autem novam fundationem efficiendam satis ex canonica iurisprudentia censeri quantitatem redotationis quae superet medietatem praexistentis, Schmalzgrueber *ius eccl. univ. c.* 2 *de Iurepatr. n.* 59 *et* 60: « Distinguendum est,

Digitized by Google

» an talis ecclesia omnino non sit dotata, an vero dotata quidem, sed non sufficienter... Si posterius contingat, et dos solummodo augeatur, considerandum in qua quantitate et qua mente augmentum hoc fiat; nam, si quis modicum daret, non acquireret iuspatronatus, ut notat Glossa *in Can. Quicumque, caus.* 16, *q.* 7. Similiter si quis conferat aliquid in notabili quantitate, non tamen in dotem, sed in vim donationis, non dotator, sed dator et benefactor dicetur, Abbas in *can. Quoniam n.* 10: quare ut ex augmento dotis acquiratur iuspatronatus debet conferri expresse ex scientia Ordinarii in dotis augmentum et in summa excedente medietatem dotis iuxta sensum Rotae etc. »

Neque tolerantiam Concordati anno 1801 inter S. Sedem et Gallicum Gubernium inniti eo usque pertingere posse, ut Ecclesiae ademerit ius acquirendi in posterum, et gladium suppeditaverit ad vulnus sibi ipsi gravissimum infligendum. Quod si civiles administri secundum eorum consuetudines in ecclesiasticis negotiis sese ingerant, hoc quidem defleri debere, sed non in iure iudicioque probari. In iure siquidem sancitum haberi, laicorum statuta ad ecclesias et ecclesiasticas personas vel earum bona non posse protendi, *Cap.* 10 *de Constit.* in quo scriptum legitur: « *Nos attendentes, quod laicis super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid motu proprio statutum fuerit quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* »

Quod quidem fuisse firmatum animadvertit Defensor in Bulla adnexionis, quae incipit *Universi* diei 31 Decembris 1861, quibus Litteris Apostolicis exclusa est quaevis *dispositio catholicae Ecclesiae doctrinae eiusque iuribus quovis modo* adversa, praesertim cum, fatente ipso Supremo Pontifice, serenissimus Imperator asseveraverit: *se non solum eisdem sedibus et Clero congruam dotem esse attributurum, verum etiam asserturum Ecclesiae suum plenum liberumque ius, quo etiam in Gallia pollet retinendi, acquirendi et administrandi sua temporalia bona et possessiones.*

Quod si nonnullae leges introductae fuerint in Galliarum imperio, quae vulnus communi ecclesiastico iuri infligant, eas

Digitized by Google

ad aliquos dumtaxat referri effectus, puta ad Vicarii Capitularis electionem sede vacante, et ad numerum Canonicorum determinatum in externa politia: easdem tamen impedire non posse, ne subditi catholici ac praesertim ecclesiastici viri pensitent dotem ob spiritualia officia constituta iuxta Trid. *sess.* 25 *c.* 9. Nec quemvis declinare posse Tridentinam sanctionem, quae *in cap.* 11 *sess.* 22 *de Ref.* legitur his verbis: « *Si quem Clericorum vel laicorum... cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae seu cuiusvis saecularis vel regularis Beneficii ... bona, census ac iura.. fructus emolumenta seu quascumque obventiones quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios.... quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit... is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu.... Beneficiato integre restituerit ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.* »

In praesenti autem themate ipsum Iudicem civilem in ferenda sententia declarasse, se continere intra limites civilium, ut aiunt, effectuum, neque quaestionem tetigisse, utrum Canonici privandi essent Beneficiis a legibus civilibus ratis non habitis: imo postea, Praefectum civilem provinciae decrevisse, ut pars canonicalis dotationis non quidem Ioanni sed novo Canonico Paulo persolveretur: quare oppositionem totam creatam confectamque fuisse ex parte Ioannis, eumdemque proinde meminisse debere dictae Tridentinae censurae.

Nec omisit Orator recolere, leges civiles, quae in materia ecclesiastica latae sint, haud commovere Apostolicam Sedem, quae libere et independenter in iudicii sede et iustitiae ara suas Resolutiones emittit. Et hoc exemplum adducebat, idest, S. Sedem concedere dispensationes a matrimonio rato et non consummato, etsi apud Gallos civiliter non admittantur.

Quare nullatenus dici posse Canonicatum canonice erectum suppressum fuisse *ob vim maiorem vel aliam quamcumque causam* independentem a Sacerdote Ioanne; si aliquae enim perturbationes subortae essent, eas non alium habuisse auctorem nisi eumdem Ioannem: et ipsum Capitulum postea preces admovisse S. Sedi, ne erectus Canonicatus supprimeretur.

Post haec gradum fecit Defensor ad alteram quaestionem in prima dubitandi formula diserte contentam, utrum sustinenda

Digitized by Google

esset collatio Canonicatus facta Paulo. In primis removere curavit difficultatem, quae prima fronte sese offert, utrum Religiosus qui ex facultate Apostolica extra claustrum vivit, et ut dici solet saecularizatus, possit Canonicatum possidere, sine peculiari indulto Apostolicae Sedis. Quando enim indultum saecularizationis a S. Sede conceditur, provide quidem adiungitur clausula, ut eiusmodi Regularis substantialia vota cum suo statu compatibilia observet et congruo ad vitam substentandam patrimonio provideatur: sed ex ea clausula, non censetur Religiosum redditum fuisse habilem ad possidendum Canonicatum. Ad diluendam aliquo modo eiusmodi difficultatem Defensor ostendere studuit iura sanguinis per Professionem religiosam non extingui, et eos Religiosos, qui ad iuspatronatus vocati fuerint, posse hoc ius exercere, iuxta ea quae tradit Pitonius de *Contr. patrim. alleg.* 66 *n.* 16 ubi scripsit: « Numquam cadere potest in men» tem sensati testatoris, quod directa dispositio ad sanguinem » suum, defunctis omnibus aptis ad eius propagationem, voluerit » transituram esse successionem ad extraneos exclusa Moniali » seu Monacho de sanguine, et in quibus viget favor sanguinis et » conservatur agnatio quamdiu vivunt.» Immo innuebat Resolutionem S. C. C. in causa *Civitatis Plebis, Iurispatronatus passivi*, diei 27 Augusti 1853: agebatur in ea de Religioso viro, qui ob infirmam valetudinem praevio Apostolico indulto, egressus erat e Conventu fratrum Capuccinorum: plurimae in ea facti specie aderant quaestiones quoad lineas vocatas; proposito dubio: «an Sa» cerdos N. *(antea religiosus professus)* polleat iurepatronatus pas» sivo, illudque exercere valeat quoad provisionem Canonicatus » de quo agitur in casu» Emi Patres responderunt: *affirmative in omnibus*. Post haec, Defensor his verbis sibi viam aperuit ad collationem Canonicatus defendendam. « Vos autem in facti specie, » nullo legitimo contradictore adstante, cuinam Emi Patres Ca» nonicatum vacantem contulissetis in hisce constituti circum» stantiis, ne Beneficia cum iactura Divini cultus diutissime va» cent! At vestri augustissimi senatus prudentiae et sapientiae » innixus propitiam favore Curiae et infelicis Sacerdotis senten» tiam edituros fidentissime mihi adpromitto. »

Hinc ad difficultatem repellendam de publicatione resignationis per edicta non facta, animadvertit, eiusmodi publicatio-

Digitized by Google

nes insuetas in ea Curia fuisse, nec dari exemplum: nullum praeterea in casu adesse potuisse legitimum contradictorem, omnesque de resignatione fuisse admonitos: eam resignationem omnibus notam fuisse ex eo praesertim, quod Ioannes alterum consecutus fuerat sub eodem tecto Canonicatum ex munificientia Episcopi, ita ut etiamsi ipse per hypothesim Canonicatui non renunciavisset, ipso iure idem Canonicatus utpote incompatibilis vacavisset, Conc. Trid. *sess.* 24 *c.* 17 *de Refor.* Sancitum enim ibi fuit: « *Quicumque de caetero plura curata aut alias incompatibilia Beneficia ecclesiastica sive per viam unionis ad vitam, seu Commendae perpetuae aut alio quocumque nomine et titulo contra formam ss. canonum et praesertim Constitutionis Innocentii III. quae incipit* De multa, *recipere ac simul retinere praesumpserit, Beneficiis ipsis iuxta ipsius Constitutionis dispositionem ipso iure, etiam praesentis canonis vigore, privatus existat.* » Posita autem incompatibilitate Beneficiorum, per consecutionem secundi ipso iure ita primum vacare ut de eo statim disponi possit; de qua re inter caeteros sic scripsit Laurenius *lib.* 3 *tit.* 8 *q.* 65. « Ut provideri libere possit de Beneficio sive per collationem, » sive per electionem et institutionem sufficit vacatio de iure, » dum eius notitia habetur, v. g. quia constat aliquem consecu- » tum Beneficium incompatibile, absque eo quod etiam vacet de » facto et absque eo quod tum detentor illius citandus, seu vo- » candus sit, cum is iam ius et titulum Beneficii notorie ami- » serit. » Cum autem heic non ageretur de resignatione proprie dicta sed potius de vacatione per assecutionem novi Beneficii, frustra invocari Constitutionem Gregorii XIII. *Humano vix iudicio* (1).

(1) Gregorius XIII ad occurrendum fraudibus resignantium declaravit amplius veterem Regulam 34 Cancellariae et Constitutionem S. Pii V. de hac re editam; et ad rem nostram quod spectat in in ea Constitutione haec iussit §. 7 « *De Beneficiis autem quae deinceps in manibus Ordinariorum collatorum.... resignari etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negocium universum admissionis vel reiectionis resignationis huiusmodi et (si per eos facienda erit) provisionis resignati Beneficii, iuxta Apostolicas et alias canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses a die sibi factae provisionis illam publicet et possessionem Beneficii capiat modo et forma supra dictis, alioqui illis elapsis nulla sit eius provisio et Beneficium vacare censeatur ipso facto.* » Iuxta eiusmodi sanctionem tenebatur Paulus resignatarius (supposita resignatione de qua in hac Constitutione est sermo) facere

Digitized by Google

Alteram difficultatem petitam ex imminutione reddituum repellebat Defensor animadvertens, non esse confundendam Canoniam et Praebendam, cum Canonia perduret licet Praebenda variare possit ex accidentalibus causis: amissionem Libell. 97 vertendam esse culpae eiusdem Ioannis, qui non satis tutaverit per hypothecae inscriptionem hanc annuam praestationem: remedia non deesse saltem extraordinaria, quibus dos eiusdem Canonicatus iterum augeatur: omnes, quorum id intersit, postulare, ut Canonicatus non supprimatur. Denique ad rem roborandam adduxit Orator auctoritatem Card. De Luca de *Canonicis disc*. 36, in quo hic Auctor sequentia refert: « Cum in ecclesia Theatina » Archiepiscopus cum consensu Capituli novum erexisset Ca- » nonicatum cum bonis et redditibus a quodam pio viro adsigna- » tis et incorporatis mensae capitulari, ut propterea coaequalis » esset istius novi ac antiquiorum participatio massae, tractu » vero temporis bona ad hunc effectum assignata valde notabi- » lem diminutionem, peneque omnimodam peremptionem passa » essent, adeo ut antiquioribus Canonicis laesiva et praeiudi- » cialis remaneret haec nova erectio ob admissionem Canonici » ad coequalem participationem absque compensatione...» De hoc casu duriore consultus idem Auctor haec inter caetera respondit: « Circa oppositionem, quae fieret proviso ne Canonicatum » assequeretur, pro meo sensu, videtur *opus desperatum;* quo-

publicationem. Quid iuris si intra tres menses a die sibi factae provisionis Paulus praescriptam publicationem non fecisset? potuisset ne Ioannes Canonicatum a se resignatum vindicare? Hanc quaestionem resolvit Flaminius Parisius in opere *de Resignatione Benefic. tom.2. l. 11. q. 7. n. 20 et 87* his verbis: » Dubium tamen est, an ius abdicetur » a resignante ob non factam publicatio- » nem a resignatario. Communis respon- » sio est negativa inspecto tempore Re- » gulae Cancellariae *de publican.* et con- » stitutionis 182 S. Pii V... inspecto ta- » men tempore Constitutionis Grego- » rii XIII, dicendum est, ob non factam » publicationem a resignatario abdicari » ius a resignante et Beneficium vacare » ac posse conferri libere.... idque opti- » ma ratione videtur statutum, ut eo » magis obvietur fraudibus. Ex quo in- » fertur, quod, non facta publicatione, » non potest resignans repetere Benefi- » cium resignatum neque agere de spo- » lio, quia iam omne ius cecidit ab eo » iuxta dictam Constitutionem, quae est » in viridi observantia *(Parisius haec » scripsit circa anno 1590)* et sic huius- » modi Constitutio non solum annullat » actum, sed inducit vacationem Bene- » ficii resignati, quod procedit ubi resi- » gnatio est nulla ex dicto defectu, non » autem ex alio ut fuit resolutum in » Rota etc.»

Digitized by Google

» quoniam ubi non constat de praefinitione certi numeri Cano-
» nicorum praecise et taxative facta per Sedem Apostolicam,
» non prohibetur Episcopus novos erigere Canonicatus cum
» bonis et redditibus ad hunc effectum superventis. Potissime
» vero et cum minori ratione dubitandi, ubi accedat consensus
» Capituli, et per consequens diminutionem bonorum et reddi-
» tuum istius Canonicatus noviter erecti causare posse dicebam
» praetensionem in Capitulo dissolvendi dictam communionem,
» atque non admittendi novum Canonicum ad coequalem par-
» ticipationem massae capitularis, sed quod contentus esse de-
» beret sola dote per fundatorem assignata; non autem ut id
» destrueret Canonicatum iam valide erectum in substantia ob
» alterationem huius accidentis, dum id nullum iuris fundamen-
» tum habere videretur.»

Quoad protestationes a Ioanne emissas et ab Episcopo spretas respondit Defensor, id iure meritoque fecisse Episcopum, tum quia protestationes inniterentur falsis principiis, tum quia urgeret officium vacantem Canonicatum conferendi: et per summam iniuriam Episcopum de attentatis redargui, cum attentatum definiatur spretus legitimae inhibitionis. Neque recursum Ioannis ad S. Sedem suspendere potuisse inquiebat Episcopi iurisdictionem, cum simplex recursus a Superiore Iudice Iudici inferiori non notificatus nunquam impedimentum procedendi inducat; ad id probandum allegabat *Clem.* 2 *tit.* 6 *ut lite pend.* in qua legitur: « *Cum lite pendente nihil debeat innovari; litem quoad hoc pendere censemus, postquam a iudice competenti in ea citatio emanavit et ad partem citatam pervenit, vel per eam factum fuit quominus ad eius notitiam perveniret. Dum tamen in citatione praedicta talia sint expressa per quae plene possit instrui super quibus in iudicio convenitur.* » Huic textui innixus Lancellotus in opere *de Attentatis par.* 2 *c.* 4 *n.* 13 docet: « ubi requiritur
» citatio oblatio facta Principi non deducit rem in eum statum,
» ut quis propterea dicatur incidere in poenam, ut patet in *l.*
» *Libertus ff. de in ius voc.* ubi oblatis Principi per libertum pre-
» cibus (si ulterius non citavit patronum) non dicitur incidere
» in poenam quinquaginta aureorum.»

Ad haec amplius declaranda atque confirmanda adduxit Orator ea quae docet Ferraris in *Biblioth. can. ver. Apellatio n.* 6.

Digitized by Google

« Appellatio iudicialis et extraiudicialis tripliciter differunt inter » se. Primo, quia appellatio iudicialis supponit iudicium esse » coeptum, cum sit provocatio a iudice inferiore ad Superiorem. » Appellatio vero extraiudicialis non supponit iudicium incoe- » ptum, sed ipsum iudicium, seu causam incipit; tunc enim » solum incipit causa, cum interponitur ipsa Appellatio Extra- » iudicialis, et ideo magis proprie dicitur provocatio ad causam, » ut habetur. *cap. Cum sit Romana* his verbis: *Sacri Canones » etiam extra Iudicium passim appellare permittunt. Nec solent » huiusmodi dici Appellationes, sed provocationes ad causam.* Se- » cundo differunt, quia Appellatio Iudicialis supponit necessario » Iudicem *a quo,* et Iudicem *ad quem*, Extraiudicialis vero non » necessario supponit Iudicem *a quo* cum possit extraiudicialiter » appellari etiam contra alium quemcumque gravantem distin- » ctum a Iudice. Tertio differunt, quia appellatio Iudicialis etiam » male simpliciter proposita suspendit executionem, et facit in » contrarium attentata revocari, *cap. Post appellationem § Appel- » latione caus. 2 q. 6 et 8 cap. Dilectis filiis, de Appellation.* Ex- » traiudicialis autem non suspendit executionem, nec facit in » contrarium attentata revocari, nisi sit bene et rationabiliter » proposita, expressa etiam causa legitima appellandi, quae ut » talis sit a Superiore admissa, ut colligetur *ex cap. Constitu- » tus 45 de Appellat. et ex cap. Cum inter 16 de election.* ubi ex- » presse habetur: *Appellationem illam dicimus legitimam non » fuisse, nnde per eam electio non potuit impediri.* »

Et *art.* 10 *n.* 1 haec idem Auctor de attentatis tradit: « At- » tentata idem sunt ac innovata contra ius lite seu appellatione » pendente. Colligitur ex *l. Unica ff. Nihil novari appellatione » interposita*, et ex toto titulo 16 *Ut lite pendente nihil inno- » vetur.* Et merito dicuntur innovata, quia, si nihil innovetur, » seu non fiat aliquid novi, quod antea incoeptum non fuerit, » non vocatur *attentatum*, sed potius *continuatum*. Attentare » enim non dicitur is, qui facit actum continuatum, idest qui » continuat actum praecedentem, quia lis seu appellatio non » debet quemcumque sua possessione privare, et nemo tenetur » desistere a continuatione sui iuris aut possessionis propter ali- » quam appellationem. »

His copiose disputatis proposita sunt resolvenda

Digitized by Google

Dubia

I. « An sustineatur nominatio et institutio ad Canonicatum » favore *(Pauli B.)* in casu.

» Et quatenus negative:

II. » An et quomodo providendum in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii discussa causa in comitiis habitis die 13 Iunii 1868 respondere censuit: Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Provisum in primo.*

Causae prosecutio. — Appellante seu accuratius novam audientiam postulante Procuratore Ioannis B. qui in causa succubuit, iterum quaestio disceptata est.

Defensio episcopi et canonici pauli. — Cum Pauli Patrocinator intellexisset inter caetera contra Paulum opponi inidoneitatem possidendi Canonicatum ob statum Regularem quem professus fuerat, sine mora curavit, ut idem Paulus contra eiusmodi difficultatem se opportune quantum fieri posset ad cautelam saltem muniret.

Paulus SSmo Patri supplicem libellum obtulit in quo haec exposuit: se tanquam pauperem et pertinentem ad familiam fundatorum obtinuisse ab Episcopo Canonicatum dimissum a suo fratre Ioanne: Antequam Canonicatus sibi conferretur, Episcopum sibi significasse, ut curaret per S. Pontificem se idoneum fieri, cum esset Regularis: se Episcopo respondisse, id sibi non videri necessarium cum obtinuisset saecularizationem cum onere constituendi sibi sacrum patrimonium pro congrua substentatione, seque putare id posse constitui in Beneficio suae familiae; quod si tamen aliqua difficultas hac de causa oriretur, se paratissimum esse ad admovendas preces S. C. Episc. et Reg. ad obtinendas necessarias facultates: eas preces postea se reapse admovisse, Rescriptumque favorabile obtinuisse adiecta clausula *pro eius congrua substentatione:* sed tamen hanc facultatem obtinuisse nonnullis mensibus elapsis a die collationis Canonicatus, ideoque se ad cautelam quatenus opus esset, petere sanationem.

Hae preces a S. Congregatione Episc. et Regul. exceptae benigne fuerunt et die 7 Iulii 1868 sequenti Rescripto fuerunt dimissae: « *Vigore specialium facultatum a SSmo D. N. concessarum, S. Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium*

Digitized by Google

negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita benigne commisit Episcopo (N.), *ut dummodo ius alteri quaesitum non laedatur, petitam pro suo arbitrio et conscientia indulgeat sanationem in omnibus iuxta preces.* »

Cum autem hoc Rescriptum de more integram incolumemque relinqueret pendentem quaestionem per expressam clausulam *dummodo ius alteri quaesitum non laedatur,* Defensor Pauli sustinuit in praesenti themate nullum ius alicui laedi. Idque ostendere studuit ex eo quod Ioannes duo incompatibilia Beneficia retinere nullatenus posset, cum, primo dimisso, alterum Canonicatum consecutus esset; ideoque quodvis ius amisisse in primo Canonicatu.

Neque oggeri ad invidiam posse inquit Orator, Rescripta et Privilegia lite pendente in praeiudicium alterius partis impetrata subreptitia censeri: namque, respondebat, Rescriptum praeiudicium nullum Ioanni afferre; neque eumdem impedire ullatenus posse, quominus S. Sedes, pendente lite, idoneum redderet Paulum ad possidendum Canonicatum in quo ipse Ioannes omne ius amisisset per consecutionem alterius Canonicatus; praesertim vero, quod Rescriptum postulatum esset ad alterum iam obtentum sanandum quatenus opus esset: et eo vel magis id admitti deberet, quod, cum Paulus saecularizatus legitime iam esset cum conditione constituendi sibi patrimonium sacrum, sub generico sacri patrimonii nomine, primo loco, iuxta iurisprudentiam canonicam, Beneficium ecclesiasticum intelligatur, quod est proprius S. Ordinationis titulus; patrimonium vero vel pensio nonnisi titulus subsidiarius et extraordinarius, Conc. Trid. *sess.* 21 *c.* 2. *de Reform.*

Altera difficultas mota in eo erat posita, quod Ioannes fundaverat Canonicatum ex bonis quorum pars constituebat suum patrimonium sacrum; ideoque locum esse Tridentinae sanctioni *cap.* 2 *sess.* 21 *de Ref.* in quo sic statuitur. « *Is vero Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur nisi constito quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit.* » Quamvis autem de hoc patrimonio mentio in Decreto erectionis facta non erat, tamen, facto admisso, Defensor Pauli contendebat, nullum ius inde Ioannem posse iactare, quod sic

Digitized by Google

ostendere curavit: Teste Gallemart, in *adnot. ad Conc. Trid. decl.* 3, S. Congregatio Concilii censuit, « tutum etiam in conscien- » tia eum, qui Beneficium ad cuius titulum erat promotus, resi- » gnavit, et aliud ex causa permutationis obtinuit, tacendo in » resignatione quod erat promotus ad titulum primi Beneficii; » dummodo secundum Beneficium sit aequivalens primo. » Et facta animadversione, in themate de quo agimus saepedictum Ioannem consecutum esse Canonicatum primo pinguiorem, inquiebat Orator, eam doctrinam esse communem, et plene confirmatam a S. Congr. in *Asten. Resignationis Beneficii* die 3 Aprilis 1734.

Defensio Ioannis. — Patrocinator Ioannis in hac nova causae propositione contendit in primis, nullam esse Canonicatus collationem et canonicam institutionem factam Paulo, quia hic utpote Regularis, licet saecularizatus, non potuerat in Canonicatu institui. Ad id ostendendum animadvertit, eam esse praxim S. C. Episc. et Regular. ut, cum aliquis Regularis ex legitima causa extra claustra vivere petat, ante omnia S. Pontifex eidem praescribat, ut sibi patrimonium sacrum constituat per consuetam Rescripti formulam: «*dummodo Orator provisus sit de sufficienti patrimonio sacro rite constituto pro eius congrua substentatione:*» et si necessitas aut Ecclesiae utilitas postulet, indulgeri quidem Regulari assecutionem Beneficii, sed tamquam administratori, iuxta hanc consuetam Rescripti formulam: « *Oratorem habilitet ad unum tantum Beneficium ecclesiasticum* . . . . . *canonice assequendum et retinendum nomine S. Sedis titulo administrationis pro eius congrua substentatione.*» Item novam facultatem exigi si de Canonicatu ecclesiae cathedralis assequendo agatur cum Dignitate coniuncto.

Haec autem confirmare curabat pluribus allegatis Resolutionibus S. Congregat. Concilii in quibus traditur, Regulares non posse suscipere haereditatem, *Pisauren. Haereditatis* die 11 Ianuarii 1727, et *Colonien. dispensationis* diei 9 Februarii 1732 in qua tamen confirmatum reperitur dumtaxat vulgatum generale principium, quo traditur, Beneficia saecularia Regularibus et e converso regularia saecularibus conferri non posse; item in *Recineten. Cappellaniae* diei 22 Iunii 1743: allegavit pariter Orator causam *Conchen. super exsecutione Rescripti* diei 3 Septem-

Digitized by Google

bris 1852 agitatam penes S. C. Episc. et Reg. relatamque ab Emo Card. Bizzarri in *Collectanea in usum Secretariae S. C. Ep. et Reg. pag.* 665, nec non *Placentinam Institutionis* diei 24 Augusti 1850 et 31 Iulii 1852 penes S. C. C. agitatam, in quibus de exsecutione Rescripti agebatur a Regularibus saecularizatis obtenti ad possidendum ecclesiasticum Beneficium.

Post haec contendit Orator, nullam declarandam esse resignationem Canonicatus factam a Ioanne, cum illi Canonicatui adnexus esset titulus sacri patrimonii: recolebat, Ioannem bona sua, comprehenso patrimonii titulo contulisse in Canonicatus fundationem: in comperto autem esse titulum s. Ordinationis non posse resignari donari alienarique, nisi prius alius titulus solemniter subrogetur: et ita S. C. C. in *Aquilana* die 24 Februarii 1652 declarasse: « *S. Congregatio respondit; Renunciationem patrimonii, ad cuius titulum Clericus simpliciter sacris Ordinibus fuit initiatus, absque licentia Episcopi factam, non sustineri etiam post assecutionem Beneficii ad eius vitam sufficientis:* item in *Bitecten*. die 28 Novembris 1686 et die 12 Iulii 1687: cum saepe contingeret ut parentes patrimonia filiis constituerent cum clausula, donec de aliquo Beneficio ecclesiastico provisi fuerint, vel aliunde habeant quo commode vivere possint, proposito dubio: « An bo-
» nis ad commodam substentationem postea quaesitis vel Be-
» neficio sufficienti adepto, statim patrimonium evanescat: vel
» potius requiratur expresse subrogatio bonorum seu Beneficii as-
» secuti ab Episcopo facienda loco patrimonii, qua subrogatione
» expresse non facta, patrimonium adhuc vigeat nec expiret prae-
» dicta clausula non obstante? » S. Congregatio censuit: « *danda*
» *esse Decreta alias edita et signanter die* 8 *Augusti* 1602. *tenoris*
» *sequentis:* Quaeritur: an verba illa Concilii in *c.* 2 *sess.* 21, *at-*
» *que deinceps alienari,* ita intelligenda sint, ut, postquam ordi-
» natus adeptus fuerit unde vivere possit, requiratur etiam li-
» centia Episcopi ?» S. C. censuit; *requiri licentiam, quamvis ordinatus sit adeptus*.

Quin imo contendit neque posse loco patrimonii subrogari novum Canonicatum, quem Ioannes ab Episcopo obtinuit; namque, etsi redditus huius Canonicatus a Municipio solvebantur, tamen ille non comprehendebatur inter Canonicatus a Gubernio Gallico recognitos; ideoque Orator affirmabat, si locale Munici-

Digitized by Google

pium solvere eos redditus recusaret, Ioannem nullam habere actionem ad redditus eius Canonicatus sibi vindicandos: e contrario, patrimonium sacrum non posse constitui nisi in re tuta ac stabili quae pariat realem actionem.

Constabat porro in facto ex novis documentis in medium deductis, Ioannem suum patrimonium sacrum contulisse in erectionem Canonicatus, quod quidem patrimonium consistebat in annuo redditu libell. 250. Constabat pariter simile patrimonium sacrum Paulum in egressu coenobii consecutum a Patre fuisse, quod adhuc possidebat praeter obtentum Canonicatum. Praeter haec Orator plura repetiit, quae in antecedenti Allegatione adduxerat, postulans denique suspensionem saltem Canonicatus ad vitam Ioannis.

Hisce itaque adductis et copiose disputatis proposita de more sunt S. C. C. sequentia

Dubia

I. « An sit standum vel recedendum a decisis in primo du-
» bio in casu.

II. » An sit standum vel recedendum a decisis in secundo
» dubio in casu.»

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 12 Septembris 1868 causa iterum discussa respondere censuit:

Ad I. *In decisis iuxta modum: nempe, ut sint salva iura Canonici* (Ioannis) *pro annuis libellis* 250 *contra quem de iure, in casu quo deficiant redditus Canonicatus quo nunc potitur; et facto verbo cum SSmo.*

Ad II. *In decisis.*

Hac emissa Resolutione Ioannes seu eius Procurator novae audientiae beneficium petiit obtinuitque sed in hac tertia causae propositione nihil ferme novi deduxit, nisi can. 16 q. 7 Concilii Toletani, quo haec traduntur: « Quicumque fidelium propria de-
» votione de facultatibus suis Ecclesiae aliquid contulerit, si forte
» ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ec-
» clesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant. » Inquiebat autem, Canonicatum, quo nunc potitur, parem non esse ad eius vitae substentationem; praesertim vero ob caritatem annonae, domorum, vestium aliorumque id genus, quae hiberno prae-

Digitized by Google

sertim tempore ob maiorem exterorum affluentiam persentiretur; idque variis argumentis ostendere studuit.

Sed e contrario Defensor Pauli, authentico documento adducto, ostendit, fructus Canonicatus quo fruitur Ioannes, ascendere ad libellas annuas 938, 70: hos fructus conscriptos esse in publico debito Municipali, quin periculum subesset eos amittendi: Ioannem fundatorem *vitae suffragium*, iuxta allegatum canonem, iam obtinuisse per Episcopi munificentiam, qui eidem contulit Canonicatum multo pinguiorem.

Hisce iterum propositis in Congregatione diei 23 Ianuarii 1869 sub iisdem dubitandi formulis modo expositis S. C. respondit; Ad I. et II. *In decisis et amplius*.

Ex quibus inter caetera colliges:

I. Publicum Ecclesiae ordinem nullatenus pendere a publico civili ordine, etsi S. Sedes ad maiora praecavenda mala interdum patienter per Concordata indulget, aut tolerat, ut civilis ordo in nonnullis ecclesiae rebus sese ingerat.

II. Quare Beneficium canonice erectum sub explicita conditione, ut in casu violentae suppressionis bona eiusdem ad fundatores revertantur, non posse censeri suppressum vel invalide erectum, quia leges civiles in suo ordine publico tamquam legitimum non recognoscant (1).

(1) Ex ea consuetudine iuri publico ecclesiastico adversa, ut Gubernia civilia rata non habeant Ecclesiae instituta, quae in civilibus legibus considerata non sint; et e contrario ea agnoscant et tamquam propria Status tueantur, quae in legibus aut consuetudinibus considerata constitutaque sint, oritur quaedam anomala mixtura rei ecclesiasticae et civilis, quae in republica utriusque societatis eam confusionem facile inducit, cuius exemplum in praesenti causa deprehenditur. Iudices civiles facillime in re ecclesiastica se ingerunt, et prae oculis habent civiles leges, quas in eadem ecclesiastica materia modo temperant modo extendunt modo se dicunt incompetentes modo uti competentes iudicant et decernunt. Episcopi, qui ex proprio iure iuxta ecclesiasticas leges iudicare et decernere deberent, suam iurisdictionem interceptam vident; neque impedire valent quominus Clerici ad civilem Magistratum se convertant in re ecclesiastica, imo et in causis Clericorum; vel quominus idem Magistratus se in hisce negotiis ingerat. Iidem Clerici non raro SS. Canonum obliti competentem hisce in negotiis Magistratum civilem existimare videntur, quem videt exercere coactivam auctoritatem quam frustra fortasse exerceret Episcopus.

Ad honestandam eiusmodi praxim dici quidem a nonnullis solet, Iudicem civilem iudicare in materia ecclesiastica quoad civiles effectus: quibus responderi pos-

Digitized by Google

III. Neque Beneficium canonice erectum censeri posse suppressum neque supprimendum esse ob imminutam ex quavis causa dotem in fundatione constitutam, licet in eum casum incidat a quo fortasse non fuisset incoeptum.

IV. Colliges praeterea, caeteras quaestiones ad invidiam potius fuisse excitatas, cum Actor, primo Canonicatu in suo robore consistente, nihil iure consequi potuisset (1).

V. Regulares saecularizatos per solum saecularizationis indultum non reddi a S. Sede idoneos ad possidenda Beneficia, eisque tantum indulgeri, quantum in verbis indultum exprimatur (2).

VI. Patrimonium ecclesiasticum vel Beneficium, quod titulo S. Ordinationis possideatur, non censeri ipso facto subrogatum per assecutionem alterius Beneficii, nisi interveniat Episcopi auctoritas, quae secundum loco primi subroget (3).

VII. Colliges denique, quamvis appellatio, quae *in suspensivo* interponi possit, statim suspendat iurisdictionem iudicis *a quo*, non tamen eamdem vim habere simplicem recursum seu provocationem ad iudicem superiorem, nisi postquam superior provocationem admiserit.

VIII. Neque simplices protestationes apud acta Curiae emissa posse intercipere iurisdictionem atque impedire quominus iudex aut superior in suo iure procedat, nisi rationabiles detegantur.

IX. In praesenti themate irrationabiles protestationes fuisse detectas et provocationem ad S. Sedem fuisse Curiae significatam tantum a Ioanne postquam literas nominationis et institutionis Paulus acceperat.

set, civiles effectus, si ita loqui fas sit, in materia ecclesiastica et personis ecclesiasticis consequi debere ex sententia Iudicis ecclesiastici in societate catholica. Sed, hac consideratione praetermissa, illud dictum maximae aequivocationi est obnoxium, et in facto facile convertitur in principium illud reprobatissimum, quod dicunt *ius cavendi*, in spretum ecclesiae, cuius publica auctoritas vix et ne vix quidem in consideratione habetur.

(1) Ipsa dubitandi formula quam partes acriter contendentes Sac. Congregationi proposuerunt, eiusmodi est, ut sive S. C. respondisset *negative*, sive *affirmative*, nihil exinde Ioannes obtinuisset. In casu negativae responsionis supererat tantum Ioanni aliqua remotissima spes obtinendi fortasse aliquid ex gratia.

(2) Videsis Appendicem X.

(3) Confer causam quam adduximus in Vol. III. pag. 535. Animadverte tamen in praesenti causa talia concurrisse adiuncta, ut subrogatio iam satis esset inclusa in ipsa nova collatione pinguioris Canonicatus, qui collatus est Ioanni loco primi.

Digitized by Google

Die 23 Ianuarii 1869.

Compendium facti. Causam hanc, quae iterum redit, exposuimus in fasciculo 40, *pag.* 190. Proposita ea fuit sub dubitandi formula: « An sit consulendum SSmo pro dispensatione su- » per matrimonio rato et non consummato in casu. » Cui S. C. C. » die 18 Iulii respondere censuit: *Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.*

Defensor matrimonii ex officio Romae deputati, hac edita Resolutione, iuxta Benedictinam Constitutionem novam audientiam petiit, et causa iterum in disceptationem venit exquisitis ex officio novis Votis ab alio Theologo et Canonista.

Lectores nostri synopticam facti disceptationisque expositionem iam noscunt ex prima propositione causae; proindeque heic non aliud superest exponendum, nisi quod illis fuerit additum, aut sub nova ratione expositum.

Disceptatio synoptica.

Votum theologi. — Theologus post facti enarrationem, gradum fecit ad ostendendum modum quo iuxta sacros canones probari possit matrimonium causa impotentiae non fuisse consummatum. Et cum S. Thoma *in Suppl. q.* 5 *ar.* 1. animadvertit « Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo huiusce » rei potest esse experimentum, scilicet triennium. Quod si post » triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam » carnali copulae implendae, inveniatur matrimonium non esse » consummatum, iudicio Ecclesiae dissolvitur. »

Quomodo autem ostendatur, coniuges unam carnem factos non fuisse, iuxta veterem Ecclesiae praxim, eruit ex *Cap.* 4 *de Frigid. et Malefic.* in quo Caelestinus III. haec tradidit: *Si autem quod nunquam se invicem cognoverint ambo fateantur, cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam, una caro effecti fuissent, et tunc videtur, quod mulier valeat ad secundas nu-*

Digitized by Google

ptias convolare. Item ex *Cap. Proposuisti* 4 *de Prob.* in quo propositum fuit Gregorio VIII. quod « *Mulier proposuit, se nec a viro cognitam, nec potuisse cognosci, quod tam iuramento, quam testimonio septem mulierum probavit, quae per adspectum corporis eam esse virginem asseverant, viro per iuramentum suum contrarium asserente.* Cui respondit Pontifex: *Videtur igitur nobis quod iuramento puellae et testimonio illarum septem mulierum fides est potius adhibenda.* Item in *cap. Causam* 14 *de Prob.* Ex quibus cum auctoritate Doctorum eruebat Theologus modum ad virginitatem mulieris probandam: idest iuramentum mulieris, adspectum corporis, triennale experimentum, testimonium septimae manus: non autem requiri signa impotentiae in corpore viri.

Cum autem omne probationum genus in themate de quo agimus locum habuerit, plenam haberi concludebat probationem.

Haec quidem satis superque esse, subiungebat, si mota non esset difficultas ex iudicio Peritorum iudicialium qui signa potentiae in viro existere asseruerunt. Verum et hanc difficultatem diluebat duplici praesertim animadversione; primo, quia tres priores Periti extraiudiciales probitate et arte medica praestantes sine ulla dubitatione iudicaverant virum omnino impotentem ex pluribus indiciis ex universa viri corporis inspectione et ex aliis etiam perspectis extrinsecis argumentis: contra, iudicium Peritorum iudicialium, minus plenum esset censendum, cum in nonnullis tantum externis signis versatum fuerit, et compertum sit, externas corporis partes non semper patefacere vitium quod intrinsecus latet. Secundo quia probatio canonica non exigit ut virginitas mulieris ostendatur per phisica impotentiae signa in viri corpore a Peritis reperta; cum hac in re experimentum praevalere debeat. Haec quidem omnia opportunis auctoritatibus Theologus confirmavit: atque deinde ad causas dispensationis gradum fecit.

Votum Canonistae. Canonista totam quaestionem coercuit in unico difficultatis cardine; idest in dicto Peritorum iudicialium testimonio, atque ea quae sequuntur accurate animadvertit: 1° iudicium Peritorum iudicialium circa viri potentiam pugnare cum sententia peritorum extraiudicialium; atque idcirco si res ex medicorum tantum iudicio definienda esset, cum sententiae per

Digitized by Google

oppositionem elidantur, ad summum opinionem Peritiorum expetendam esse: 2°. sed re penitus inspecta, iudicium Peritorum extraiudicialium esse praeferendum tum quia latum esset in ipso controversiae initio cum res adhuc integra erat et omnis de collusione aberat suspicio; tum quia non omnes solum iudicarunt de externis signis; tum denique quia Periti iudiciales non certam sed mere possibilem consummationem affirmarunt: 3.° impotentiam viri non semper ex exterioribus signis apparere, sed saepe ex latenti vitio, quod medicorum oculos effugiat, scatere, eamque proinde non tam ex simplici inspectione corporis, quam ex facto diudicandam esse: 4.° non agi hic de iudicio impotentiae, sed de non consummatione; quo in casu, non quid possit vir, sed utrum integra sit mulier, disquiri: 5.° huiusmodi vero mulieris integritatem iudicari non ex sola corporis inspectione, sed ex ipsius mulieris reclamatione ex coniugum iuramento ex septimae manus depositione iuramento confirmata; quae omnia quoties simul conspirent ad non consummationem conclamandam, plenissimam probationem facere, neque aliis rationum momentis in dispensationibus a matrimonio rato et non consummato concedendis S. Congregationem inniti: 6.° multis exemplis demonstrari, bene stare posse iudicium Peritorum de potentia viri cum sententia S. Congregationis de matrimonio non consummato, et de dispensatione concedenda a matrimonio simpliciter rato, ut nominatim contigisse in *Neapolitana* mense Aprili 1858, in qua licet vir a Peritis renunciatus fuerit *exemplar viri-potentiae*, attamen S. C. pro dispensatione concedenda SSmum consulendum esse censuisse: 7.° denique, adeo verum esse, iudicium Peritorum de viri potentia in huiusmodi causis parum attendi, remque omnem ex mulieris integritate confici, ut hac cognita, non desint exempla dispensationum sine inspectione corporis viri.

Hisce autem animadversis iterum consideravit Canonista, in praesenti themate Peritos iudiciales locutos fuisse non de facto consummationis, imo ne de ipsa quidem probabilitate, sed de mera possibilitate quae quanti facienda sit, quando quaestio circa factum agitur, opus non esse demonstrare: aliud enim esse dicere consummationem posse haberi sine mulieris laesione, ut ipsi iudicarunt; aliud esse statuere in facto consummationem habuisse locum, quin ullum consummationis vestigium fuerit relictum:

Digitized by Google

in facto autem nullum ne tenuissimum quidem fuisse vestigium relictum testatas esse obstetrices, omni diligentia adhibita omnibusque experimentis, praesertim vero balneo aquae calentis.

Post haec expendens Canonista attestationes Peritorum extraiudicialium, ostendebat gravissima esse impotentiae indicia, quibus innixi de omnimoda impotentia viri hi Periti iudicarunt.

Animadversiones defensoris Matrimonii. — Defensor ex officio recolens et inculcans, aversionem mulieris extemplo contigisse post plures amoris annos contra perpetuas obligationes in matrimonio contractas, totus in eo erat, ut insinuaret negligendas esse attestationes extraiudiciales priorum Peritorum, et unice in consideratione esse habendas attestationes quinque Peritorum iudicialium qui potentem virum iudicarunt ad possibilem saltem matrimonii consummationem sine laesione mulieris.

Admissa autem sola possibilitate consummationis, matrimonium solvi non posse, quod nonnullis allegatis exemplis ostendere studuit.

Hisce aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium

« An sit standum vel recedendum a decisis in casu. »

Resolutio S. Congregatio Concilii, causa denuo discussa in comitiis habitis die 23 Ianuarii 1869, respondere censuit: *In decisis*.

Ex quibus colliges:

I. In hisce causis argumentum praecipuum ad ostendendum, matrimonium non fuisse consummatum, desumi ex integritate virginali mulieris.

II. Hac integritate rite ostensa, abstractam possibilitatem ex parte viri desumptam, qua tradatur, ipsum posse matrimonium consummare absque virginali laesione mulieris, posthabendam esse.

III. Eamdemque possibilitatem spernendam omnino esse, si talia in facto concurrant adiuncta, quae eam, si qua sit, ad actum devenisse satis excludant.

Digitized by Google

BENEFICII.

Die 23 Ianuarii 1869.

Compendium facti. Pius Canonicus N. per codicillares tabulas simplex Beneficium erigi iussit his verbis: *mortuo eodem testatore, Archipresbyter N. tanquam exsecutor testamentarius, citius quam fieri possit, erigat et fundet auctoritate et Decreto Ordinarii in ecclesia cathedrali ad altare D. perpetuum simplex Beneficium ecclesiasticum quod nuncupabitur Abbatia S. Domnini*. Constituto autem iurepatronatus activo et passivo, ad iuspatronatus passivum quod attinet, voluit, ut eligeretur *Clericus aut Sacerdos* ex linea masculina familiae M.

Mortuo testatore, eius voluntas religiose exsecutioni mandata est. Nunc illud Beneficium simplex iuxta legem testatoris possidebat Ioannes M. Clericus, qui in eo Beneficio simplici anno 1842 canonice fuerat institutus.

Verum nonnullis elapsis annis Ioannes e sua in aliam urbem extra dioecesim demigravit, in qua causidici munus obiens tonsuram et clericalem habitum dimisit. Eius Episcopus per Vicarium Generalem dioecesis, in qua Ioannes versabatur, eumdem monuit ob vitae rationem eiusdem haud probandam; praesertim vero ob modum habitum saecularem gestandi.

Ioannes qui nec bonam morum famam sibi comparaverat, cum ab hac vitae ratione non desisteret, duo Patroni preces admoverunt penes episcopalem Curiam, ut per sententiam declaratoriam Ioannes privatus Beneficio existeret iuxta Constitutiones Sixti V. *Cum sacrosanctam* dieì 18 Ianuari 1589, et Benedicti XIII. *Catholicae Ecclesiae regimen.* diei 2 Maii 1723, atque inde Patronus activus nominare iterum posset, et qui passive nominandus esset, gauderet iuribus a testatore statutis.

Vicarius Capitularis (sedes enim episcopalis vacaverat), ea omnia, quae sibi a ss. canonibus praescripta videbantur servavit, priusquam ad sententiam procederet. Quocirca per edicti affixionem ad valvas tum ecclesiae cathedralis tum paroecialis intra cuius fines Beneficii bona sita sunt, die 20 Decembr. 1864 citatus Ioannes fuit ad omnes iuris effectus, ut intra novem dies

Digitized by Google

in tres suetos terminos dispertitos, coram ipso Vicario Capitulari personaliter sisteret, ut si quid in sui excusationem haberet depromeret. Citati etiam fuerunt quatuor testes, qui ad probandam intentionem ab actoribus expressam idonei reputabantur.

Statuta die, tum unus ex actoribus, tum reus conventus, tum vacati testes coram Vicario Capitulari se stiterunt.

Interrogatus Ioannes, penitus negavit se habitum clericalem et tonsuram dimisisse: fassus est tamen se tantum barbam comptam gessisse, ut quemdam quo laborabat morbum tegeret. Interrogati deinde fuerunt coram ipso reo convento quatuor rogati testes, qui, iuramento interposito, unanimes affirmarunt a tribus saltem abhinc annis causidicum Ioannem clericales vestes abiecisse.

Expleto testium examine, ad insequentem diem processus continuatio, causaeque definitio dilata fuit, utroque assentiente, actore scilicet et reo convento.

Verumtamen Ioannes, licet se adventurum spopondisset, non advenit, sed tantum protestationem misit, qua simpliciter asseruit, verum haud esse, se clericalem tonsuram habitumque dimisisse, nec se indignum reddidisse Beneficio in quo fuerat canonice institutus: seque adimplere accurate fecisse obligationes Beneficio inhaerentes: ideoque se formaliter protestare adversus quemvis actum sua iura laedentem: seque *(stultissime causidicus adiiciebat)* non alias nisi leges civiles, nullamque aliam auctoritatem praeter status civilis auctoritatem agnoscre.

Hac protestatione habita et lecta, auditisque Procuratoris Fisci conclusionibus, Vicarius Capitularis eadem die sententiam definitivam edidit, qua declaravit, constare, Ioannem tribus abhinc annis deposuisse habitum ecclesiasticum, ita ut incurrerit in poenas quae comminatae sunt in dicta Constitutione Benedicti XIII; ideoque declaravit, eumdem Ioannem a Beneficio ecclesiastico privatum, illudque ad omnem iuris effectum vacare. Item declaravit, tempus privationis computandum esse tribus abhinc annis, ideoque ad normam dictae Constitutionis, Ioannes teneretur restituere fructus omnes eiusdem Beneficii indebite perceptos et Fabricae ecclesiae cathedralis applicandos.

Prolata huiusmodi sententia, oeconomus Beneficiorum vacantium a civili Gubernio constitutus *(iuxta civiles libertatis altioris*

Digitized by Google

ordinis leges, inveterato principio, unicuique suum) Beneficii possessionem accepit, cum illud uti vacans iuxta sententiam haberet.

Post hanc sententiam Ioannes per duos et amplius menses omnino siluit donec apud acta Episcopalis Curiae hanc declarationem emisit: *Infrascriptus patefacit Cancellariae Episcopali N. se appellare a sententia contra se latam.* Post quatuor et amplius menses supplicem appellationis libellum S. Congregationi Concilii porrexit, quo petiit sententiam infirmari ex eo quod per eam *destitutus fuerit, quin prius iuridice citaretur, quin se defendere potuerit, quin ei praefixus fuerit terminus, quo in mora constitueretur aut ad rectam semitam sectandum si eam non sectaretur, aut ad audiendam sententiam privationis si tamen id iustum esset ad normam ss. canonum et praxis S. Sedis.* Innuebat autem Ioannes in eodem supplici libello, se ob levissimas rationes fuisse Beneficio spoliatum, idest quia non resideret et quia non incederet habitu et tonsura: inquiebat, Beneficium residentiale non esse, seque accurate Beneficii oneribus satisfecisse: cum eo Beneficio compatibilia esse forensia munera quibus se dicaverat, ut viveret ob tenues redditus Beneficii: se non appellasse ab ea Curiae sententia quia eius exemplar habere non potuerit, quodque denique indirecte obtinere valuerit, ideoque nunc se velle prosequi appellationem apud S. Sedem: seque implorare suspensionem sententiae sub poena attentatorum et spolii, et declarationem nullitatis sententiae cum omnibus inde sequutis *ex defectu citationis,* cum citatus fuerit per affixionem edicti tamquam ignotus et exterus, aut saltem ex capite sententiae iniustae. Reservatis autem iuribus suo tempore deducendis, in praesenti instantia innitebatur *defectui absoluto citationis, nec non defectui praefixionis congrui termini ad purgandam moram.*

Huiusmodi preces Vicario Capitulari de more remissae sunt pro informatione et voto, ut audito Promotore Fiscali Curiae, aliisque quorum id interesset, praefixo eidem termino ad deducendum iura sua coram S. Congregatione de resultantibus certioraret, tum acta tum caetera documenta ad rem facientia transmitteret. Curia suo muneri plene satisfecit. Ioannes tamen licet admonitus nihil deduxit.

Digitized by Google

Disceptatio synoptica.

Ea quae ex officio sunt animadversa. Cum ex expositis sponte sua duplex oriretur quaestio, alia circa validitatem interpositae appellationis, quae incidentalis erat; altera autem super sententiae merito: haec quoad primam animadversa sunt. Ioannem interposuisse appellationem post bimestre et amplius: dies *fatales* seu dies utiles ad appellandum utroque iure constitutos esse decem dies a die latae sententiae numerandos, *cap.* 15 *de Sent. et Reiud.* in quo legitur: « *Taliter duximus respondendum, quod cum post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem transeat rei iudicatae, qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrerit, appellandi sibi aditum denegavit* : item *cap.* 36 *de Test., cap.* 32 *de Elect., cap.* 8. *de Appell. in* 6. Quibus consonat ius civile *Authent. Hodie de App.* in qua legitur: « *Hodie autem cuilibet tribuitur spatium decem dierum a sententiae revocatione numerandum* » item *Novel.* 23 *c.* 1. Quare prorogata appellatione post decem dies iam de causa actum esse, appellationem peremptam, et sententiam in rem iudicatam transiisse, quae pro veritate habetur.

Non tamen praetermissa est animadversio, decem dierum tempus non semper a die latae sententiae initium sumere, sed identidem a die habitae notitiae, *cap.* 9 *de App.* in quo legitur: «*infra decem diem (postquam sciverit) si velit, appellet.* Quod tamen non ita generatim esse intelligendum, ut ignorantia quaevis suffragetur et in quavis causa: more siquidem inductum esse, ut tum haec aequa interpretatio in iudicialibus causis locum habeat, cum reus conventus, contra quem lata sit sententia, contumax fuerit: sed maxime interesse dignoscere, qua ratione contumax dici debeat: namque reum, qui in iudicio se stiterit, quique stata die ferendae sententiae in iudicio licet citatus non adfuerit, tamquam praesentem habendum esse, sibique culpae esse si sententiam non resciverit: multo aliter dicendum, si contumax quis dicatur, quia nunquam se in iudicio stiterit nihilque ex propria contumacia noverit de universa actorum serie sententiaque contra se latae; quo in casu ex quadam aequitate receptum esse, decem dies fatales initium ducere a die habitae

Digitized by Google

scientiae, Card. De Luca, *de iudiciis disc.* 38 *n.* 15 *et seqq.* Scaccia *de Appell. quaest.* 12, aliique communiter.

Ad meritum causae quod attinet, animadversum est, Clericos Beneficium ecclesiasticum possidentes habitu et tonsura clericali incedere debere, idque sub gravissimis quoque poenis iussum esse, *Clem.* 2 *de vita et honest. Clericorum; Concil. Trid. sess.* 14 *c.* 6. *de Ref.* praesertim vero in Const. Xisti V. *Cum sacrosanctam*, in qua Pontifex habitus clericalis delationem sub poena privationis cuiusvis Beneficii ipso facto incurrenda districte iussit, ita ut contra facientes sine ulla citatione, monitione, iudicis decreto aut ministerio privatos declaret:

Verum huiusmodi Constitutionis rigorem temperatum fuisse in Constitutione Benedicti XIII. *Apostolicae Ecclesiae*; quae etsi iubet privandos Beneficiis Clericos proprii ordinis vestes abiicientes, adiicere tamen: *et in hunc finem non modo possint, sed etiam debeant* (Episcopi) *contra ipsos procedere per citationes.... iurisque ordine servato sententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum in ipsos ferre et pronunciare.*

Hisce aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An sustineatur Appellatio *(Ioannis)* in casu.

» Et quatenus affirmative:

II. » An sententia Vicarii Capitularis . . . confirmanda vel infirmanda sit in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 23 Ianuarii 1869 respondere censuit: Ad I. *Negative.* Ad II. *Provisum in primo.*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. In causis, quae iuris ordine servato ventilantur, edita sententia, si facultas formaliter appellandi sit, eam exerceri dumtaxat posse intra decem dies a tempore pronunciatae sententiae, qui ideo fatales appellantur.

II. Ex aequitate identidem concedi appellandi facultatem intra decem dies a die intimationis sententiae; praesertim cum succumbens ideo contumax dicatur, quia nunquam, sive per se sive per Procuratorem, in iudicio stiterit (1).

(1) Huius aequitatis rationem reddit Card. De Luca *loc. sup. cit.* his verbis: « Ex quadam aequitate de stylo recepta, » admittitur semper appellatio infra de-

Digitized by Google

III. Elapso utili tempore ad appellandum, sententiam in rem iudicatam transire quae pro veritate habetur.

IV. Colliges denique, Clericum Beneficium possidentem si habitu et tonsura non incedat ipso facto Beneficio privari interveniente ministerio Iudicis, qui declaret eum incidisse in poenam (1).

CAPPELLANIAE.

Die 19 Decembris 1868.

Compendium facti. Ioannes anno 1694 suo testamento instituit haeredes universales Iosephum Martham et Eufrasiam descendentes ex Aloisio N. et Laurentia sorore eiusdem testatoris ac praeterea nonnulla bona legavit cuidam piae Sodalitati hac adiecta lege: *ex omnibus bonis piae Sodalitati relictis perpetuum iuspatronatus constituo pro meis haeredibus, eorumque filiis*

» cem dies a die scientiae, quae vere » habita sit, ita rationabiliter commiserando partes litigantes, quibus ex negligentia seu ex collusione Procuratoris, istud notabile parari solet praeiudicium non appellando infra legitima » tempora.»

Notatu dignissima videntur ea, quae paullo post subdit idem Auctor de effectu huius aequitatis: namque etsi, illi, qui proprio veroque sensu contumax dici non possit ex aequitate conceditur appellandi facultas per decem dies a tempore verae scientiae sententiae, attamen haec facultas non impedit sententiae exsecutionem; ideoque male ratiocinaretur aliquis hoc modo, prout idem Cardinalis notat: « Certa est regula, ut totum id, » quod fiat super exsequutione sententiae » appellabilis, pendente termino ad ap» pellandum, dicitur attentatum: sed in » contumace terminus ad appellandum » est totum tempus, in quo scientiam » certam non habeat: ergo totum id quod » hoc tempore gestum sit, dicendum est » attentatum.» Notat autem idem Auctor, huius argumenti fallaciam consistere in minore propositione, cum id tempus non sit terminus qui de iure competat, ideoque impediat quominus sententia transeat in iudicatum; sed sit quaedam habilitatio ex aequitate inducta a stylo, ut fieri possit extra terminum id quod de stricto iure fieri non possit.

Quod attinet ad novam audientiam petendam post decem dies in causis agitatis penes SS. Congregationes, confer quae deduximus in *Vol. III. pag.* 251.

(1) Circa discrimen quod intercedat inter sententiam declaratoriam et condemnatoriam nonnulla innuimus in *Vol. I. pag. 163.* Circa poenas quibus Clerici obnoxii sunt qui non incedunt habitu et tonsura vid. Appendicem XI. in praesenti fasciculo.

Digitized by Google

successive in infinitum, sive masculi sint sive foeminae, qui oriantur ex linea filiorum Aloisii N. et Laurentiae sororis meae hac conditione, ut si Sacerdos adsit ex dicta linea ipse celebrare Missas debeat et redditum percipere, si hic non adsit, ipsi eligent Sacerdotem, qui celebret et satisfaciat oneribus soluta consueta eleemosyna et quod supersit cedat piae Sodalitati.»

Ad huius voluntatis tramites Vicarius Capitularis cappellaniam erexit.

Lapsu temporis plures ortae sunt quaestiones quarum prima fuit, utrum Cappellania existimanda esset laicalis vel ecclesiastica: omnibus perpensis adiunctis, S. Rota laicalem esse iudicavit.

Altera quaestio deinde mota est, utrum descendentes ex Martha gauderent iurepatronatus: nam Martha nupsit cuidam Francisco C. et cum pinguem dotem habuisset a dicto Aloisio eius patre declaravit *se renunciare quibuscumque aliis iuribus competituris tam super bonis paternis, quam maternis ac haereditariis quondam Ioannis* testatoris. Ex hac enim renunciatione quaestio bis mota est, utrum renunciatum censeretur iuspatronatus, et opinio in facto vicit, iuspatronatus non censeri inclusum in ea renuciatione.

Anno 1866 iamdiu pacifice cappellaniam possidebat Canonicus C. descendens ex dicta Martha, cum Alexander N. ex Iosepho descendens supplices preces SSmo Patri admovit, exponens, Canonicum C. petiisse et obtinuisse Cappellaniam, se autem ultimum descendentem esse ex familia N. seque hoc ius ignorasse: asserens autem, eumdem Canonicum C. iurepatronatus exclusum esse censendum ob dictam renunciationem, petiit, ut a possessione Cappellaniae Canonicus removeretur et ipse in omnibus suis iuribus reintegraretur.

Servatis de more servandis praetensa iura sua partes detulerunt S. Congregationi.

Disceptatio synoptica.

Defensio Alexandri. Contendit Alexander iuspatronatus nonnisi haereditarium esse, cum testator dixisset: *ex omnibus bonis a me relictis.... constituo perpetuum iuspatronatus pro meis haeredibus:* et ea, quae praeter haec, adiecisset, aequivalere his

Digitized by Google

terminis *pro haeredibus et successoribus*. Atqui exploratum in iure esse ait eiusmodi verba simplicem haereditariam qualitatem secumferre, ergo etc. Eo vel magis quod in dubio iuspatronatus haereditarium sit censendum, Card. De Luca *disc.* 60 *n.* 1 *de iurepatr.*

Ex quo autem consequi, quemvis patronum in damnum successorum posse iuripatronatus renunciare, aliisque donare, quin ipsi haeredes de eo obmussitare possint, S. Rota *coram Ansaldo decis.* 340 *n.* 6 Card. De-Luca *disc.* 18 *n.* 3. Quamobrem eos omnes ab hoc iurepatronatus esse exclusos, qui ex Martha descenderent.

Idque confirmare curavit Alexander ex observantia: cum ab anno 1616, quo renunciatio emissa fuit, usque ad annum 1646, quo causa agitari coepta est de natura cappellaniae, neque Martha neque eius haeredes unquam nominaverint.

Ergo cum in praesentia haeres Marthae possideret cappellaniam, eum ab hac possessione esse removendum, seque e contrario in iurium exercitio reintegrandum.

Neque Canonicum iuvari posse ait per Cancellariae Regulas de triennali aut decennali possessione, quae possessiones tegunt defectum tituli; cum cappellania laicalis esset, ideoque non subiecta Regulis Cancellariae.

Defensio canonici. Hic animadvertit in primis, iuspatronatus non haereditariam sed gentilitiam et familiarem qualitatem praeseferre, cum testator in votis habuisset, ut eo iurepatronatus frueretur tota gens, familia et descendentia Aloisii N. matrimonio iuncti cum Laurentia eius sorore. Quare quidquid de iactata renunciatione contra diceretur, causam Alexandri iuvare non posse.

Ut enim in feudis, fideicommissis ita etiam in iurepatronatus gentilitio quemque ex vocatis *proprium* et *personale ius* habere, non a maioribus mutuatum sed ex ipsa fundatoris voluntate, Card. De Luca *de Iurepatr. disc.* 31 *n.* 16, *disc.* 51 *n.* 21, caeterique passim. Quare admissa etiam iactata Marthae renunciatione ius successorum sartum tectumque manere.

Quin imo idem Canonicus cappellaniae possessor contendit, Martham non renunciasse iuripatronatus: renunciationes enim cum odiosae in iure censeantur, strictam recipere interpretatio-

Digitized by Google

nem, et ad id tantum cohibendas esse quod cessum renuciatumque explicite fuerit: atqui in comperto in facto esse Martham in renunciatione emissa occasione matrimonii ne verbum quidem fecisse de iurepatronatus.

Quod si per hypothesim admitti placeret, Martham praeter iura lucrativa etiam iura honorifica abdicasset, inter quae emicat iuspatronatus, paratus erat Canonicus ad ostendendum eam renunciationem fuisse nullam ob defectum solemnitatum quae ex statuto requiruntur ad valorem et efficaciam actus.

Dubium

« An et quomodo annuendum sit precibus Alexandri in casu. »

Resolutio. — S. C. Concilii causa cognita in comitiis diei 19 Novembris 1868 respondere censuit: *Negative in omnibus.*

Ex quibus colliges:

I. Frustra preces S. Sedi admoveri, ut illi qui in possessione bonorum cappellaniae laicalis sunt a possessione removeantur, quod de titulo possidendi contendatur.

II. Non enim eos, qui possident, posse exturbari, nisi apertissime ostendatur, eos esse in possessione illegitime intrusos, illegitimosque esse detentores bonorum (1).

III. In praesenti themate, non obscure ostendisse Canonicum, se verum quoque titulum possidendi habere.

(1) Ad expellendos possessores bonorum, in re de qua agimus, duo esse aperte ostendenda, 1. possessorem non habere verum possidendi titulum; 2. possessionem cepisse sine ullo umbratili titulo quo mala fides excludatur. Quod si demonstraretur primum, ita ut Iudex verum titulum possidendi possessorem non habere iudicaret (quod iudicium *petitorium* appellatur) non tamen possessor expelli posset a possessione nisi simul ostendatur, possessorem sine ullo colorato titulo seu bona fide cepisse possessionem (quod iudicium *possessorium* appellatur) imo haec bona fides seu titulus aliquis ex iure praesumendus est per ipsam pacificam longoevam possessionem.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

URBIS ET ORBIS

Decretum. — « Inconfusibilis Evangelii Praeco extitit profecto Sanctus Paulus a Cruce, qui a Domino hisce propemodum temporibus, undecima nempe hora, ad erudiendam plebem suam missus, mercedem plenam et supereffluentem accepit. Hic enim Christi passionibus communicans et per Urbes ac pagos pertransiens verbum vitae in aeternitatis cibum alendae Christifidelium familiae dispendebat, doctrinae opportunitate et veritate infirma confirmabat, disrupta consolidabat, et depravata convertebat; donec in exultatione metens quod in lacrimis seminaverat, manipulos plenissimos obiens in aeterna tabernacula portavit; spiritum vero suum Alumnis, quos sub Crucis Vexillo congregaverat, reliquit ut in Vineae cultura continue adlaborarent.

» Dextera autem Dei ad superos exaltatus in gloriae huius indicium portentis inter mortales resplenduit, quibus permotus Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. audito consilio Eminentissimorum et Reverendissimorum Sanctae Romane Ecclesiae Cardinalium, Sacrorumque Antistitum, qui Anno 1867 ex universo terrarum orbe ad colendum saeculare Principum Apostolorum Natalitium frequentissimi in Urbem convenerant, Apostolicum hunc Virum in Sanctorum Albo adscripsit.

» Post amplissimos Altarium honores Ei tributos permulti ex iisdem Sanctae Romanae Ecclesiae Patribus Cardinalibus, Sacrorumque Antistitibus quo facilius Christifideles ad Crucis amorem ita excitarentur, ut nil aliud scire iudicarent nisi Iesum et hunc Crucifixum, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. postularunt ut Officium et Missam Sancti Pauli a Cruce Congregationis Clericorum Excalceatorum a Cruce et Passione Domini Nostri Iesu Christi Institutoris ad universam extenderet Ecclesiam. Eorum postulationibus a me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario eidem Sanctissimo Domino

Digitized by Google

Nostro fidelissime relatis, Sanctitas Sua Apostolica auctoritate decrevit ut deinceps festum Sancti Pauli a Cruce cum Officio et Missa pro Clero Urbis approbatis die 11 Iulii anni superius memorati sub ritu duplici minori quotannis die 28 Aprilis ab omnibus tam de Clero saeculari, quam Regularibus utriusque sexus, qui in Ecclesia universali ad horas Canonicas tenentur, celebraretur servata tamen Rubricarum dispositione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Ianuarii 1869.»

C. Epis. Port et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Loco ✠ Sigilli

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

APPENDIX X.

DE IURIBUS ET FACULTATIBUS REGULARIUM, QUI INDULTO SAECULARIZATIONIS SINT DONATI.

Disputatum fuit inter partes in superiore causa *p.368 .et seqq.* de necessitate Indulti quo indigeant Regulares Sacris Ordinibus initiati ad obtinenda ecclesiastica Beneficia et ecclesiasticas Dignitates cum saecularizantur. Heic paullo plenius de hac re loquemur ad normam iuris et praxim SS. Congregationum.

Compertum est, in catholica Ecclesia statum Regularem, tamquam statum christianae perfectionis pro fidelibus qui sectantur et profitentur evangelica consilia, plane distinctum esse a communi fidelium coetu: hanc distinctionem ab antiquis temporibus laudavit confirmavitque Ecclesia, ita ut universus fidelium et Clericorum coetus distinguatur in regularem et saecularem. Eiusmodi distinctio status in una eademque societate consistere unice potest in diversitate officiorum, iurium et privilegiorum.

Re quidem vera, Regulares quaedam habent officia, iura et privilegia in catholica societate, quae non habent fideles caeterique Clerici: haec autem omnia praecipuam originem ducunt ex professione solemni qua tria saltem vota Deo solemniter Regulares nuncupant, paupertatis, castitatist et obedientiae.

Hic status semel pleneque susceptus a Fideli usque ad mortem per-

Digitized by Google

severat, nec quisquis Regularis esse cessat dum vivit nisi aperte debitaque ratione ostendat nullam fuisse ex aliqua legitima causa suam religiosam professionem, vel nisi ex gravissima causa Romanus Pontifex eo deveniat, quod rarissime contingit, ut Regularem solvat ab obligationibus solemnium votorum.

Verum cum ex humana fragilitate non omnes, qui hanc perfectionis christianae viam inierunt, prosequi valeant, et dentur identidem rationabiles causae, cur susceptus vitae cursus sub aliqua ratione relaxandus sit, sive favore alicuius Regularis, sive etiam favore Ordinis ne nimis ob aliquem Regularem gravetur; S. Sedes mediam quamdam viam tenens, rei ita prospicit, ut Regularis, salvis tectisque manentibus substantialibus obligationibus per professionem religiosam contractis, perpetuo solvatur ab obligationibus erga Ordinem, et vicissim Ordo solvatur ab obligationibus erga Regularem. Hanc enim vim habet illud Indultum, quod saecularizationis appellant.

Et reapse si de Regulari agatur, qui etsi professus sacris Ordinibus non sit initiatus, Indultum saecularizationis quod conceditur per Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium hac vel simili ratione exprimi solet: «SSmus attenta informatione et voto tam Episcopi N. quam » P. Procuratoris Generalis Ordinis... » perpensisque peculiaribus circum» stantiis in hoc casu concurrenti» bus, quatenus Orator ad aliam » S. Congregationem pro eodem re» cursum non habuerit, aliter sub » poenis nullitatis aliisque iuxta De» creta Innocentii XII. 4 Iunii 1692 » et Clementis XIII. 15 Aprilis 1768, » benigne annuit pro gratia perpe» tuae saecularizationis, arbitrio et » conscientiae memorati Episcopi, » qui constito sibi de veritate expo» sitorum indulgere queat, ut ipse » Orator in saeculo extra suae Re» ligionis claustra in habitu clericali » vel decenti saeculari, quoad vixerit, » commorari licite possit et valeat, » servatis tamen per eumdem sub» stantialibus votorum suae religiosae » professionis, quae semper quan» tum in huiusmodi statu fieri po» terit in suo robore remaneant, » retentoque interius ad excitandam » iugiter istius obligationis memo» riam aliquo sui habitus regularis » signo, nec non obedientiae et iu» risdictioni Ordinarii, in cuius dioe» cesi vel territorio ipsum immorari » contigerit, omnimode subsit in vim » etiam solemnis obedientiae voti, » atque eidem praesens Indultum » exhibere teneatur Ordinationibus » Apostolicis... non obstantibus etc.»

Item si de Regulari agatur, qui sacris Ordinibus fuerit initiatus, idem Indultum per eamdem S. C. obtentum his similibusque verbis pro rerum adiunctis exprimitur: « SSmus » attenta relatione Episcopi N. et » P. Procuratoris Generalis Ordinis... » benigne annuit.... et propterea » mandavit committi eidem Episco-

Digitized by Google

» po, ut veris existentibus narratis » et dummodo Orator provisus sit » de sufficienti patrimonio sacro rite » constituto pro eius congrua sub» stentatione, facultatem manendi in » saeculo quoad vixerit in habitu » presbiterali, et retento interius ali» quo regularis habitus signo, pro » suo arbitrio et conscientia eidem » concedat; ita tamen ut substan» tialia votorum suae professionis » cum novo statu compatibilia ob» servet et sub obedientia Ordinarii » loci in quo morabitur etiam in » vim voti religiosi vivat etc. »

Item si agatur de facultate concedendi Regulari iam saecularizato obtinendi ecclesiasticum Beneficium haec vel similia verba adhiberi solent: « Oratorem habilitet ad unum » tantum Beneficium ecclesiasticum » etiam residentiale vel cum cura » animarum quatenus dignus sit, su» per quo Ordinarii Institutoris et » Executoris conscientia graviter one» rata remaneat, canonice assequen» dum et retinendum nomine San» ctae Sedis titulo administratio» nis pro eius congrua substenta» tione. »

Huius tenoris sunt huiusmodi Indulta. Manentibus itaque omnibus obligationibus quae ex professione exoriuntur, firmoque manente coram Ecclesia statu religioso quem Regularis per professionem participavit, tantum iuris et indulgentiae Regularis per haec Apostolica Rescripta vindicare sibi poterit, quantum ostendatur expresse concessum: aliis verbis, eiusmodi Indulta strictae sunt interpretationis.

Horum autem Indultorum sententia, quam continent, haec est: Regularis solvitur ab obligationibus, quas cum Ordine per professionem contraxit, et vicissim Ordo solvitur ab obligationibus erga eumdem Regularem contractis. Compertum enim est, per professionem oriri inter Ordinem et Professum quasi-contractum mutuasque obligationes praeter obligationes votorum quae solemniter Deo nuncupantur: de hoc quasi contractu sic pulchre Innocentius III. locutus est in *cap. Ad Apostolicam de Regular.*, eo tempore, quo annus probationis praefinitus non erat sub lege irritante; rescripsit enim: *quod licet tempus probationis a sanctis Patribus sit indultum non solum in favorem Conversi, sed etiam monasterii, ut et ille asperitates istius, et istud mores illius valeat experiri... Si tamen ante tempus probationis regulariter praefinitum, is qui converti desiderat habitum recipit et professionem emittit, Abbate per se, vel per alium professionem recipiente monasticam, et monachalem habitum concedente, uterque renunciare videtur ei, quod pro se noscitur introductum; ideoque obligatur per professionem emissam pariter et acceptam ad observantiam regularem...* »

Cum autem per hunc quasi-contractum Fidelis novum ingrediatur perfectionis statum ab Ecclesia ratum firmumque habitum solvi idem non amplius potest nisi a Suprema

Digitized by Google

Ecclesiae auctoritate; cum hisce in adiunctis non possit invocari principium, unumquodque solvi eo modo quo colligatum est. Quod et Concilium Tridentinum satis aperte edixit in *cap. 1. sess. 25. [de] Reg.* quo praecepit, « *ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam instituant et componant, atque in primis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia fideliter observent. Omnisque cura et diligentia a Superioribus adhibeatur..... ut ab illis non recedatur; cum compertum sit ab eis non posse ea, quae ad substantiam regularis vitae pertinent relaxari.* »

Ea igitur relaxatione indulta a Romano Pontifice erga aliquem Professum per Rescriptum saecularizationis exceptis obligationibus illis de quibus diximus, reliqua sarta tectaque manent. Unde manent vota solemnia Deo nuncupata, et manent obligationes ea sequendi, quae cum votis sunt proxime connexa, et arcendi ea, quae observantiae votorum refragantur. Quae quidem omnia satis expressa videntur per verba in Rescriptis interserta *substantialia votorum*.

Cum autem per eam relaxationem indultam inter Professum et Ordinem impossibilis reddatur observantia voti obedientiae erga Superiores Ordinis, ideo, firmo manente obedientiae voto, commutatur Superior cui sit obediendum etiam ex vi voti.

Hisce autem consideratis, facile concipitur quid Regularis saecularizatus amittat erga relictum regularem Ordinem, quid conservet aut acquirat erga saecularem statum ad quem convertitur.

Erga suum Ordinem amittit communionem omnium bonorum spiritualium et temporalium, quae propria sint Ordinis quem reliquit.

Erga saecularem statum conservat ea privilegia quae eidem competant ob vota solemnia quibus Deo perpetuo sacratus est, conservat videlicet dignitatem propriam personae per solemnia vota Deo perpetuo sacrae et inde privilegium saltem fori. Quod quidem clare dignoscitur in Regulari laico saecularizato, qui certe hoc privilegium servat et eam dignitatem prae caeteris fidelibus, cum qua non bene cohaeret nec mancipatio ad vilia saecularia officia et sordidas indecorasque artes; neque status militaris. De qua re recoli potest causa agitata in S. C. Immunitatis, quam retuli in *Vol. II. pag. 115*. In ea refertur quaedam causa *Anagnina fori* diei 6 Iunii 1826, in qua agebatur de quodam laico professo, qui obtento saecularizationis indulto, se cuidam sordidae arti mancipaverat: cum autem aes alienum contraxisset et solvendo impar esset, in laicum forum vocatus, damnatus fuit

ad sancitas poenas subeundas: interposita ab hac sententia appellatione ad superius Tribunal, dubitatum fuit super validitate prioris sententiae ex defectu iurisdictionis; et proposita causa coram S. C. Immunitatis sub dubitandi formula: « An Ioseph... » professus in Ordine (N.) legitime » saecularizatus gaudeat privilegio » fori etiam in casu de quo agitur » responsum dedit: *Affirmative et ad mentem: mens est, ut Episcopus cogat Iosephum ad incedendum in habitu decenti et ad se abstinendum a quacumque arte sordida et indecora.* Et in alia causa diei 22 Augusti 1843, cum quidam Clericus professus et inde saecularizatus facultatem peteret militiae nomen dandi, proposito dubio: « An petitioni, qua Clericus » professus.... saecularizatus instat » pro cingulo militari, sit annuen» dum, responsum prodiit: *negative.* » Hic enim status non rite congruit cum observantia votorum et cum dignitate personae Deo sacrae. Si vero sit Sacerdos vel sacris Ordinibus initiatus eadem privilegia servat etiam ex alio titulo, quia Sacerdos est, atque caetera quae in exercitio eius sacerdotalis Ordinis, si nihil peculiare obstet, consistunt.

Licet autem solutus sit ab obligationibus erga suum Ordinem cuius regulam ad perfectionem votorum est professus; attamen coram ecclesiastica Hierarchia tamquam Regularis consideratur, et non potest sibi vindicare ea iura, quae propria sunt caeterorum; sive quia in saecularizationis indulto non expresse concessa; sive quia in iure Regularibus expresse denegata; sive quia cum observantia votorum non undequaque compatibilia, cuiusmodi est ius ad ecclesiastica Beneficia obtinenda, et quod magis est, ad ecclesiasticas dignitates.

Hoc enim ius Regularibus Clericis ex triplici dicta causa denegatum censendum est. Namque 1° in indulto non conceditur, ideoque denegatum est; in eo enim non conceditur, nisi quantum salvus esse possit decor ordinis Sacerdotalis, ne scilicet ad suam substentationem cum ordinis Sacerdotalis dedecore mendicare cogantur; et quantum congruat viro Regulari qui a suo Regulari ordine legitime divulsus est: haec autem duo obtinentur per sacrum patrimonium quod sibi prospicere et constituere debet Regularis antequam uti possit indulto saecularizationis, quod sub hac conditione conceditur. Hoc autem patrimonium subrogatur titulo paupertatis vel mensae communis ad quam exhibendam obligabatur ipse regularis Ordo per quasi-contractum cuius supra meminimus.

His consideratis cessat obiectio quae dicitur, verum canonicum titulum S. Ordinationis esse Beneficium ecclesiasticum; patrimonium autem esse titulum tantum subsidiarium quod admitti non possit nisi in carentia Beneficii: hoc enim verissimum est quoad caeteros Clericos; etsi hodiernis temporibus vix et ne vix quidem haec regula servari potest: sed verum non est quoad Regulares quorum

S. Ordinationis titulus esse debeat titulus paupertatis vel mensae communis. Cum autem ipsi licet saecularizati coram coetu fidelium et ecclesiastica Hierarchia non omnino Regulares esse cessent, facultas tantum tribuitur et obligatio iniungitur curandi constituendique sibi patrimonium quod minus distet a titulo quo sacris Ordinibus sunt initiati sine dedecore coetus clericalis.

2°. Hoc idem ius obtinendi possidendique Beneficia saecularia eisdem denegatum est in iure. Namque generale est principium, Beneficia saecularia saecularibus et regularia regularibus esse conferenda: *arg. ex cap. Cum de Benef. de Praeben. in 6*. Vis autem principiorum generalium, quae universam ecclesiasticam disciplinam moderantur, non facile eliditur nisi per aliquam exceptionem peremptoriam: peremptoria autem non esset exceptio, qua Regularis saecularizatus responderet: se amplius Regularem non esse: namque quisquis Regularis talis esse non cessat coram Ecclesia, nisi rite ostendat, suam professionem fuisse nullam. Neque peremptoria esset exceptio, qua Regularis opponeret, se non amplius esse Monasterio alligatum: namque quod ex mera indulgentia concessum eidem est, trahi non potest in argumentum ad ea iura sibi vindicanda, quae non una tantum de causa Regularibus in iure denegantur.

Tridentina Synodus consideravit casum, quo Regularis de uno Ordine in alium Ordinem transferatur: et ne Regularis hac translationis occasione utatur ad saecularia obtinenda Beneficia, puta, quia transfertur ad ordinem Canonicorum Regularium, quibus ex veteri iure (cap. *Quod Dei timorem de Statu Monach.* ibique Fagnanus) interdictum non erat ius possidendi in titulum Beneficia saecularia curata, edixit: « *taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia saecularia, etiam curata, omnino incapax sit.* » *Cap. 11. sess. 14.*

3°. Hoc idem ius denique denegatum censeri Regulari saecularizato ratione voti paupertatis cui perpetuo alligatus manet. Eo vel magis, quod, posita saecularizatione, quidquid Regularis acquireret non amplius Monasterio acquireret.

Sacri canones nihil fortasse tam districte prohibent, quam peculium Religiosis, ita ut habere non possint nec proprietatem, nec usumfructum, nec usum bonorum. *Clem. Exivi §. proinde, de verb. signif. et Extrav. Ioann. XXII. ad conditionem;* et expressius in Conc. Trid. *c. 2. sess. 25. de Reg.* « *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam.* » Neque defuerunt Auctores, qui dum interpretantur veteres canones, doceant nec Romanum Pontificem posse hac in re dispensare, praeeunte textu in cap. *Cum ad Monasterium*, in quo Innocentius III. rescripsit: « *Nec aestimet Abbas, quod, super habenda proprietate, possit cum*

Digitized by Google

aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est adnexa regulae monachali, ut contra eam nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere. » Quare Abbas Panormitanus in hoc textu adnotat: «Nec Abbatem, imo nec Papam posse dispensare, ut Monachus habeat peculii administrationem ad libitum *licet de Monacho Papa possit facere non Monachum.*»

Ex quibus omnibus apparet, Regulares saecularizatos non alia iura facultatesque sibi vindicare posse, praeter ea, quae in Rescripto saecularizationis indulta eisdem fuerint; atque praeterea quid sit quoque dicendum de Regularibus, qui obtento saecularizationis indulto, ita se gerunt, quasi vero ab omni suae professionis lege essent soluti; quod tamen ad votum praesertim paupertatis quod spectat, meminisse deberent veteris sanctionis, quae licet modo exsecutioni non mandetur, ostendit tamen quodnam sit Ecclesiae iudicium de solemni voto paupertatis neglecto: « *Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur.* » Cit. cap. Cum ad monast.

APPENDIX XI.

Constitutiones praecipuae editae adversus clericos non incedentes habitu et tonsura a Concilio Tridentino ac deinceps.

Occasione causae *Beneficii* relatae *pag. 378,* heic referimus Constitutiones quae adversus Clericos non incedentes habitu et tonsura latae sunt.

Concilium Tridentinum *sess. 14 c. 6 de Refor.* innovavit et ampliavit Constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quaeque legitur in *Clem. 2 de vita et hont. cleric. 3, 1.* his verbis. « Quoniam qui abiectis vestibus proprio congruentibus ordini alias assumere, et in publico portare, rationabili causa cessante, praesumit, professorum illius ordinis praerogativa se reddit indignum, praesenti Constitutione sancimus, quod quicumque Clericus virgata vel bibartita veste publice utetur (nisi causa rationabilis subsit), si Beneficiatus extiterit, per sex menses a perceptione fructuum Beneficiorum quae obtinet, sit eo ipso suspensus; si vero Beneficiatus non fuerit, in sacris tamen Ordinibus citra Sacerdotium constitutus, per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad ecclesiasticum Beneficium obtinendum. Idem quoque censemus de Clericis illis, vestem talem simul

Digitized by Google

et tonsuram publice deferentibus clericalem. Dignitatem vero, Personatum seu Beneficium aliud obtinens, cui cura immineat animarum, nec non caeteri in Sacerdotio constituti, ac Religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere, si (praeterquam ex causa rationabili) publice vestem ferant huiusmodi, aut infulam seu pileum lineum publice portent in capite, sint eo ipso, Beneficiati videlicet, a perceptione fructuum Beneficiorum, quae obtinent, suspensi per annum. Caeteri vero Sacerdotes et Religiosi quilibet per idem tempus reddantur inhabiles ad quodcumque Beneficium ecclesiasticum obtinendum. Sed et tales et caeteri quicumque Clerici utentes Epitogio seu Tabardo foderato usque ad oram et ita brevi, quod vestis inferior notabiliter videatur, Epitogium ipsum saeculares Clerici et Religiosi administrationem habentes teneantur intra mensem dare pauperibus; caeteri vero Religiosi administrationem non habentes intra idem tempus illud teneantur suis Superioribus assignare, in pios usus aliquos convertendum. Alioquin Beneficiati suspensionis, caeteri vero inhabilitatis poenas praedictas per idem tempus se noverint incurrisse.

» Huic insuper adiicimus sanctioni, ut Clerici, praesertim Beneficiati, caligis soccatis, rubeis aut viridibus publice non utantur. »

Concilium Tridentinum in dicta *sess. 14. c. 6. de Refor.* Haec statuit: « Quia vero habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, tanto autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut, propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes ecclesiasticae personae quantumcumque exemptae, quae aut in sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, Officia, aut Beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus ac Officio et Beneficio ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum Beneficiorum, nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem Officiorum et Beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant, constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quae incipit, *Quoniam,* innovando et ampliando. »

Successit Constitutio Sixti V, quae incipit *Cum Sacrosanctam,* diei 9 Ianuarii 1589, cuius tenor est qui sequitur:

« §. 1. Quare, animadvertentes quod qui in sortem Domini ad eiusdem Ecclesiae decus et ornamentum

sunt vocati, et ex eo Clerici nomen consecuti, quique censu ecclesiastico vivant, singulari aliquo signo a reliquo populo distingui debent, ne cui eorum iure dici possit, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? et ad hoc ipsum sollicitudinis nostrae obtutus dirigentes, ne sanguis eorum de manu nostra requiratur, cum ingenti cordis nostri dolore invenimus complures supradicta Domini sententia iuste redarguendos. Nam eorum plerique, clericali honore neglecto in vestibus laicalibus incedentes, eo se mirifico licet indignos privilegio reddiderunt. Quapropter, sacris canonibus, Conciliis Generalibus et Apostolicis Constitutionibus certus circa eorum qui clericali charactere insigniendi sunt, habitum, aetatem et alias qualitates sit praescriptus modus, et contra clericos in habitu clericali et tonsura non incedentes imposita poena, nempe ut gratiis immunitatibus et aliis privilegiis clericalibus minime gaudeant; tamen cum iniuria temporum, et forsan dormientibus pastoribus, inimicus homo pestifera transgressionis zizania superseminaverit.

§. 2. Nos propterea, his, et aliis rationabilibus de causis adducti, ne quis nimia sive pastorum, sive temporum indulgentia et impunitate seu oscitantia, cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu et propriae salutis dispendio, de cetero abutatur, hac nostra perpetuo valitura Constitutione praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque Clericis, non solum in sacris, sed etiam in aliis minoribus Ordinibus constitutis, et clericali tantum tonsura insignitis, et nedum Beneficia ecclesiastica qualiacumque etiam simplicia, nunc et pro tempore obtinentibus, et in illis vel ad ea ius habentibus, verum etiam pensiones super quibusvis fructibus, redditibus aut proventibus quarumvis patriarchalium, primatialium, metropolitanarum, cathedralium, et aliarum quarumcumque ecclesiarum seu abbatialium, capitularium et conventualium, mensarum, nec non monasteriorum, Praepositurarum, Praepositatuum, Prioratuum, Praeceptoriarum, Hospitalium, Canonicatuum, Praebendarum, Dignitatum, Personatuum, administrationum, Officiorum et Beneficiorum quorumcumque ecclesiasticorum, saecularium et quorumvis Ordinum regularium seu illorum distributionibus quotidianis, ac iuribus, emolumentis et obventionibus universis, sibi reservatas, aut fructus ipsos praediave aut bona ecclesiastica loco pensionum sibi assignatas vel assignata ex quacumque concessione seu dispensatione Apostolica percipientibus, etiam coniugatis, praesertim si iidem Clerici coniugati iuxta Constitutionem piae memoriae Bonifacii Papae octavi praedecessoris nostri, in Concilio Tridentino innovatam, privilegiis clericalibus uti velint, tam in Romana Curia degentibus, quam extra eam ubilibet gentium et locorum constitutis, ut ipsi et eorum quilibet, quantumvis exempti existant, et quo-

Digitized by Google

vis privilegio vel immunitate gaudeant, quacumque dilatione aut tergiversatione postposita, debeant omnino, qui in Urbe praesentes fuerint intra quindecim dies, qui vero citra montes intra quatuor menses, qui denique ultra montes constituti sunt, intra octo menses a die publicationis praesentium literarum in Romana Curia faciendae, tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet talares, aut milites infradicendi; quibus pensiones aut fructus aliave bona ecclesiastica reservata sunt, suae militiae convenientem, quacumque remota excusatione, assumere, et iugiter deferre. In futurum autem nonnisi actu Clericis in habitu clericali et tonsura, et militibus infradicendis in militari incedentibus, suae militiae propria aut alia quaecumque ecclesiastica, etiam simplicia, Beneficia respectivae conferantur aut commendentur aut pensiones, fructusve aut bona ecclesiastica reserventur.

» §. 3. Alioquin ipsos et ipsorum quemlibet, qui quoad gestandum habitum clericalem et militarem supradictum, lapso huiusmodi tempore, eorum unicuique ut supra dictum est, praefixo, nostris huiusmodi praecepto et mandato nunc et in posterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediverint, praeter alias poenas contra eos inflictas, etiam quibuscumque Dignitatibus, Administrationibus, Officiis, Canonicatibus et Praebendis ac Beneficiis, etiam simplicibus, et praestimoniis per eorum quilibet in titulum, commendam vel alias pro tempore obtentis, nec non pensionibus et fructibus, praediis bonisque ecclesiasticis huiusmodi quocumque modo eis reservatis vel reservandis, omnique iure sibi in eis vel ad ea quomodolibet competenti, harum serie, ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine privamus, ac sine ulla alia monitione, citatione, iudicis decreto aut ministerio, ipso facto privatos declaramus, ac tam Beneficia ipsa per privationem huiusmodi vacare et libere aliis conferri posse, quam etiam pensiones cassatas, extinctas esse et fore, ac fructuum vel aliarum rerum reservationes cessare et quemquam ulterius ad illorum solutionem minime teneri, et ob non solutionem, censuras et poenas aliquas incurrere non posse nec debere decernimus, ipsasque Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, nec non Canonicatus et Praebendas et Beneficia sic pro tempore vacantia, collationi, provisioni et dispositioni nostrae et Romani Pontificis pro tempore existentis perpetuo reservamus.

» §. 4. Statuentes sic in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices et Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores et S. R. C. Cardinales sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere; nec non irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scien-

Digitized by Google

ter vel ignoranter contingerit attentari.»

Rigorem huius Constitutionis aliquatenus idem Pontifex temperavit quoad Clericos qui pensionibus ecclesiasticis fruerentur, sequenti Constitutione, quae incipit *Pastoralis* diei 31 Ianuarii 1589, idest eodem mense et anno, cuius pars dispositiva est quae sequitur:

» §. 1. Nonnulli vero ex Clericis praefatis, pensiones aut fructus huiusmodi admodum tenues percipientes, alii quoque nostri familiares actu nobis inservientes, variis obsequiis et ministeriis addicti, qui ultro citroque, ubi opus est commeare et accurrere coguntur, idcirco vix possint, sine maximo incomodo, impedimento et dispendio, habitum clericalem suprascriptum gestare.

» §. 2. Nos eorum commodis opportune providere, eosque specialis gratiae favore prosequi volentes, omnibus, et quibuscumque Clericis, tam in Romana Curia, quam extra eam ubilibet gentium et locorum constitutis, qui pensiones, fructus aut praedia vel bona ecclesiastica, sibi in una vel pluribus vicibus reservata et concessa summam, seu valorem annuum sexaginta ducatorum auri de Camera insimul non excedentes seu excedentia, percipiunt aut percipient in futurum.»

» §. 3. Ac praeterea Nostris familiaribus, Nobis in quibusdam inferioribus ministeriis, quales sunt qui a pedibus seu Parafrenarii, mensae dispositores aut Credentiarii aut Dispensatores vulgo dicuntur, et aliis his similibus servitiis actu ministrantibus, quive in futurum inservient, nec non quibusvis nostrorum intimorum familiarium actu Nobis in Palatio nostro Apostolico inservientium familiaribus, continuis commensalibus, praesentibus et futuris, qui pensiones aut fructus bonave ecclesiastica loco pensionum usque ad quamcumque summam et valorem nunc percipiunt aut in posterum pro tempore percipient, ut ipsi et eorum quilibet in habitu et tonsura clericali incedere minime teneantur, sed laicali habitu impune et licite uti possint, quo sua munia promptius expeditiusque obire valeant, nec poenis in eadem Constitutione inflictis subiaceant, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, de speciali gratia concedimus et indulgemus (1).»

(1) Sixtus V. fel. rec. in suis Constitutionibus ut in earumdem executione erat formidabilis ceu narrat historia; et pari ratione vindex formidabilis iustitiae. Huius iustitiae indicium perspicere mihi videtur in praesenti Constitutione. Namque coactus fuit primam Constitutionem moderari quoad Ministros Palatiis Apostolicis addictos: sed ne haec exemptio, etsi iustissima, odiosa caeteris videretur, privilegium facile extendit ad omnes universi Orbis Clericos, qui pensione ecclesiastica fruerentur non excedente annua Ducata de Camera sexaginta ut dicitur in §. 2.

Digitized by Google

Subsecuta est Constitutio Benedicti XIII, quae incipit *Catholicae Ecclesiae regimini,* edita sexto Nonas Maii 1725 sequentis tenoris:

« Catholicae Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, praesidentes, eo potissimum Apostolicae vigilantiae studia dirigenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocati sunt, Ecclesiasticaeque Militiae nomen dederunt, ubique irreprehensibiles inveniantur. Maxime siquidem ipsos decet vitam, moresque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant. Quocirca Clericos quoscumque, praesertim vero Beneficia ecclesiastica obtinentes, teneri vestes honestas, et proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, et si secus fecerint, etiam poena privationis Beneficiorum plectendos esse, Sacrae Tridentinae Synodi Decretis, pluribus Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum sanctionibus provide, atque salubriter cautum est.

» Cum itaque, sicut non sine maximo animi Nostri moerore, imo etiam horrore percepimus, quorumdam Clericorum Beneficia ecclesiastica obtinentium audacia, et temeritas hodie eo usque processerit, ut in dedecus Ordinis Clericalis, Sacrorum Canonum contemptum, magnamque animarum suarum perniciem incedere in habitu laicali minime vereantur; Nos gravissimo huic abusui, et Christifidelium offensioni pro Pastoralis officii debito, quantum Nobis ex alto conceditur, opportune consulere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et aliquot insuper dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus consilio, ac etiam Motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostrae, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus, et mandamus, quod Ordinarii locorum, ubi sita sunt Beneficia eiusmodi Clericorum vestes laicales deserentium impudentiam canonicis remediis omnino coerceant, et hunc in finem non modo possint, sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes domi dimissa copia, quatenus domicilium habeant in eorum respective Dioecesi: sin minus per citationes ad valvas, iurisque ordine ceteroquin servato, sententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum in ipsos ferre, et pronunciare, ita tamen, ut eadem Beneficia iuxta Constitutionem fel. recor. Sixti V. Praedecessoris Nostri incipientem: *Cum Sacrosanctam*, Nostrae, ac Romani Pontificis pro tempore existentis collationi, provisioni, ac omnimodae dispositioni reserventur, et reservata censeantur.

Digitized by Google

» Praeterea volumus, statuimus, et declaramus praedictis Clericis Beneficiatis in habitu laicali incedentibus minime licere percipere, nec facere suos fructus, et proventus quoscumque suorum Beneficiorum cuiuscumque generis, speciei, qualitatis, et valoris existant: quin etiam expresse decernimus, et sancimus eiusmodi Beneficiatos ex mero facto incessus in habitu laicali, quamvis nulla praecesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis Beneficiorum, quae obtinent, imo etiamsi nulla citatio, monitio, vel alius iudicialis actus, in eos fuerit institutus, ipso iure amissionis, et privationis fructuum praedictorum poenam incurrere, itaut illos nullo modo percipere, nec perceptos retinere, vel facere suos possint: sed ipsos absque ulla prorsus diminutione ad commodum fabricae Ecclesiarum, in quibus erecta sunt Beneficia, illico sub poena lethalis culpae restituere teneantur; a qua quidem restitutionis obligatione a nemine, praeterquam a Nobis, et a Romano Pontifice pro tempore existente (sublata ceteris omnibus, etiam Poenitentiariae Apostolicae officio, et Maiori Poenitentiario condonandi facultate) eos absolvi, et liberari posse volumus, praecipimus, et mandamus.

» Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, et efficacia existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, etc. *sequuntur amplissimae clausulae confirmatoriae et derogatoriae.*

Quod attinet ad privilegia Clericorum, qui sacris Ordinibus non sunt initiati; id est ad privilegium fori, canonis et alia minora, quae eisdem competant, ut privilegium ex Cap. *Odoardus*, iam dedimus Lectoribus nostris Decretalem regnantis Summi Pontificis qua declaravit: « Clericum in sacris Ordinibus constitutum sive caelibem, sive matrimonio iunctum, cum, quoad ea, quae sacrosanctum Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 6. de Refor.* disposuit, diligenter non observaverit, privilegium fori amittit, habendum esse destitutum, atque *ipso iure et ipso facto* destitui omnibus Clericorum privilegiis, ita ut haberi tractarique debeat tanquam persona mere laica, etiam in causis criminalibus et ad effectus poenales quin iam nunc, ac deinceps triplex admonitio sive declaratio, ipsum in hanc poenam incidisse opus sit. » Videsis hoc Decretum quod Itala lingua qua emissum fuit adduxi in *Vol. III. p. 433*, nec non Appendicem adiectam in eodem *Vol. p. 443.*

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

INCOMPATIBILITATIS BENEFICIORUM SUPER ABSOLUTIONE ET DISPENSATIONE

Die 23 Ianuarii et 24 Septembris 1864.

Plenum huius causae iudicium dilatum fuit, at causa non fuit amplius proposita.

Compendium facti. Vetusta ecclesia cathedralis N. in italica urbe extat, cuius Capitulum ab antiquissimis temporibus sibi subiectas habuit septem paroecias, duas urbanas et quinque rurales, easdemque antea administrabant ipsi Canonici; deinde vero per vicarios.

Quoad urbanas ecclesias una est ipsa cathedralis ecclesia, altera vero ecclesia S. Ioannis quae est etiam baptismalis. Sacerdos Antonius anno 1865 tamquam vicarius praepositus fuit a Capitulo regendae ecclesiae baptismali S. Ioannis, et anno 1857 canonicalem Praebendam assecutus est in ea ecclesia cathedrali, atque utrique muneri nihilominus satisfecit. Cum vero anno 1863 vacasset paroecia cathedralis, Capitulum eumdem Antonium Episcopo proposuit, ut tamquam oeconomum praeficeret huic paroeciae vacanti, relicta paroecia S. Ioannis. Id enim existimabat Capitulum congruum futurum praemium laboribus Antonii, simulque effecturum, ne ipse a chorali officio plus aequo distraheretur ut munera extraneae paroeciae adimpleret.

At vero Episcopus, qui caeteroqui Capitularium vota haud respuisset, de compatibilitate dictorum munerum dubitavit; proindeque Antonio suasit, ut ad S. Sedem confugeret pro sanatione et absolutione quoad praeteritam paroeciae S. Ioannis cum Canonicatu unionem, habita ratione bonae fidei, ac pro dispensatione quoad futurum, ut, una cum canonicali Praebenda, paroeciae Cathedralis praeesse posset. Quod praestitit Antonius supplici oblato libello S. C.

Digitized by Google

Huiusmodi preces de more remissae sunt ad Episcopum pro informatione et voto, utque, audito Capitulo, referret de annuo redditu et oneribus tam Canonicatus, quam paroeciae comprehensis incertis utriusque stolae, deque asserta bona Oratoris fide ac denique de vera dispensationis necessitate. Sedulo mandatis obsecutus est Episcopus. Sed Capitulum omnino denegavit incompatibilitatem dictorum officiorum, ideoque necessitatem sanationis quoad praeteritum et dispensationem quoad futurum. Eiusmodi quaestio, quae nullius videbatur momenti, aperuit aditum multiplicibus quaestionibus, in quibus Lectores nostri commemoratam quoque reperient veterem ferme communem Ecclesiae disciplinam, quae in Italia praesertim id temporis vigebat.

Disceptatio synoptica.

Ea quae Capitulum deducebat. — Cum Capitulum, ex dicta compatibilitate in dubitatione posita, sua iura laesa videret, eorumdem iurium vetustam historiam texens ostendere curavit, eas paroecias esse Capitulo subiective unitas quoad temporalia et spiritualia: se esse verum earum paroeciarum Parochum, quas per suos deputatos seu vicarios amovibiles administraret: officium autem simplicis vicarii amovibilis ex iure incompatibile non esse cum ecclesiastico Beneficio.

Itaque recoluit ecclesiam cathedralem in ea urbe, (uti frequenter in aliis urbibus usque ad saeculum X. viguisse historici tradunt) universam animarum curam penes cathedralis Capitulum fuisse, donec sub annum 1229 divisa in plures paroecias civitate, ipsi Cathedrali pars magis conspicua adscripta fuerit, quam Canonici per se ipsos habitu et actu administraverunt ad annum usque 1527. Tunc enim primum Praepositus quidem Carolus curae animarum exercitio praefecit quemdam Cappellanum ac distingui actualis ab habituali cura coepta est, ceu constabat ex solemni Tabellionis scriptura.

Quoad paroeciam S. Ioannis enarravit, eam urbem N. saeculo decimo subversam rursumque fuisse aedificatam prope quemdam montem translatamque cathedralem ac novum templum sub titulo S. Mariani, eique Episcopum quemdam Theobaldum an. 1043 inter alias ecclesias donavisse *plebem S. Ioannis in suburbiis civitatis cum tota sua parochia:* hanc parochiam iam fonte baptis-

mali ditatam, Baptisterium cathedralis evasisse. Eiusmodi donationem confirmatam fuisse ab alio Episcopo anno 1192 nec non a Summis Pontificibus Innocentio II. anno 1137, Caelestino II. anno 1143, Alexandro III. anno 1178, Lucio III. anno 1181 ac tandem a Gregorio IX. anno 1229. Inde inferebat Capitulum, plebem S. Ioannis adnexam fuisse ecclesiae cathedrali eo plane modo quo fit cuiuscumque Beneficii vera unio; antiquas enim eiusmodi donationes veram perfectamque canonicam unionem secumtulisse edocuit cum caeteris Auctoribus S. Rota in *Decis.* 192 *n.* 5 *t.* 7 *recent.* Idque Capitulum confirmabat ipsis Gregorii IX. verbis qui, iura Cathedralis in subiectas ecclesias confirmans, sedulo distinxit ecclesias *quas canonice possidetis*, quas inter numeravit *plebem S. Ioannis de civitate* a iure quovis patronatus, quod (ait Pontifex) *habetis in ecclesia S. Catharinae etc.*

Iam vero dictam unionem non solum quoad temporalia sed etiam quoad spiritualia et parochialia iura processisse contendit tum inspecta mente dicti Episcopi Theobaldi, qui cathedrali donavit plebem S. Ioannis cum tota sua parochia, tum inspectis dictorum Pontificum Bullis, qui constanter locuti essent de ecclesiis Cathedrali concessis *cum universis earum iuribus et pertinentiis*; quae generalia verba « important (ait Rota *in decis.* 221 *coram Crescentio*) unionem tamen in temporalibus quam » in spiritualibus ». Et iuxta verba *decis.* 49 *p.* 15 *recent.* « com» prehendunt curam animarum, iura parochialia, caeteraque ad » ecclesiam unitam spectantia de iure seu consuetudine, et im» portant quod unio facta sit accessorie etiam quoad spiritualia; » sub dictis verbis venit etiam ius deputandi vicarium ad notum » amovibilem. »

Quin imo, Capitulum subdidit, ad spiritualia iura evidenter Caelestinum II allusisse, dum vetuit, ne intra fines antiquos baptismalis ecclesiae S. Ioannis sine Capituli consensu etiam ecclesiam quis aedificare posset vel in aliis locis sepulturam quaerere vel decimas oblationesque exigere: quas quidem temporales obventiones Capitulo concessas fuisse, propter spiritualem animarum curam, sive, ut inquit laudatus Pontifex, *iuxta Apostolum, quibus spiritualia seminastis eorum carnalia nullo prohibente metatis*.

Digitized by Google

Nec secus inferendum esse Capitulum sustinuit ex Bulla Nicolai III. in qua, ecclesiae, Capitulo donatae, diserte dicuntur *immediate subiectae,* vel ad ipsam Cathedralem *pleno iure spectantes:* in verbis autem *pleno iure* omnia iura spiritualia et temporalia contineri tradidit Rota in *select. decis. apud Monacell. dec. 4 n. 6.* Quare idem Pontifex, ne Canonici (qui id temporis vitam communem regularem agebant) claustrum desererent in eadem Bulla constituit, ut in ecclesiis et Beneficiis Cathedrali subiectis vicarios Capitulum constitueret, atque iisdem congruam portionem beneficialium fructuum assignaret, qua substentari et onera perferre possent. Per hanc itaque reformationem a Nicolao III. inductam demonstrari, concludebat, animarum curam plene in antecessum fuisse et deinceps perseverasse penes Capitulum nudo tantum exercitio vicariis demandato.

Atqui dicta iura omnia, subdidit, quibus potiebantur Canonici tunc regulares translata in Canonicos saeculares fuisse a Leone X. saecularizationis Bulla, eaque iura integra adhuc permansisse post Tridentinum Concilium. Idque demonstrabat Capitulum ex eo quod nunquam per concursum eae paroeciae fuerint collatae, nec per Bullarum expeditionem, nec per formalem possessionem: sed per simplicem deputationem a Capitulo factam. Hinc Congregationem spoliorum (1) nunquam se immiscuisse in administratione vacantium bonorum, quae Capitulo inscripta invenirentur, nec aliquem sine consensu Capituli easdem paroecias in titulum sibi adscribere valuisse.

Sed demonstrare insuper sategit Capitulum huiusmodi vicarios fuisse ad nutum amovibiles, quod ex pluribus indicatis documentis et factis facile inferebat.

Hoc autem posito vicariorum genere, inferendum esse censebat, 1° quoad paroecias Cathedrali unitas curam penes Capitulum residere; exercitium autem vicariis incumbere: 2° easdem paroecias amisisse naturam Benificii nec posse conferri in titulum cum in simplici stipendio consisterent: 3° eas nunquam vacare, nec proinde conferri debere per concursum aut per canonicam institutionem, sed per nominationem Rectoris principalis et approbationem Episcopi post simplex examen de idoneitate, Engel, *Manual. Paroch. p. 2 c. 4*, in quo scripsit: «Vi-

(1) De Camera Spoliorum sermo incidit in *Vol. III. p. 145 et p. 258 et seqq.*

Digitized by Google

» carii temporales dicuntur, qui ad Beneplacitum Praelatorum » vel Rectorum exponuntur et deponuntur; unde et vicarii *ad* » *nutum amovibiles* vocantur. Idque conceditur cum unione Be» neficii *pleno iure* quoad spiritualia et temporalia, ubi Episco» pus non habet institutionem vel investituram, sed ad summum » tantum institutionem *authorizabilem* sive approbationem quoad » curam animarum iuxta Trid. *sess.* 23. *c.* 15 *et sess.* 25 *de Reg.* » *c.* 11, nisi et haec ipsa approbatio vi privilegii aut praescri» ptionis ad inferiores Praelatos pertineat, Panorm. *in cap. Cum* » *non liceat de praesc.* Barbos. *de Offic. Epis. p.* 3 *alleg.* 72 *n.* 185 » *et alleg.* 127.»

Ex quibus cum Pignatelli *t.* 10 *consul.* 141 concludebat: «Cum » cura sit unita Collegio, dicitur esse habitu penes Capitulum et » actu penes vicarium illam exercentem... propterea non implicat, » quin possint ipsi Canonici per seipsos curam exercere. Omissa » enim regula generali, quod cum id non reperiatur in iure pro» hibitum debet censeri permissum, *l.* 1, *ff. de test.*, certum est, » quod Collegium, cui cura est unita, potest personas idoneas sibi » benevisas deputare indistincte, atque adeo etiam ipsos Canoni» cos. Quia collegium dicitur Praelatus singulorum, et potest de» putare personas, quas vult, illasque mutare, et illae personae non » dicuntur habere curam animarum, sed ipsum Capitulum, ut » per Innocent. *in cap. Cum non ignoret. n.* 2. . . et quod pos» sit committi cura uni de Collegio cui est unita diserte tradit » Abbas in *dic. cap. n.* 6: *potest committere iurisdictionem conten*» *tiosam et poenitentialem.*»

Neque obstare subiungebat, dictam Bullam Nicolai III. cum in ea prohibita unice fuerit regularibus canonicis administratio Paroeciarum quae sitae essent extra civitatem, ad compescendam scilicet absentiam a claustro; cumque constet, post ipsam Nicolai praescriptionem paroecias Cathedralis et S. Ioannis administratas a Canonicis fuisse: caeterum Leonem X. transtulisse in Capitulum saeculare iura et privilegia Regularium, eidemque insuper contulisse iura propria ecclesiarum et Canonicorum saecularium: quare sibi non obesse concludebat prohibitionem factam antiquis Canonicis.

Sed et ipsam rationem incompatibilitatis in praesenti themate longe abesse contendit: cum incompatibilitas oriatur ex pa-

Digitized by Google

cifica duorum Beneficiorum possessione seu ex Beneficio et officio perpetuo, iuxta textum in *cap.* 1 *de cons. in* 6: verum in praesenti casu eas paroecias neque Beneficia esse, cum essent Cathedrali subiective unitae: neque officia perpetua, cum essent ad nutum amovibiles: eo vel magis quod illae plerumque concederentur in oeconomatum, qui est mera temporalis commenda, quae neque titulum praebet, neque incompatibilitatem inducit, Pirhing *lib.* 3 *tit.* 5 *sect.* 4 *n.* 130. Hinc denegabat petendam esse ab Antonio sanationem quoad administratam S. Ioannis paroeciam et dispensationem ut paroeciam Cathedralis administraret. Cum tamen Antonius distrahi posset ab officiis choralibus, in votis eiusdem Capituli erat, ut ipse indultum abessendi a choro pro animarum cura obtineret.

Iura ab episcopo deducta. Contra Episcopus retulit, occasionem dubitandi de incompatibilitate in casu se nactum primum fuisse ab ipsomet Capitulo, quod, mortuo praedecessore Parocho Cathedralis, flagitavit, ut Antonius in ea tamquam oeconomus constitueretur, eo quia arbitrabatur tamquam Parochum illum nominare non potuisse. Adduxit deinde testimonium antecessoris Episcopi, qui a S. Congregatione rogatus pro informatione super precibus alterius Canonici et Parochi S. Ioannis pro exemptione a fallentiis anno 1847 retulit: « Neque in antiquis, neque in » recentioribus Cathedralis constitutionibus supponitur casus, quod » Canonicus ex gremio eiusdem Cathedralis paraecias vel ipsius» met ecclesiae Cathedralis vel unitam baptismalis S. Ioannis » administret, cum in iisdem constitutionibus sancitum sit eas » per vicarium esse regendas. » Quod quidem testimonium magno pretio ait esse habendum, cum idem Episcopus antecessor et Canonicus et Praepositus iamdiu fuisset in Capitulo eodem, et rerum Capituli apprime gnarus. Animadvertit denique nullam sibi praesto esse rationem, qua Capitulum eximi deberet ab universali Tridentina lege in *sess.* 24 *de ref. c.* 17, in quo haec fuerunt statuta: « *Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sancte ss. canonibus cautum fuit neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi: verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quae bene constituta sunt, variis artibus eludere et plura simul Beneficia obtinere non erubescunt, sancta synodus*

Digitized by Google

debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, praesenti Decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit ut in posterum unum tantum Beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honeste substentandam non sufficiat, liceat, nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri: Haecque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia Beneficia, tam saecularia quam regularia quaecumque, etiam commendata, pertineant, cuiuscumque tituli ac qualitatis existant. Illi vero qui in praesenti plures parochiales ecclesias, aut unam cathedralem et aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere. Alioquin tam parochiales, quam Beneficia omnia, quae obtinent, ipso iure vacare censeantur, ac tamquam vacantia, libere aliis idoneis conferantur, nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant.»

Inquiebat praeterea Episcopus, eas paroecias, quae unitae Capitulo dicebantur, unitas fuisse tantum quoad temporalium bonorum administrationem, idque deduci ex contractibus per Capitulum initis, litibus habitis, et aliis huiusmodi.

Ad amovibilitatem quod attinet Vicariorum, inquiebat, nomine vicariorum regulariter et ad formam iuris communis vicarios perpetuos intelligi; unicum praesentationis actum circa paroeciam S. Ioannis qui reperiri potuit post Nicolai constitutionem, idest anno 1647, loqui de vicario sine aliquo amovibilitatis indicio: dolendum esse, tabularium Curiae incendio periisse, ita ut alia antiqua documenta ad rem facientia haberi nequirent. Nihilominus ipsam observantiam, inamovibilitatem demonstrare contendit, tum quia omnes vicarii (uno alteroque excepto ex iusta causa et Episcopi insinuatione amoto) in exercitio parochiali decesserint: tum quia in paroeciarum vacatione oeconomus iuxta Tridentinas leges ab Episcopo deputari consueverit. Nihili igitur in contrarium aestimandas esse putavit octo vel decem recentiores praesentationes vicariorum, qui in actis cancellariae dicerentur

Digitized by Google

ad nutum amovibiles, cum in literis Capituli, ut plurimum, vicarii simpliciter dicerentur.

Neque melius inquit iura parochialia sibi Capitulum vindicare posse per Bullam Leonis X. a Canonicis regularibus derivata; cum his illiusmodi iura sublata iam essent a Nicolao III. Sed praetermissa etiam hac animadversione, licet ea iura integra in Regularibus perseverassent; non ideo sequi ad saeculares transiisse, eo quod alia sit ratio Collegii regularis, alia autem Collegii saecularis. Regulares enim etiam ratione obedientiae a proprio dependent Praesule, qui eis paroeciae exercitium concedere et anferre ad libitum potest, quique proinde animarum curam proprie habere dicitur. Saecularis vero Capituli Praepositus, qui talem haud habet iurisdictionem, sine causa sibi arrogaret plenitudinem illorum iurium, quae Regularibus singulari ratione competunt.

Quare, concludebat, ius Capituli in paroeciis de quibus est sermo, esse merum ius praesentandi idest iuspatronatus, quod anomalum evasisse dicendum esset propter abusus a Capitulo in illius exercitio invectos: ideoque indubiam esse incompatibilitatem paroeciarum S. Ioannis et Cathedralis cum Canonicatu ob personalem residentiam quam singula ea Beneficia exigunt.

Conquerebatur praeterea Episcopus de negligentia Capituli in eligendis dictis Vicariis ad paroecias vacantes, innuens octo tantum dies ad eam nominationem eliciendas concedi iuxta Gagliardi *in Barbosa de offic. Par. app.* 2 *in fin. n.* 5. ubi indicatur quaedam Resolutio S. C. Episc. et Regul. nec non Gallemart in *declar. ad cap.* 7 *sess.* 7 *Conc. Trid. et* Bellarminus *ad dictum caput.*

Hisce aliisque expositis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An et quomodo constet de incompatibilitate Canonicatus » cum paroeciis in casu:

» Et quatenus Affirmative.

II. » An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione » et sanatione quoad praeteritum, et pro dispensatione quoad » futurum.

Digitized by Google

III. » An et quomodo constet de amovibilitate vicariorum » in casu.

IV. » An et intra quod tempus Capitulum nominare teneatur ad paroecias, ita ut et quomodo locum habeat devolutio. »

S. Congregatio die 23 Ianuarii 1864 causa discussa iudicium distulit atque hoc prodiit responsum: *Dilata; et coadiuventur hinc inde probationes quoad I. et III. dubium.*

Causae prosecutio. Episcopus novam ac copiosam rerum expositionem S. Congregationi subiecit: at quemadmodum prima simplex supplicatio occasionem praebuit quatuor expositis dubitandi formulis, ita nova rerum enarratio alias quaestiones movit, ita ut causa sensim sine sensu in molem concrescere visa est.

Itaque rerum ab Episcopo enarratarum haec est substantia: enarravit scilicet, se, ut antea Capitulum, in ea opinione versari Antonium utpote Canonicum, non posse tamquam vicarium curam animarum exercere in ea Catedhrali sine Apostolica dispensatione: suamque opinionem inniti Bullae Nicolai III. diei 2 Ianuarii 1278, qua ille Pontifex prohibuit Canonicis ne amplius officia parochialia exercerent in ecclesiis, quae ab illis penderent, at mandavit, ut constituerentur in illis paroeciis vicarii retributa eisdem portione eiusmodi, *ex qua commode substentari possint, et alia incumbentia eis onera supportare.*

Cum autem generalis esset eiusmodi dispositio, omnes comprehendisse paroecias, sive urbanas sive rurales, ex quo sequi, Canonicos prohiberi quominus parochialia munera exercerent, et easdem vicarias perpetuas quidem existimandas esse non autem temporaneas.

Haec confirmabat his animadversionibus, 1° ex actis in Cancellaria asservatis (praesertim vero ex antiquissimo nominationis actu, qui post combustum archivium reperiri potuit, idest an. 1647) constare fuisse constitutos vicarios sine ullo amovibilitatis verbo: 2° constans fuisse factum, Canonicos, a tempore dictae Bullae Nicolai, nunquam parochialia officia exercuisse in dictis paroeciis: 3° hanc Bullam nunquam fuisse revocatam: Leonem X. confirmasse quidem per Bullam saecularizationis Canonicis saecularibus omnia privilegia quibus donati erant Canonici regulares; sed hoc esse intelligendum de privilegiis, quae id temporis

Digitized by Google

illi haberent: atqui id temporis Canonici non amplius habebant privilegium exercendi per se parochiale officium (1), quod fuerat eisdem sublatum a Nicolao: 4° quod si concederetur, Canonicum in ecclesia urbana Parochi officium posse exercere, denegari idem ius non posset in paroeciis ruralibus; ideoque eadem suboriri incommoda, quae Bullam Nicolai id prohibentis provocaverant: 5° ex confessione ipsorum Canonicorum, qui, cum anno 1846 Canonicus quidam curam animarum in eadem cathedrali exerceret, ac potiisset a S. Sede exemptionem a fallentiis choralibus, fassi essent, *exercitium curae fuisse Capitulo semper extraneum, cum neque obligatio neque consuetudo unquam fuerit, ut Capituli membrum debeat sibi assumere huiusmodi officium:* idque testatum fuisse quoque ab antecessore Episcopo ut superius declaratum est.

Ostendere deinde Episcopus curavit, eosdem vicarios, non quidem temporaneos sed perpetuos censeri debere; idque ex eo praesertim, quod tum in antiquis tum in recentioribus constitutionibus Capituli sancitum esset, tempore vacationis Episcopum debere nominare ac deputare oeconomum, antequam Capitulum nominaret vicarium: quod ex actis Cancellariae demonstraretur, fere omnes vicarios perpetuos in facto fuisse, eosdem mortuos esse in paroecia ad quam Capitulum eos nominaverat: quod plerique vicariorum deputati fuerint directe ab Episcopis absque ulla Capituli praesentatione, atque tales permanserint usque ad mortem: quod aliqui ex dictis vicariis curam acceperint titulo sacri patrimonii absque Capituli consensu: quod denique non daretur exemplum, quo Capitulum aliquem vicarium amovisset.

Caeterum ne haec contentiosa quaestio protraheretur opinabatur Episcopus, opportunum in praesentia esse, ut illae vicariae declararentur perpetuae; quod licet id se facere posse existimaret iure proprio iuxta Tridentinum Concilium, attamen cum causa

(1) Qui hanc enarrationem scripsit, fortasse non animadvertit in hac re fallaciam esse potuisse: supposuit enim fuisse Canonicis privilegium ante Nicolai prohibitionem exercitium curae; cum e converso habita ratione disciplinae illius temporis, erat proprium Canonicorum officium curam animarum exercere in paroeciis Capitulo pleno iure unitis, quae ideo uniebantur, ut Capitulum per suos Canonicos, vel ad minimum per alios in curam animarum incumberet.

Digitized by Google

penderet coram S. C. expedire magis existimavit ut id a S. C. decerneretur.

Sane Conc. Trid. *cap. 7 sess. 7 de Ref.* statuit: « *Beneficia curata, quae Cathedralibus, Collegiatis, . . . perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum, aut maiori vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super re certa assignanda, ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus... minime suffragantibus.* » Complures autem esse Auctores, subiungebat, qui suadeant locorum Ordinariis ut hac super re mentem Concilii pro utiliori animarum regimine exsecutioni tradant, ceu omissis aliis, Barbosa *ad Concil. Trid. sess.* 7 *cap.* 7 *n.* 15, Card. de Luca *in adnot. ad Conc. disc.* 9. Fagnanus in *cap. Ex parte, de Off. Vicar. n.* 14 *et seqq.* qui eas adamussim causas refert, quibus se moveri in praesenti themate affirmabat Episcopus; nec utiliter afferri posse in contrarium consuetudinem etiam immemorabilem ad impediendam hanc Ordinarii facultatem, Bellarminus in declarationibus S. C. C. ab ipso collectis ad *Conc. Trid. cap.* 7 *sess.* 7 ubi scripsit: *Tollitur consuetudo immemorabilis, ut in Beneficio unito serviatur per vicarium amovibilem, nisi Episcopus aliter velit,* item Barbosa *loc. cit. n.* 39, scripsit: *per hoc Decretum (cap. 7) tollitur consuetudo immemorabilis.* Quin imo quoties ageretur de parochialibus unitis, posthabita prorsus consuetudine S. Congregationem vicarios perpetuos constituendos esse decrevisse.

Ad hanc declarationem faciendam seu postulandam se induci testatus est ab abusibus incommodisque.

Et quoad abusus animadvertit, tenuissimam esse congruam seu stipendia quod Capitulum vicariis retribueret, ex quo id inconveniens oriebatur, ut difficile Canonici reperirent eos, qui officium vicarii assumerent, et iisdem repertis non ea ratione ac dilectione, qua par est, paroeciam administrarent: eosdem Canonicos negligentes esse ad vicarios nominandos, qui tamen praetenderent, se nunquam ius nominandi amittere: negligentes esse ad restauranda paroecialia aedificia, supellectiles sacras,

Digitized by Google

ad exequenda Decreta S. Visitationis, ad asservandam iugiter suis impensis SSmum Altaris Sacramentum.

Inquiebat autem eiusmodi abusus cessatum iri si vicariae declararentur perpetuae, atque emolumenta descripsit quae eventura essent sive illis paroeciis sive dioecesi: cum deessent Beneficia ecclesiastica conferenda Clericis titulo s. Ordinationis.

Quod si talis perpetuitatis declaratio fieret, determinanda quoque esset maior retributio. Ad ostendendam tenuitatem dictae congruae portionis adduxit Episcopus multa documenta et vicariorum plures querimonias, quibus assignatum a Capitulo stipendium non amplius sufficiens dicebatur, cum contra ex Bulla Nicolai III. Capitulum talem portionem rependere debuisset, *ex qua commode substentari possint et alia incumbentia eis onera supportare*. Testatus autem est Episcopus, Parochum Cathedralis habere a Capitulo stipendium scut. 80, insuper scut. 20 pro onere canendi Missam conventualem, de qua infra; praeterea scut. 10 ex incertis oblationibus. Parochum vero S. Ioannis scutat. 60, insuper scut. 30 ex incertis obventionibus provenientibus praesertim ex attestationibus baptismalibus; quas tamen obventiones cessasse, quia Gubernium libros baptismales sibi assumpserat. Qui redditus cum tenues essent, habita etiam pauperum ratione quarum plurimi in his paroeciis essent, concludebat, teneri Capitulum ad normam dictae Bullae hisce vicariis, divino cultui et templis prospicere, et quidquid superesset sibi retinere tantum potuisse, cum bona paroeciarum sibi propria iamdiu fecisset.

Hanc autem congruae assignationem sive augmentum, pro temporum, locorum et personarum adiunctis esse in amplissima Episcopi potestate iuxta allegatum *cap.* 7. *Concil. Trident.* et iuxta Const. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas,* quae hac super re dici posset derogatoria Constitutionis S. Pii V. *Ad exequendum* (1).

(1) Benedictus XIV. in citata Constitutione haec disposuit: «§. 10 Ac demum quoad illos, qui tanquam vicarii sive perpetui, sive ad tempus constituti animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet ratione alicuius ecclesiae parochialis ipsorum ecclesiis... olim unitae, quamvis a rec. mem. Praedecessore Nostro S. Pio PP. V. praefinita fuerit certa pars fructuum huiusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius Const. quae incipit: *Ad assequendum,* data Kal. Nov. an. 1567, distincte statuitur: nihilominus, ubi praescripta fructuum portio

Licet autem Canonicatuum Praebenda constituta esset in scut. 60, tamen certum esse ait eam ascendere saltem ad scut. 150, et in praesentia ad scut. 200. Quare facta tenui imminutione cuique Canonico, satis prospici potuisse vicariis: quamvis autem S. Pius V. hisce in rebus praescripserit Episcopis ut vicariis assignarent portionem non minorem scutator. 50, nec maiorem scutator. 100; tamen praesenti aetate talem portionem non amplius sufficientem esse, multo autem minus *ad commode vivendum et alia incumbentia onera sustinenda*. Non negabat tamen Episcopus pro variis rerum adiunctis Capitulum extraordinaria quaedam emolumenta aliqua vice tribuisse vicariis.

Adnotabat praeterea circa Missam conventualem, eiusmodi onus canendi singulis diebus ferialibus eam Missam, impositum fuisse vicario Cathedralis, etsi a Capitulo et ab officiis choralibus erat omnino extraneus; hoc onus a multis abhinc annis vicario illi abusive impositum in causa esse cur interdum parochialia aut choralia officia negligerentur ac gravia derivarent incommoda.

Hisce omnibus ample enarratis variisque auctoritatibus dein corroboratis, quaerebat Episcopus, ut, firmis manentibus primis quatuor dubitandi formulis, aliae quatuor adiicierentur, quas in calce ponimus.

Nova iura quae deducebat capitulum. Capitulum e converso nova iura adducens corroboravit ea quae antea deduxerat: in medium deduxit duas veteres opiniones Iurisconsultorum (quorum unus fuit Salvator Quarantotto) datas anno 1588, qui rogati fuerant a Capitulo, num post Tridentinae synodi Decreta, tunc recentissima, liceret adhuc Capitulo amovibiles servare vicarios? qui affirmativum dederunt responsum. Commemoravit

vel nullo modo vel non integre vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus festis de praecepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis synodus Trid. sess. 7 c. 7, dum illorum arbitrio permisit iuxta temporum atque iniunctorum onerum rationem congruam praedictis vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam fraternitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur, quibuscumque appellationibus, privilegiis aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.»

Digitized by Google

quamdam quaestionem motam anno 1630 a Praeposito Capituli et agitatam coram S. C. C. contra Capitulum ipsum, ob quaedam scandala, quae id temporis Praepositus serpere in dictis vicariis asserebat, quique enarraverat vicarias esse amovibiles neque a Canonicis visitari. Huic accusationi respondit Capitulum; atque Episcopus rogatus vicariorum amovibilitatem confirmavit. In hac autem causa S. C. nihil aliud respondere censuit, nisi ut Episcopo scriberetur, qui pro sua dexteritate provideret.

Deduxit attestationem quamdam anno 1692 subscriptam ab episcopali Cancellario, in qua affirmabatur, nunquam Bullas pro vicariis expeditas esse, easque ad nutum amovibiles fuisse: deduxit vicariorum confessiones id temporis factas, qui amovibiles ad Capituli nutum se esse dicerent, et ab omni episcopali iurisdictione immunes: deduxit demum epistolas a Rev. Camerae Spoliorum Thesaurario ad Subcollectorem dioecesis de qua agimus anno 1692 datas, quibus mandatur, ut vicariorum haereditas ab eodem Subcollectore coadunata, utpote a iure spolii immunis Capitulo restitueretur.

Demonstravit praeterea Capitulum, vicarios a se electos confirmationi quotannis subiici: decem et octo exempla remotionis vel suspensae confirmationis ex actis capitularibus adduxit, quorum quidem primus ad annum se refert anni 1609, quo ostendit, non modo vetustissimam vicariorum amovibilitatem, sed plenam et exclusivam super iisdem vicariis Capituli iurisdictionem. Namque remotio, quae tunc decreta fuit, ad Episcopi instantiam locum habuit; cum eo tempore ea regula satis vigeret, amovibiles vicarios a Capitulo deputatos ad nutum Capituli removeri quidem posse, non tamen ab Ordinario nisi ex tali causa, ex qua licet perpetui essent, legitime possent amoveri, Fagnanus, in *cap.* 6 *n.* 39 *de stat. Monach.* (1).

(1) Resolutionem S. Congregationis, quam memorat *cit. loc.* Fagnanus, integram retuli in *Vol. III. pag. 454* §. *Quas quidem*. Ea Resolutio data est a S. C. C. anno 1585 pro Capitulo Civitatensi quod in superiore Italia extat, quodque pariter habebat multas paroecias sibi subiective unitas, in quas ex vetustissima consuetudine, atque ex privilegiis multiplicibus iurisdictionem exercebat, easdem administrabat per vicarios amovibiles. Ea Resolutio quae id temporis ad similia facta applicata est, derogationem subiit per Const. Benedicti XIV. diei 6 Nov. 1744, cuius partem ad rem facientem exposui in *cit. Vol. pag. 454* §. *Quam*.

Digitized by Google

Haec quidem in facto; in iure autem ostendit Capitulum praesertim ex Bulla Nicolai, paroecias rurales se *pleno iure* possidere: compertum vero esse, subdidit, Beneficia curata pleno iure alicui ecclesiae seu Capitulo unita secumferre unionem tum in rebus temporalibus, tum spiritualibus: atque eiusmodi plenariam et subiectivam unionem naturam unitorum Beneficiorum ita destruere, ut ea reddat Beneficia mere manualia, ex qua dimanare amovibilitatem vicariorum, ut docent, Engel. *in ius can. l.* 3 *t.* 27 *n.* 11. *Reiffenst. l.* 3 *t.* 3 *n.* 8. Barbosa *de off. Episc. alleg.* 72 *n.* 189 S. C. C. in *Ratisbonen. Iuris deputandi Vicarium* diei 21 Iulii 1713 *lib.* 63 *Decretor. p.* 311.

Item Nicolaum III. in eadem Bulla ad Canonicos de quibus agimus data atque eorumdem Priorem, iussisse quidem deputari in unitis paroeciis vicarios, sed mandavisse, ut per Priorem et Canonicos vicarii instituerentur: *In eisdem ecclesiis et Beneficiis per vos instituantur vicarii:* nullum ergo dubium eosdem esse amovibiles, cum contra si perpetui essent, Episcopi auctoritate institui debuissent, *cap. De monachis* 12 *de Praebendis, cap. un. de Capell. Monachor. in* 6, *et Clementin. cap.* 1 *de iur. patr.* (1).

Adversus obiectam difficultatem ex deputatione oeconomi quem Episcopus deputabat, adnotavit Capitulum, non illico a morte vel remotione alicuius vicarii ad novi nominationem procedi posse, et interea, ne fideles pastore penitus careant ad tramites Conc. Trid. *sess.* 24 *c.* 18 *de Ref.* et Constitutiones tum S. Pii V. *in Conferendis,* tum Benedicti XIV. *Cum illud,* in recentioribus constitutionibus capitularibus statutum fuisse, ut illico ab Episcopo oeconomi deputarentur, qui novo electo vicario, statim ab administratione cessarent.

Atque simili ratione refutavit aut explicavit caetera singularia facta ab Episcopo obiecta. Deinde gradum fecit, ad ostendendam compatibilitatem Canonicatus cum deputatione ad vicarii officium in urbanis paroeciis, ac initio animadvertit: pro-

(1) Hoc tamen ius instituendi in Beneficiis seu in vicariis perpetuis, quae Beneficiis aequiparatur, ante Tridentinum Concilium pertinere poterat etiam ad alios praeter Episcopos; confer Resolutionem S. C. C. quam adduxi in *Vol. pag.* 84 *ad VIII.* quare adductum argumentum non evinceret quod Capitulum intendebat.

Digitized by Google

hibitionem Nicolai esse intelligendam dumtaxat de paroeciis ruralibus non vero de urbanis, cum in urbanis paroeciis cessaret ratio prohibitionis, quae fuerat ne claustralis observantia frangeretur. Quamvis autem Capitulum adduceret documenta quibus ostendit, post Bullam Nicolai quandoque urbanas paroecias per unum ex Canonicis fuisse administratas, tamen haud negabat inolevisse consuetudinem eligendi vicarios extra Capituli gremium etiam ad urbanas regendas paroecias, quam consuetudinem servare etiam in posterum desiderabat.

At vero nullatenus inquit posse obiici dictam Bullam Nicolai ad canonicam incompatibilitatem ostendendam; aliud enim esse dicere Canonicatum cum vicaria esse ex iure incompatibilem, aliud autem asserere, Canonicis vicariae munus ex dicta Bulla esse impermissum.

Caeterum nec contra dictam prohibitionem in praesenti themate Capitulum processisse, inquiebat, cum Antonius non tamquam vicarius post Canonicatum assumptum paroeciam S. Ioannis administraverit, sed tamquam oeconomus: et item ut tamquam oeconomus praeficeretur Antonius cathedrali ecclesiae se postulasse, cum ille caeteris peritior reperiretur. Cum autem eiusmodi oeconomatus aliud non esset, nisi temporaneum muneris exercitium, nullatenus opus esse neque sanatione neque Apostolica dispensatione; non abnuebat tamen Capitulum ut idem Antonius indulto muniretur pro chorali absentia, quoties opus fuisset, licet antea utrique muneri diligentér fecisset satis.

Quod attinet ad negligentias, quibus insimulabantur Canonici ad nominationem faciendam, inquit, eas nominationes identidem Capitulum distulisse ob carentiam Sacerdotum, qui paroeciale munus obire possent; eamque esse Capituli consuetudinem, ut tales eligeret vicarios, qui haud facile removendi essent; caeterum eiusmodi nominationes una tantum vice sub praesenti Episcopo protraxisse ad sex menses.

Ita negligentiae nota reiecta, subdidit, eam fuisse Episcoporum praxim, ut, quovis tempore praeterlapso, salvum tectumque semper Canonicis relinquerent nominandi ius, etiam post decennium: hanc autem praxim nullimode iuri refragari, cum paroeciae huiusmodi quae pleno iure Capitulo essent adnexae proprie loquendo nunquam vacent, neque quidquam detrimenti anima-

Digitized by Google

rum saluti afferri cui per oeconomum ab Episcopo deputatum satis prospiciatur.

Caeterum quidquid de hac praxi dici velit, ac si tempus aliquod nominationi faciendae praefigi placeret, sex saltem menses sibi concedendos esse contendit: cum enim in canonico iure specialis temporis praefinitio non adsit, qua talium vicariorum nominatio absolvenda sit, generalem regulam servandam esse, quae ad sex menses moram protrahit. *cap. Nulla* 2 *de conces. Praeb.*

Inauditum demum ac exorbitans esse ait, quod a Giraldio in *Barbos. de off. Parochi app.* 2 *in fin. n.* 5, de octo dierum intervallo ad nominandum asseritur. Ut enim colligere est ex Rescripto S. C. Episc. et Reg. quod Giraldius citat (quodque ex eiusdem S. C. archivio Canonici rite extractum allegarunt) dictam Resolutionem alium prorsus casum respexisse. Et revera cum Assissiense Capitulum in paroecia Cathedrali duos constituere vicarios deberet, et anno 1603 compertum esset, Capitulares, amoto uno ex vicariis electionem novi data opera negligere, Emus Burghesius S. C. Praefectus scripsit Episcopo, ut Capitulum ad nominandum cogeret, addebatque, *quod si intra terminum octo dierum non faceret, Ipse vicarium deputaret nomine S. Congregationis quae declaraverat, duos semper debere esse vicarios* (1).

Hactenus Capitulum de anteacta quaestione; ad novas vero quaestiones ab Episcopo motas, in genere animadvertit, Episcopum non posse ex vi ordinariae potestatis vicariorum perpetuitatem in praesenti themate declarare: neque posse recte invocare Tridentinum Decretum *sess.* 7 *c.* 7 *de Refor.* cum hoc Decretum potius faveat vicariorum amovibilitati, quam perpetuitati per verba in eo Decreto expressa, *ut per idoneos vicarios etiam perpetuos:* ut enim notant Pignatellius *tom.* 9 *consult.* 143 *n.* 14 et Pichler *tom.* 2 *l.* 3 *tit.* 27 *decis.* 90, particulam *etiam* designare *casum magis dubitabilem ac minus dubitabilem implicare;* Rota *decis.* 53 *n.* 16 *et seqq. coram Peutinger.*

(1) Non sunt rara eiusmodi exempla, quibus Auctores adscribunt Sacris Congregationibus sententiam aliquam, quam fortasse SS. Congregationes nunquam cogitarunt: quare circumspectione opus est, quando Auctores aliquod doctrinae caput firmant dumtaxat per aliquam citationem alicuius Resolutionis.

Digitized by Google

Rursus in genere animadvertit, pluries, petentibus Episcopis, vicariorum perpetuitatem a S. C. fuisse denegatam ut in *Ratisbonen*. 28 Iunii 1713, in *Camerinen*. 26 Ianuarii 1726, in *Assissien*. 16 Novembris 1707 in *Aliphana* 12 Ianuarii 1726, in *Nuscana* 14 Aprilis 1764, in *Spiren*. 18 Iulii 1761, in *Eugubina* 28 Augusti 1773, et in aliis non paucis, praesertim vero in recentissima *Baren*. 29 Augusti 1857.

In specie vero adnotabat cum Pichler *loc. cit. in fin*. Ordinariis etiam post Decretum Trid. liberum non esse per vicarios perpetuos providere, 1° quando in literis unionis expresse concessum est providere vel administrare paroeciam unitam per vicarios temporaneos: 2° quando Beneficium curatum vel paroecia pleno iure idest non solum quoad temporalia, sed etiam quoad spiritualia unita sit Capitulo, ut apud Gallemart S. Congr. declaravit ad sess. 25 cap. 11 de Regular. §. *ad nutum amovibile:* 3° quando per tempus immemorabile semper fuerit praesentatus et admissus vicarius temporaneus, Ferraris *verb. Vic. paroch. n*. 8, Barbosa *ius eccles. univer. l*. 3 *c*. 6: 4° quando absit iusta causa mutationis, quippe cum Concilium non libitum sed ordinatum boni viri arbitrium Ordinariis concesserit, Reiffenst. *loc. citat. n*. 28 *in fine,* Pignatell. *loc. cit.*

Porro eiusmodi omnia in sui favorem concurrere Capitulum contendit argumenta petens ex iis quae iam deduximus, novisque auctoritatibus suas propositiones confirmans.

Sed ad iustam mutationis causam considerandam deveniens Capitulum, animadvertit, obiectam tenuitatem congruae, deficientiam lampadis ante SS. Sacramentum aliaque id genus, quamquam per hypothesim vera esse admitterentur, non ad eam tamen consequentiam posse produci, ut vicariorum perpetuitas constitueretur: emendari quidem debere abusus quin iura Capituli pessumdarentur.

Verum post haec confutare sategit quae ex adverso fuerant obiecta, non omissa animadversione, Capitulum non solere removere vicarios nisi ex magna causa; quod Episcopus admiserat, imo hoc facto idem Episcopus usus fuerat ad probandum, vicarios non esse censendos amovibiles.

Ad congruam quod spectat, praeter caetera contendit regulam ex Constitutione S. Pii V. *Ad exsequendum* applicandam in casu

Digitized by Google

esse tres ob causas: 1° quia norma illa a S. Pontifice constituta fuit pro vicariis perpetuis, et ideo vicarii temporanei nil amplius hac in re possent exposcere, quam ut perpetuis aequiparentur: nihilque maius proinde ex Bulla Nicolai possent sibi iure vindicare: 2° quia Pius VI. fel. recor. literis in forma Brevis quoad omnes paroecias dioecesis de qua agimus, providit, ut *ad annua scutata* 50 *monetae romanae non comprehensis incertis* earum congrua protenderetur: 3° quia S. C. C. capitularibus paroeciis eamdem aptandam esse regulam binis datis diversis temporibus decisionibus declaravit, idest, tum die 29 Septembris 1783 in quaestione a Parocho Montis Luiani proposita, cuius congrua iuxta pretia rerum quae tunc obtinebant ad scut. 87 evehebatur, petitae eiusdem congruae augmentum S. C. denegavit; tum recentius die 8 Maii 1824 ad Parochi Cesaemurciae recursum, cum constitisset eiusdem congruam intra scut. 43, 50 cohiberi, S. C. rescripsit: *Canonici compellantur ab Episcopo ad praestandum congruae augmentum, saltem usque ad complendum annua scutata* 50.

Quod si denique congrua augenda quoque esset, parari non debere Capitulo exitium ut vicariis consulatur, atque augmentum fieri debere inquit iuxta dictas literas in forma Brevis, in quibus Episcopo istius dioecesis praescriptum fuisse legitur: *quoad paroecias vero . . . tibi . . iniungimus ut illarum congruam ad scut.* 50 *monetae romanae non comprehensis incertis, aut plures simul uniendo, si fieri commode possit, aut Capellanias, vel ad eosdem patronos spectantes si de ecclesiis de iure patronatus agatur, vel liberas, si liberae sint collationis, translatis Missarum aliorumque piorum legatorum oneribus, praevia etiam, quatenus opus sit, illorum reductione et unione ad parochiales ecclesias, quarum redditus sic ampliantur, augeri cures et studeas.*

Ad Missam conventualem quod spectat quae a vicario alternis hebdomadis celebrabatur, pro qua celebratione, quotidiana eleemosyna annua retributio vicario rependebat Capitulum, animadvertit, id ex antiqua consuetudine procedere, quam tum constitutiones capitulares, anno 1755 a S. C. approbatae, tum Episcopi confirmarunt. Nec damnum exinde fidelibus derivare, cum vicarius posset quemvis Canonicorum vel Mansionariorum substituere. Neque posse dici vicarium esse a chorali officio ex-

Digitized by Google

traneum, cum contra dici deberet de gremio cathedralis ecclesiae, cum eius kalendario uteretur, Mansionariorum insignia deferre posset, atque olim onus, modo ius haberet chorali servitio interessendi.

Pro asservatione SSmae Eucharistiae animadvertit in tribus ruralibus paroeciis adesse praedia constituta pro manutentione lampadis, quoad reliquas paroecias adesse consuetudinem a synodo dioecesana adprobatam, qua constitutum erat, ut si ecclesiae paroeciales huic oneri impares essent, earum populum ad supplendum esse adigendum. Quod si fortasse ea consuetudo modo non servetur, negligentiae vicariorum esse tribuendum.

Hisce aliisque copiose deductis atque documentis rite communitis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An et quomodo constet de incompatibilitate Canonicatus » in casu.

» Et quatenus affirmative:

II. » An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione » quoad praeteritum, et pro dispensatione quoad futurum in casu

III. » An et quomodo constet de amovibilitate vicariorum » in casu.

IV. » An et intra quod tempus Capitulum nominare teneatur ad vicarias, ita et quomodo locum habeat devolutio in » casu.

» Et quatenus affirmative ad III.

V. » An declaranda sit perpetuitas vicariorum in casu.

VI. » An et quomodo consuetudo celebrandae Missae conventualis sustineatur in casu.

VII. » An et quomodo congrua singulorum vicariorum augenda » sit in casu.

VIII. » An et quomodo Capitulum teneatur ad expensas pro » manutentione lampadis ante SSmam Eucharistiam in ruralibus » vicariis in casu.»

Resolutio. S. Congregatio Concilii causa discussa die 24 septembris 1864 respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Digitized by Google

Ad III. *Affirmative.*
Ad IV. *Affirmative intra sex menses.*
Ad V. VI. VII. VIII. *Dilata, et ad mentem* (1).

Ex quibus inter caetera colliges:

I. Incompatibilem per se, idest ex iure, Canonicatum cum officio vicarii temporalis in cura animarum non esse: quamvis incompatibilem sub aliqua ratione esse possit per accidens, sive ex aliqua peculiari prohibitione sive quia Canonicus utrumque munus in facto adimplere rite non possit (2):

II. Eo minus incompatibilem per se censeri debere, si animarum cura insit pleno iure Capitulo ad quod Canonicus pertineat, qui tamquam temporalis vicarius fuerit a Capitulo deputatus.

III. In praesenti themate, iuxta frequentem veterem morem, in Capitulum incubuisse animarum curam, quam antiquitus Canonici singuli in solidum administrare debuissent aut saltem potuissent.

IV. Etsi eiusmodi administratio deinde fuerit Canonicis prohibita, ne nimis a claustrali vita distraherentur; derelicta tamen regulari vita, causam prohibitionis cessasse.

V. Laudabilem consuetudinem nihilominus permansisse, (quam universim Concilium Tridentinum commendavit optavitque) ut Canonici non per se cumulative, sed per vicarios nomine et deputatione Capituli determinatos administrarent.

(1) Haec causa ut indicavi etsi quoad haec quatuor posteriora dubia dilata fuerit, tamen hactenus non amplius fuit proposita, nec amplius fortasse proponetur, quod non raro contingit: quibus in casibus dicere solemus: *causa dilata est ad Kalendas Graecas.*

(2) De hac distinctione inter incompatibilitatem iuris et facti actum fuit in causa *Vicarii-curati* quam adduxi in *vol.* III. *pag.* 449. Cum simplex facti incompatibilitas non sit stricto sensu canonica, non producit eos effectus iuridicos, quos vera canonica incompatibilitas iuxta textus in *cap. Ad haec, cap. Praeterea cap. De multa de Praebendis* producit. Admissa vero in praesenti themate incompatibilitate facti, ita ut non posset Antonius facto ipso et officium Vicarii simul exercere et officium Canonici, quaeri ulterius posset, utrum indigeret indulto, ne fallentiis choralibus subiiceretur: mihi videtur Antonius hoc indulto non indigere; quia cura animarum inhaeret illi Capitulo ita, ut ipsum Capitulum quatenus Capitulum est, sit eo ipso verus Parochus, quod non prohibetur deputare unum ex suis membris ad officium sibi impositum obeundum; eo modo, quo non prohibetur deputare aliquem ex Canonicis ad quodvis aliud Capituli officium.

Digitized by Google

IV. Quare eiusmodi paroecias nunquam vacantes censeri, cum Parochus esset ipsum Capitulum, licet ab exercitio curae abstineret.

V. Invalescente Tridentina lege, quae universim officium contulit Episcopis deputandi illico oeconomos, ubi actualis cura vacaret, iura Capituli coercita hac in re aliquantulum fuisse.

VI. Neque videri vi Tridentinae Legis Ordinarium in praesenti themate eos vicarios potuisse perpetuos reddere, cum animarum cura pleno iure Capitulo inhaesisset in paroeciis subiective unitis (1).

VII. Eo vel magis quod graves et singulares causae non apparerent, ut hoc tanto iure praeclaroque officio Capitulum privaretur.

VIII. Non enim censeri posse sufficientes causas ad consti-

(1) Auctores exornantes caput 7 *sess.* 7 *Trid. Concilii. de Refor.* non consone loquuntur: neque id mirum, cum ipsum caput 7 non sit undequaque determinatum praesertim quoad vicarios perpetuos. Neque argui posset Ordinariorum potestas ex verbis quibus ipsis videtur tribui arbitrium. Namque arbitrium a iure concessum Iudicibus intelligi debet non absolutum, sed dirigendum iuxta sacros canones; ad summum, pro rerum ratione de quibus agitur, intelligi potest arbitrium quod dicitur boni viri. Itaque sententia praevaluit, ut Episcopi generatim possent cogere Capitula, quibus paroeciae fuerint unitae, ut vicarios temporales deputarent ne promiscue sine designato Pastore paroeciae regerentur, quacumque unione paroeciae fuerint unitae, sive per unionem quam dicunt accessoriam, sive per unionem subiectivam; item possent cogere Capitula ad constituendos vicarios perpetuos in paroeciis accessorie unitis; non autem in paroeciis subiective unitis. Inter utramque dictam unionem magnum intercedit discrimen: namque unio accessoria non efficit per se, ut Capitulum quatenus tale sit verus Parochus, et officium habeat immediatum curae animarum: sed efficit ut Capitulum teneatur ad satisfacienda onera, quae, cum paroecia accessorie unita, sunt connexa. Quare si vicarius perpetuus constitueretur in paroecia subiective unita, eo ipso spoliaretur Capitulum iure et officio Parochi et verus Parochus esse cessaret, cum in vicarium perpetuum tota transeat animarum cura, et hic vicarius verus sit Parochus, quamvis titulo destituatur; si vero poneretur vicarius perpetuus in paroecia accessorie unita, fere nullam iuris laesionem Capitulum persentiret, et quoad animarum curam, ea fere ratione ac antea se haberet, cum illi competat Parochi nomen, quia paroeciam tamquam rem temporalem possidet, cui officium curae animarum reperitur adnexum.

Legi potest hac in quaestione Fagnanus in cap. *Ex parte de officio vicarii,* qui haec tamquam certa tradens, eruditam instituit dissertationem, utrum expediat, ut S. Sedes dictos vicarios perpetuos constituendos esse decernat; de qua re fortasse in nostris ephemeridibus redibit sermo.

Digitized by Google

tuendos vicarios perpetuos, eas, quae universales sunt, quaeque desumantur ex meliori ratione, qua prospici paroeciis possit, quaeque omnibus similibus ecclesiis facillime aptarentur.

IX. Colliges demum statuto ab Ordinario oeconomo in vicariis temporalibus, teneri Rectorem iuxta generalem normam ad deputandum proprium vicarium intra sex menses.

DEPUTATIONIS OECONOMI CURATI

Die 27 Februarii 1869.

Compendium facti. In vetustissima ecclesia cathedrali F. in Neapolitanis provinciis, quae dein Sedi modo Archiepiscopali N. fuit unita, iuxta antiquissimum complurium ecclesiarum morem universo Capitulo imminebat animarum cura, quae per singulos Canonicos exercebatur iuxta ea quae exposita sunt in antecedenti causa.

Verum cum eiusmodi animarum cura in quemque Canonicorum incumberet iamdiu a saeculo decimosexto contigit, ut (unoquoque Canonico officium suum aliorum curis auxilioque commissum atque commendatum fortasse cogitante) omnes simul nihil propemodum in curam animarum agerent.

Episcopus id temporis, ut huic malo medelam afferret, anno 1598 ex venia Summi Pontificis publico exarato Instrumento, *erexit et deputavit in dicta Cathedrali ecclesia, de consensu et beneplacito praedictorum Canonicorum, Decanatum, tertiam dignitatem dicti Capituli, qui Decanus sit et esse debeat Curatus et curam animarum exercere tam parochianorum Cathedralis, quam aliarum parochiarum unitarum et omnia sacramenta ministrare... habere vocem et stallum in Capitulo ac deservire cum caeteris de capitulo in omnibus divinis officiis... esse debeat tertia Dignitas post Pontificalem et habere debeat omnes et singulas praerogativas... prout aliae Dignitates Capituli... Qui Decanus in portionem habere debeat et habeat decimam tertiam portionem ex omnibus fructibus, redditibus et proventibus... tam de massa grossa,*

Digitized by Google

quam de distributionibus quotidianis et mortuariis prout singuli et caeteri de Capitulo tantum et nil aliud.

Erecto itaque Decanatu statim Episcopus ille eumdem contulit praevio examine cuidam Sacerdoti absque ullo Capituli interventu; eodemque iure in posterum usi sunt caeteri Episcopi.

Usque ad annum 1862 res pacifice processerunt. Defuncto eodem anno Decano, Capitulum in oeconomum Curatum elegit Petrum, qui id temporis thesaurarii munus in Capitulo obibat: idque per literas Archiepiscopo significavit una cum nuntio mortis Decani.

Archiepiscopus iura episcopalia laesa existimans, nulla habita ratione huius electionis, alium deputavit Canonicum, qui interim curam animarum gereret quique de facto, acceptis a Capitulo libris parochialibus, officium obivit. Hac de re indignati sunt Canonici, et huiusmodi agendi rationi haud acquiescentes alias dederunt literas Archiepiscopo, ius sibi esse contendentes deputandi oeconomos Parochos. Quae quidem cum in irritum cessissent, S. Congregationi supplicem porrexerunt libellum, atque consuetum Rescriptum prodiit: *Archiepiscopo pro informatione et voto, audito Procuratore Fiscali, referat super bono iure, transmissis documentis ad rem facientibus.* Denique iuribus utrinque in medium deductis quaestio coram S. C. proposita est.

Disceptatio synoptica.

Iura Capituli. — Commemorabant Canonici Concordatum initum inter Pium VII. et Ferdinandum I. in Regno Neapolitano, et quamdam decisionem captam ab eis qui deputati fuerant ad Concordatum exsequendum; decisum namque fuerat, si Dignitati aut Canonicatui sit cura animarum adnexa ea non deberet tamquam parochia considerari, ea de causa, quod Canonicatus vel Dignitas tamquam titulus principalis praevalet. Hoc autem posito, inquiebat Capitulum, animarum curam, in re de qua agimus, accessorie fuisse unitam Dignitati Decanatus, proindeque quoad substantiam ad universum Capitulum pertinere quod per unum suorum eam exerceret: mortuo ideoque Decano universum Capitulum in exercitium curae subintrare debere.

Neque hanc distinctionem alienam esse subdebat a Constitutione Concilii Trid. *c.* 18 *sess.* 24 *de reform.* in qua statutum

Digitized by Google

fuit: *Expedit maxime animarum saluti, a dignis et idoneis Parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta Synodus, ut, cum parochialis ecclesiae vacatio, etiamsi cura ecclesiae vel Episcopo incumbere dicatur, ut per unum vel per plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus seu receptivis nuncupatis in quibus consuevit uni vel pluribus curam animarum dare (quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat) per obitum vel resignationem, etiam in Curia seu aliter quomodocumque contigerit, etiam si ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctae Romanae ecclesiae Cardinalium, seu Abbatum vel Capitulorum; debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de Rectore provideatur.* » In hac enim constitutione, inquiebat, sermonem esse de simplicibus ecclesiis paroecialibus, non autem de Cathedralibus aut Collegiatis; cum has Patres Tridentini non nominaverint, nec eos latere potuisset ius saltem plurium cathedralium nominandi oeconomos Parochos.

Ad haec confirmanda ostendebat Capitulum, habitualem animarum curam esse penes ipsum Capitulum, etsi eam actu exerceret Decanus; id ex eo praesertim probabat, quod in erectione Decanatus certa portio reddituum capitularium eidem adsignata fuerit, quod tamquam argumentum hisce in causis de cura habituali habuit S. Rota *coram Seraphino decis.* 1034 *n.* 5. Posita ergo habituali cura penes Capitulum, dispositionem Tridentinam applicari non posse inquiebat, cum non ageretur de vacatione ecclesiae seu curae, sed tantum exercitii, nunquam moriente principali Rectore.

Sed hypothesi quoque facta, ius duputandi vicarios seu ut aiunt oeconomos curatos in ipsis Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis ad Episcopos pertinere, contendit Capitulum, in praesenti themate id invocari non posse, ob vigentem contrariam consuetudinem.

Ad consuetudinem hanc probandam animadvertit, ante Decanatus erectionem actu et habitu animarum curam Capitulo inhaesisse: post eam erectionem habitu penes idem Capitulum

Digitized by Google

mansisse; quod praeter dicta ex eo Canonici inferebant, quod Decanus praesente Capitulo nunquam stolam assumeret; Defunctis et domibus sabato Sancto non ipse benediceret, sed Canonicus hebdomadarius; iura stolae nigrae ad universum Capitulum pertinerent.

Quamvis autem vetusta documenta ad haec probanda afferre non possent, quod anno 1799 archivium incendio fuerit absumptum; tamen in libris paroecialibus ab anno 1708 usque ad annum 1845 iugiter adnotata haec verba reperiri: *Initium oeconomatus Capitularis ob vacantiam Decanatus ecclesiae cathedralis:* et occasione provisionis Decanatus: *Initium Decanatus mei etc. et finis oeconomatus Capitularis.*» Haec quidem verba visa et adprobata fuisse in visitationibus episcopalibus.

Haec praecipua sunt, quae ex parte Capituli deducta fuerunt.

Iura curiae. — Procurator Fiscalis initio contendit, Curam habitualem penes Capitulum haud residere, cum Capitulum anno 1796 omnem animarum curam a se abdicaverit, ceu ex allegato Instrumento: ideoque Decanatum cum adnexa animarum cura ita fuisse erectum, ut praevio concursu libere ab Ordinario conferri posset et uti talem ab Episcopo id temporis et deinceps ab eiusdem successoribus fuisse collatum.

Iamvero vacante huiusmodi cura deputationem oeconomi curati ad Episcopum pertinere dubitari non posse, Ferraris *Biblioth. can. verbo Vicarius Parochialis n.* 33 *et* 44. « Deputatio » vicarii temporalis seu oeconomi in hoc ultimo casu vacationis » parochiae, spectat ad Episcopum, in cuius dioecesi parochia » vacans sita est, seu ad eum qui potest instituere concursum, » sic decisum fuisse a S. C. C. refert Barbosa. »

Verum, licet cura habitualis penes Capitulum resideret, non inde posse inferri ius Capituli deputandi oeconomum, cum ex allegato Tridentini Decreto aperte hoc ius adscriptum fuerit Episcopo in quavis ecclesia quae curam animarum habeat, quocumque polleret privilegio, *etiamsi cura ecclesiae... incumbere dicatur et per unum vel plures administretur.*

Idque pari ratione confirmatum esse a Pio IV. Constitutione *In conferendis,* Benedicto XIV, *Cum illud,* item *Cum semper,* et sic decisum fuisse a S. C. C. ceu tradit Barbosa *Iur. eccl. l.* 3 *c.* 6 *n.* 5, Garzia *de Benef. p.* 9 *c.* 2.

Digitized by Google

Quod si Decanatum tanquam vicariam considerare placeret, profecto eiusmodi vicariam perpetuam esse: iamvero ex communi Doctorum doctrina, eiusmodi vicarias, quibus adnexa sit animarum cura, non precario, sed canonica institutione conferri et tamquam verum Beneficium fere in omnibus considerari, iuxta responsum Innocentii III. *in cap. 27 de Rescriptis,* «*Non enim carere Beneficio debet dici, cui competenter de perpetuae vicariae proventibus est provisum.*» Quo in casu evidentiori ratione locum habere Tridentinam dispositionem: *etiamsi Cura ecclesiae.. incumbere dicatur et per unum vel plures administretur... etiamsi ecclesia parochialis generaliter vel specialiter affecta fuerit... in favorem Capitulorum.*

Ad consuetudinem quod attinet, animadvertit Fiscalis Procurator, generalem esse regulam in Neapolitano regno et immemorabilem consuetudinem, ecclesias paroeciales etiam Dignitati vel Canonicatui unitas per concursum conferri, et tempore vacationis eisdem prospici a propriis Episcopis absque ullo Capitulorum interventu: neque in ipsa Archidioecesi N. unquam esse auditum, inquit, Capitulum quodvis in huiusmodi nominationibus et praesentationibus ius aliquod sibi vindicasse, et Episcopos semper in huiusmodi pacifica possessione permansisse.

Reiiciebat deinde rationes ex adverso oppositas, et ad Concordatum quod attinet, si ex eo argui posset ius deputandi oeconomum tempore vacationis, pari ratione sequi eosdem Canonicos posse absque interventu et approbatione aut confirmatione Ordinarii exercitium curae assumere sicuti ante epocham erectionis Decanatus. Caeterum posita aliqua lege, non statim decretas censeri eius consequentias; praesertim quando tot ac tanta in contrarium militent argumenta.

Consuetudinem ex adverso obiectam ex eo praesertim nullam ostendi contendit, quod nullum documentum quo ea demonstraretur Capitulum afferre potuerit: namque verba ad eam probandam adducta, licet ut authentica admitterentur, observabat vocem *Capitularis* optime significare posse personam, quae etsi a Capitulo non nominata, officium tamen exerceret ad Capitulum habitualiter pertinens. Caeterum si eiusmodi ius Canonici exercuissent, saltem a tempore incendii, constitutiones capitulares, aut exemplaria epistolarum quibus notam fecerint Epi-

Digitized by Google

scopo deputationem oeconomi, proferre debuisse; quae, cum non patefacerent, ea non existere argumentum esse.

His aliisque utrinque adductis propositum est resolvendum

Dubium

« An et cui competat deputatio oeconomi curati in casu. »

Resolutio. – S. Congregatio Concilii die 27 Februarii 1869 respondere censuit: *Affirmative et deputationem competere Archiepiscopo, et amplius*.

Ex quibus colliges:

I. Ex Tridentina lege ad Episcopum seu Ordinarium dumtaxat pertinere deputationem vicarii paroecialis tempore vacationis paroeciae.

II. Eiusmodi ius seu officium extendi ad quasvis ecclesias paroeciales Episcopis subiectas, quamvis peculiaribus iuribus vel privilegiis censeantur illae donatae.

III. Quare cathedrales ecclesias sive collegiatas, quibus immineat animarum cura, quam per vicarium exerceant, tempore vacationis vicariae, eam Tridentinam legem declinare non posse.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 27 Februarii 1869.

Summaria precum. Petrus natione Gallus studiis theologicis perfunctus et in minoribus ordinibus duodecim abhinc annis constitutus ad sacros Ordines ascendere vehementer cupiebat.

Ob obtusam vero a nativitate, studiorumque laboribus obtusiorem redditam oculorum aciem, Officium Divinum regulariter recitare, Missasque occurrentes celebrare haud potuisset, sine gravissimo visivae virtutis nocumento.

Quare supplici oblato libello SSmo supplicavit, ut ei veniam indulgeret adimplendi aliquod aliud pium opus satisfactorium loco

Digitized by Google

Divini Officî recitandi et votivam Missam B. M. Virginis loco Missae occurrentis quotidie celebrandi.

Episcopus eiusque Vicarius Oratoris mores, pietatem ac doctrinam summopere commendarunt, eumque dignum testati sunt, ut ad superiores Ordines ascenderet: ait enim Episcopus: «Cleri- » cum *(Petrum)* dignum esse prae moribus, pietate et doctrina, » qui ad superiores Ordines ascendat facile testor; et ut devotis- » simas Oratoris preces gratia subsequatur libentissime suffragor.»

Ea quae ex officio animadvertebantur. Observatur itaque ex officio, Oratorem hoc malo afflictatum irregularitate canonica laborare. In veteri enim Lege vetabatur, ne corpore vitiati praecipue vero caeci sacrificia Deo offerent, ut patet ex *Levit.* 21, 18. quae quidem lex utpote caeremonialis ineunte Ecclesia etsi cessavit, tamen ad exemplum eiusdem legis ss. canones progressu temporis idem quoad substantiam prohibuisse, ut ex *can. Illiteratos Dist.* 16, in que legitur Pontificem Gelasium haec sua epistola declarasse: *Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos vel imminutos nullus praesumat ad Clericatus ordinem promovere, quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis; et vitiosum nihil Deo prorsus offerri legalia praecepta sanxerunt:* item ex titulo Decretalium, qui inscribitur *de Corpore vitiatis ordinandis vel non.*

Ad dispensationem vero quod attinet animadversum est, in praesentia agi non de promoto ad sacros ordines cui irregularitas supervenerit, sed de promovendo: porro praxim esse S. Sedis, ut difficilius dispensationem indulgeat cum promovendo, quam cum promoto.

At contra favore supplicantis consideratum est, eius mores, pietatem et scientiam, quae ab Episcopo et eius Vicario maxime commendabantur in consideratione haberi debere, hisce praesertim temporibus, in quibus Presbyterorum deficientia undique lugetur. Eo vel magis, quod orator non adeo nervorum oculorum debilitate laboraret, ut vix lucem a tenebris discernere posset; cum contra et videret et scriberet, et ecclesiae suae paroeciae diligenter inserviens non solum assisteret, sed etiam sacras caeremonias ritusque, qui in eadem ecclesia peragerentur, recte dirigeret; cumque praeterea adesset hac de re a proprio oratoris parocho et ab Episcopi Vicario revisa et subscripta Medici at-

testatio, qui testatus est, vim illius visivam in eodem, quo nunc esset statu, etiam in posterum permansuram, *nisi forte orator nimis longa et frequenti lectione oculos exagitaret.*

Maxime praeterea in consideratione esse habendum adnotabatur, undecim abhinc annis in puerorum institutionem oratorem incubuisse; ad quam quidem institutionem dignitatem sacerdotalem quammaxime conferre: atque inde ecclesiae utilitatem derivare, praesertim si perpendatur christiani nominis osores in id incumbere, ut iuventutis institutio et educatio depravetur.

Neque posse contra oratoris petitionem afferri quamdam causam *Neapolitanam Irregularitatis* diei 13 Septembris 1814, cum in ea sermo fuisset de Clerico, qui luminibus laesus nihil aliud praeter lucem a tenebris discernere valens, aliena usus opera studiis vacaverit, hausis aure, quae per oculos haurire nequiverat: nil proinde mirum si petenti facultatem Missam cum Sacerdotis assistentia celebrandi Sacra Congregatio *negative* responderit.

Denique et eximia quoque oratoris dispositio ad statum ecclesiasticum promereri videbatur gratiae impetrationem; namque amplo patrimonio fruens triginta sex iam annos natus ab ineunte aetate nihil aliud intendere visus est quam ad Sacerdotium ascendere.

Rescriptum. S. Congregatio perpensis precibus in comitiis habitis die 27 Februarii 1789. respondere censuit: *iuxta exposita non expedire.*

Ex quibus colliges:

I. Non expedire, ut ille, qui ad sacros Ordines sit promovendus indulgentiam obtineat non recitandi Officium Divinum Missasque praescriptas non legendi.

II. Neque ad id obtinendum tamquam causam afferri posse obtusam oculorum aciem; cum eiusmodi corporis defectus, si impediat quominus Officium Missasque praescriptas promovendus legat, tamquam irregularis sit hic habendus (1).

(1) Hac occasione abs re non erit declarare quomodo intelligenda sint Indulta quae per SS. CC. passim Presbiteris coecutientibus conceduntur. Id breviter more suo et accurate descripsit iuxta Decreta S. Congregationis Rituum cl. P. Aloisius a Carpo in suo *Caeremoniali iuxta ritum Romanum* edito anno 1868,

Digitized by Google

III. Irregularem autem, qui ad ordines sacros promoveri cupiat, regularem non reddi a S. Sede, nisi id omnino postulet aut necessitas aut evidens ecclesiae utilitas.

TRANSLATIONIS LEGATI PII

Die 23 Ianuarii 1869.

Summaria precum. Ab anno 1851 nobilis Sacerdos ex Marchionibus N. propriis expensis pium peragebat exercitium *Mensis pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.* quod, iam in eadem urbe institutum, fidelium eleemosynis celebrabatur. Et ne ipso defuncto exercitium illud praetermitteretur, suo testamento scutata 500 reliquit cum facultate haeredi tributa, ut *pii eius exercitii curam susciperet si solvere nollet dicta scut.* 500. Praeviso casu, quo haeres pium opus negligeret, addit, *quod si meus haeres negligat implementum pii legati, Episcopus pro tempore exigat scutata* 500 *legata ac ipse faciat satis pio exercitio.*

Hoc pietatis exercitium peragebatur in templo paroeciali S. Mariae.

Mortuo Sacerdote N. eius haeres frater supplicem S. C. obtulit libellum facultatem postulans, ut ipse suique desendentes legato satisfacerent non in templo S. Mariae sed in templo C.

pag. 166. « Missa votiva B. M. V. celebrari potest singulis diebus (excepto triduo Mortis Christi) a Sacerdote caecutiente, si Apostolicum obtinuerit Indultum; in qua albis utetur iugiter indumentis ac dicet secundam orationem de Spiritu Sancto, tertiam Ecclesiae vel pro Papa sine gloria (extra sabbatum) et sine credo, etiam diebus solemnioribus. Potest semper votivam dicere a Pentecoste ad Adventum, vel assignatam secundum tempus (etiam in Festis B. M. V.); itemque diebus non vetitis legere Missam de Requie. Si vero indultum sit assecutus votivam celebrandi Missam de S. Cruce, diebus solemnibus, quibus nempe Ecclesia ubi sacrum faciat, utitur colore rubro, erit ab eo adiugenda secunda oratio de B. M. V. tertia Ecclesiae vel pro Papa. At si miser Sacerdos plane caecus evadat, tum vero necesse est, ut a celebrando abstineat, donec novum impetravit Indultum; quo obtento, in celebratione sub gravi adigitur ad iugem praesentiam alterius Sacerdotis sibi comparandam qui ei adsistat, tametsi obligatio isthaec expressim non fuerit indulto apposita. »

Digitized by Google

Hic supplex libellus bis fuit S. C. expositus et prima vice responsio dilata est, secunda autem vice die 29 Ianuarii 1859 S. C. respondit: *Lectum.*

Spe autem non deiectus hoc negativo responso preces modo renovavit nobilis haeres et, praetermisso iure, translationem legati ex gratia postulavit: ratio enim praecipua cui haeres innitebatur, erat praedilectio a testatore ostensa erga templum C. in quo sibi etiam sepulturam constituerat. Sed contra aderat mos quo magno decore in templo paroeciali iamdiu sacra illa functio peragebatur, cuius occasione admittebantur et disponebantur pueri ad s. synaxim eaque functione ac pompa multitudo fidelium accurrebat non sine lucro pietatis.

Animadversiones ex officio. Animadversum est Ecclesiam gratam semper se praebuisse erga eos, quos bene de se meritos novit, quosque omni beneficiorum genere cumulare suevit: iam vero nobilem testatoris familiam pluribus piis institutionibus, adeo de Ecclesia benemeritam fuisse, ut non levem ob id in bonis suis iacturam tulerit ceu Episcopus ipse testatus erat: ideoque decere ut eiusmodi voluntas in re non gravis momenti obsecundaretur: eo vel magis quod non deessent concessae translationis exempla si, prout in praesenti themate, divini cultus detrimentum et populi incommodum exinde non sequatur, ut nominatim in *Leodiensi Reductionis et translationis* diei 24 Maii 1823.

Contra tamen, animadvertebatur, per eam translationem vulnus infligi iuri a templo S. Mariae acquisito; certum autem esse gratias et privilegia iuri alterius quaesito detrimentum inferre non debere, *cap. Si quando, de Rescriptis.*

Rescriptum. S. Congregatio perpensis precibus in comitiis habitis die 23 Ianuarii 1869 rescribere censuit: *In decretis sub die 29 Ianuarii 1859 et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Rationem postulare, ut illis, quae bene in Ecclesia constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur, *Conc. Tr. sess.* 25. *c.* 5. *de Ref.* (1).

(1) Simile principium, imo etiam gravius legimus in iure civili in *Reg. Iuris ff. l.* 85 §. 1. « *Non est novum, ut quae utiliter constituta sunt, durent licet ille*

Digitized by Google

II. Quare aliquod pietatis exercitium rite in aliquo templo statutum utiliterque servatum auctumque fidelium eleemosynis atque legatis, non posse facile in aliud transferri templum.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

SUSPENSIONIS ET DISTRIBUTIONUM

Die 29 Februarii 1869.

Compendium facti. Canonicus Theologus N. in Cleri institutionem incumbebat ex mandato Episcopi in seminario dioecesano. Sede vacante, cum officium postulasset et accepisset regii Administratoris bonorum ecclesiasticorum sub Italico Gubernio spretis censuris, Vicarius Capitularis eum removit ab illo docendi officio, accedente etiam renunciatione eiusdem Theologi.

Creato atque constituto novo Episcopo, Theologus ille munus obivit declarandi in templo sacras Scripturas populo et Clero quod est proprium Canonici Theologi officium.

Magno apparatu initium hisce scripturalibus lectionibus datum est die 20 Februarii 1868, ita ut adsisteret Episcopus, Vicarius Generalis qui fuerat Vicarius Capitularis, seminarium et magnus numerus Clericorum et populi.

In sermonis exordio inter caetera Theologus ille reprehendit electionem praeteritam Vicarii Capitularis ut inconsultam, asseruit se iniuria fuisse submotum ab officio Magistri in seminario non sine omnium admiratione aut dolore, atque deinde in propositiones iniuriosas et calumniosas prorupit adversus regimen Vicarii Capitularis sede vacante eiusdemque personae.

Episcopus his auditis cum Clericis seminarii e templo illico discessit, ac emisso Decreto suspendit Theologum a Missae celebratione, atque deinde iniunxit eidem tum ad scandalum repa-

casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. Confer etiam causam *Servitii Chori* quam adduxi *pag. 148* in qua hoc principium locum adamussim habet.

Digitized by Google

randum tum ad suam conscientiam componendam spiritualia exercitia octo dies

Theologus obedivit quoad suspensionem, sed non item quoad spiritualia exercitia, rationes adducens, quae ipsum potius condemnassent si sanioris fuisset mentis; inquiebat enim se iudicio plene deliberato ea dixisse, seque sperare fore, ut ea quae dixerat essent in posterum profutura; seque reum non esse cum eximium officium implevisset praedicandi super tecta etc. Cum igitur obedire adhuc detrectaret, suspensus fuit plene a Divinis et ab ingressu chori in cappa canonicali.

Nihilominus, intercedente Vicario Generali, qui antea fuerat Vicarius Capitularis, Episcopus praeclarum dedit exemplum suae pastoralis indulgentiae. Namque Decretum edidit die 6 Aprilis his verbis: « Te canonicum (N) a censuris quas infliximus, li- » beramus et solvimus et iurium tuorum exercitio restituimus. » Memineris tamen, Nos te solvere non posse ab obligatione » qua teneris vi legis Divinae reparandi scandalum gravissimum... » Et quousque hanc reparationem non dederis, tibi nunquam » facultatem dabimus absolvendi a peccatis, quapropter care- » bis: neque consueta amicitiae signa, quae aliis Canonicis et » Sacerdotibus damus tibi dare poterimus. » In memoriam eidem revocavit non posse a Confessariis absolvi quin satisfaceret obligationi reparandi scandalum.

Haec obligatio reparandi scandalum ita declarata, visa est eiusmodi Canonico illi, ut frustraneam redderet absolutionem a censuris, ideoque se abstinere perrexit ab ingressu chori.

Denique, in irritum cessis etiam fraternis Canonicorum consiliis ut Episcopi mandatis plene pareret, preces convertit ad S. C. Ep. et Reg. ut irritis declaratis suspensionis Decretis eidem restitueretur praesentia in choro cum ex facto non proprio sese abstinuerit, atque reintegraretur in exercitio omnium iurium prouti ante suspensiones gauderet.

Servatis itaque de more servandis causa sub infrascriptis dubiis proposita est coram S. Congregatione.

Disceptatio synoptica.

Ea quae animadversa sunt pro theologo. Licet post absolutionem a censuris superfluum in praesentia fuisset de earundem validi-

Digitized by Google

tate disputare, tamen aliquid adnotare necesse erat, ut inde ferri iudicium posset super secundo dubio. Quare ex officio nonnulla sunt animadversa favore Theologi, quae gravitatem iniuriarum calumniarumque attenuare videbantur; posita autem culpae levitate, observabatur, suspensionem esse gravem poenam quae infligi non potest nisi ob ea delicta *propter quae* (delinquentes) *suspendi debeant vel deponi,* quemadmodum praescripsit Alexander III. *cap.* 4 *de iud.* cuius integer textus ita legitur: *At si Clerici coram saeculari iudice convicti fuerint vel confessi de crimine, non sunt propter hoc a suo Episcopo aliquatenus condemnandi. Sicut enim sententia a non suo iudice lata non tenet, ita nec facta confessio coram ipso. Si vero coram Episcopo de criminibus in iure confessi sunt, seu legitima probatione convicti, dummodo sint talia crimina, propter quae suspendi debeant vel deponi, non immerito suspendendi sunt a suis ordinibus vel ab altaris ministerio perpetuo removendi.*

Item Benedictus XIV. in opere *de syn. dioec. lib.* 10. *cap.* 1. docet: « Quamquam pauci quidam Doctores affirment, suspensio» nem et interdictum ob levem culpam ferri posse, rectius ta» men alii docent, suspensionem a Divinis, seu ab officio et Be» neficio ad longum tempus, atque interdictum etiam personale » si non partiale sit, sed integrum et totale, nec valide propter » culpam levem, nec prudenter propter lethalem, quae gravio» ribus non accenseatur, irrogari. »

Posita itaque levitate culpae, primam suspensionem videri saltem exorbitantem, quae quoque maior evasit ob indicta spiritualia exercitia, multoque gravior per subsequentem suspensionem a Divinis et ab ingressu chori in cappa canonicali; atque uno eodemque titulo plures poenas fuisse cumulatas contra dispositionem ss. canonum *Capit.* 4 §. 2 *de Iudiciis,* cum Iudex non debeat reum duplici contritione conterere: ibi enim legitur: « *De adulteriis vero et aliis criminibus, quae sunt minora, potest Episcopus cum Clericis post peractam poenitentiam dispensare. Sed non debet quemlibet depositum pro suis excessibus (cum suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere) iudici tradere saeculari.* » Quare videri, revocandum esse suspensionis Decretum, atque Canonicum reintegrandum esse in omnibus suis iuribus.

Digitized by Google

His aliisque animadversis favore dicti Canonici, consideratum hinc est, non semel S. Congregationem Concilii declarasse deberi Beneficiariis a choro absentibus ob iniustam inquisitionem aut vexationem omnes quotidianas distributiones caeteraque emolumenta, ac si choro praesentes fuissent, ut in *Arianen*. 21 Aprilis 1635, in *Anagnina* 23 Augusti 1681, in *Imolen*. 19 Nov. 1707, *in Lucana* 23, Iul. 1716 *in Ferentina* 2 Augusti 1721. In specie vero quoad impedimentum ex censuris derivans scripsisse Ferraris *Bibl. can. verbo Distributiones art.* 1 *n.* 28 « Canonico » excommunicato ac postea per sententiam absoluto, quae in » rem iudicatam transivit, deberi distributiones quotidianas, et » si quae alia sunt emolumenta, quae ab infirmis percipi con- » sueverunt, censuit S. Congregatio Concilii, ut refert Fagna- » nus etc.» Item Barbos. *Iur. eccles. univ. lib.* 3 *cap.* 28 *n.* 73: « Suspensus iniuste ab officio vel Beneficio lucratur distributio- » nes quotidianas, quamvis divinis officiis non intersit.»

Ea, quae animadversa sunt contra Canonicum. Commemoratis iniuriosis verbis atque calumniosis, quibus persona quae functa erat munere Vicarii Capitularis graviter affecta fuerat, quaeque Archidiaconatus dignitate decorata tam Capituli quam novi Episcopi eximiam existimationem promerita fuerat tum in dicto munere Vicarii Capitularis eidem collato, tum in novo munere Vicarii Generalis, atque proinde publicam existimationem, animadversum est, easdem iniurias graviores evasisse inspectis circumstantiis concomitantibus superius indicatis: quare non videri Episcopum praetergressum fuisse sui officii limites si ob publicam iniuriam calumniosamque detractionem suspensione affecerit detractorem et calumniatorem eumque coegerit ad scandalum gravissimum reparandum, nec non, pertinacia perseverante, censuram auxerit.

Caeterum de censuris in praesentia eumdem Canonicum conqueri non posse, cum iam fuerit absolutus; neque eumdem liberari posse ad scandalum reparandum, cum id ex divina lege sit praescriptum, et ad calumnias retractandas, quemadmodum docent Auctores Theologiae moralis.

Quin imo in ipsum societatis commodum civiles etiam leges ad palinodiam auctorem iniuriarum damnasse, Voet ad Pandectas *lib.* 47 *tit.* 10 *n.* 17 *et seqq.* in quo inter caetera docuit: « Non

Digitized by Google

» in omnis generis iniuria locum habet palinodia, sed tantum » in verbali, ut ita, verbis recantando, medelam adhibeat, qui » verbis laesit, et eodem modo purgetur iniuria quo illata est. » Non itaque immerito Episcopum inculcasse Canonico obligationem reparandi publicam laesionem honoris, etiam independenter a censuris.

Hisce autem positis, facile consequebatur, non potuisse Canonicum exigere quotidianas distributiones et reliqua emolumenta, quae praesentibus in choro obveniunt. Atque accurate distinctis duabus temporum differentiis, idest a censuris inflictis usque ad earumdem absolutionem, et ab absolutione et deinceps, animadversum est, priori temporis spatio ob iustam suspensionem non potuisse distributiones percipere, Ugulin. *tract. de censur. 4 cap.* 6 aliique, et S. C. Concilii in *Castren.* 30 Martii 1726, in qua Beneficiarius de inflicta ab Episcopo suspensione conquestus a S. Congr. obtinuit responsum: *Non esse amplius molestandum*. Vi huius responsi quaesivit etiam distributiones a tempore inflictae suspensionis usque ad dictum responsum, et proposito dubio coram eadem S. C. « an Sacerdoti Dominico ... absenti debeantur distributiones et introitus *(idest caetera emolumenta)* ecclesiae receptitiae, in qua adscriptus et admissus reperitur in in casu: » S. Congregatio die 13 Aprilis respondit: *Negative et amplius*.

Ad tempus subsequens quod spectat nihil impedimento fuisse Canonico, quominus choro interveniret, ideoque eiusdem voluntati esse adscribendam a choro absentiam; proindeque easdem distributiones eidem non deberi iuxta dispositionem Bonifacii VIII. *cap. unic. de Cler. non resid. in* 6 a Concilio Trid. innovatam in *sess. 24 cap. 12 de Refor.*

His aliisque animadversis, proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An et quomodo Sacerdos (N) reintegrandus sit in libero » iurium exercitio, quibus gaudebat ante actum suspensionis in » casu. »

II. » An et quomodo concedenda sit eidem Sacerdoti prae» sentia in choro a tempore Decreti diei 20 Februarii 1868 » usque in praesens in casu. »

Digitized by Google

Resolutio. S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 29 Februarii 1869 causa cognita respondere censuit.

Ad I. *Provisum per Decretum Episcopi diei* 6 *Aprilis* 1868 *cui Sacerdos* (N) *pareat.*

Ad II. *Negative.*

Ex quibus colliges:

I. Ad normam ss. Canonum suspensionem a Divinis idest ab officio et Beneficio ad longum tempus infligi non posse nisi ob graviores lethales culpas.

II. Canonicum a Divinis suspensum non percipere distributiones chorales et reliqua emolumenta tempore absentiae causa huius suspensionis de cuius iniustitia non constet.

III. In praesenti themate Canonicum iniuriarum et scandali auctorem Episcopo reluctantem sibi adscribere debuisse magna ex parte absentiam a choro, cui intervenire non semper fuerat prohibitus.

INSTITUTIONIS

Die 19 Februarii 1869.

Compendium facti. Titius Clericus oppiduli dioecesis N. ab Episcopo commendatus, a patrono laico praesentatus est ad Canonicatum intra legitimum quadrimestre tempus quod patronis laicis conceditur. Contigit inde ut, insimulatus criminis, eius fama non levibus indiciis publice laesa fuerit: Episcopus qui iuxta praesentationem instituere canonice deberet Titium in Canonicatu, ab institutione abstinuit, et certiorem de hisce rebus patronum faciens, ab eodem patrono habuit facultatem alium nominandi.

Episcopus intra idem quadrimestre tempus nominasse affirmatur Sacerdotem Iosephum non quidem scriptis, sed viva voce; atque simul mandavisse expediri Bullas et institutionis literas pro dicto Iosepho intra idem utile quadrimestre tempus.

Verum his non acquievit Titius; cum enim hic iure denegari sibi institutionem non posse contenderet, prius ad S. C. Concilii

Digitized by Google

se convertit ad sua praetensa iura vindicanda; sed ab hac cum Rescriptum obtinuisset, *Orator utatur iure suo prout et coram quo de iure; et reponatur,* preces deinde convertit ad Sac. Congr. Episcop. et Regul. cui competit iudicare de criminibus Clericis impactis.

Disceptatio synoptica.

Iura Titii. Titius sua iura defendens, inquiebat, intra utile quadrimestre tempus se esse unicum praesentatum; ideoque ius habere ad canonicam institutionem: namque praesentato legitime a patrono denegari institutionem non posse, nisi quando inhabilis reperiatur, Benedictus XIV. *de Syn. dioeces. l.* 12. *c.* 7. Schmalzgrueb. *Ius can. tom.* 3. *part.* 4. *tit.* 38. *n.* 257. atque eius idoneitatem fuisse comprobatam ostendebat documentis pluribus atque attestationibus, non modo de muneribus ecclesiasticis optime gestis, verum etiam de bona fama bonisque moribus: idque testatos esse graves viros non excluso Episcopo et Vicario Generali: illudque iudicium datum fuisse atque perseverasse usque ad finem quadrimestris temporis.

Ut autem ostenderet, se unicum esse praesentatum intra idem tempus, enarrabat, Canonicatum vacasse die 1. Maii; nullumque adesse indicium novae praesentationis, imo contrarium constare, cum Episcopus, pereunte mense Augusto, obtulerit Iosepho quamdam paroeciam, cumque ab eo acceptationis huius paroeciae responsum expectare non potuisset nisi elapso eodem mense Augusto, idest quadrimestri.

Neque obstare subiungebat, quosdam malae famae rumores, cum destitutae essent reali fundamento: quod si existeret, neque Episcopus, neque caeteri ipsum commendavissent eo ipso tempore, quo eiusmodi rumores vulgarentur: quin imo pluribus indiciis atque praesumptionibus curavit Titius a se excludere inpactum crimen.

Iura curiae. — Ex officio pro Curia animadversum est, ex habitis testimoniis malam Titii famam penitus destitutam fundamento non videri: ac negari non posse, Titium infamiae facti saltem esse obnoxium, quae, ut scripsit Ferraris *verb. Infamia n.* 3, « oritur ex evidentia commissi alicuius delicti infamantis, » seu vulgata opinione de tali commisso delicto, propter quod

Digitized by Google

» delinquentis bona aestimatio apud probos et honestos viros » laeditur, licet ab ipso iure expresse non notetur aliqua infa- » mia, nec per sententiam irrogetur. »

Attamen, observatum est, disputari posse, utrum Clericus infamia notatus, impediatur, quominus Beneficium obtineat, cui fuerit praesentatus: namque Panormitanum, Navarrum aliosque existimare quidem electionem eiusmodi Clerici esse *ipso iure* nullam; at Ferraris *loc. cit.* contra existimare eiusmodi nominationem esse quidem illicitam, non autem invalidam, cum scripserit: « Quamvis sic infamis non debeat eligi, nec provideri » ex communi Doctorum sententia, eius tamen electio, seu pro- » visio non videtur ipso iure irrita, sed irritanda, quando suf- » ficienter constabit de facto criminoso. » Card. De Luca *de Benef. disc.* 70 *n.* 5. distinguere ita, ut si agatur de iure plene quaesito, Beneficiarium privari non posse suo Beneficio, nisi perfecte probetur impactum crimen: non autem si de iure quaerendo agatur idest ad eum repellendum a Beneficii assecutione, « cum tunc omnino verius est, solam diffamationem de facto suf- » ficere...ut propterea in Beneficiis, quae digniori vel magis be- » nemerito danda sunt, alter concurrens praeferri debeat.» Item Vivian. *de iure patr. l.* 12 *cap.* 7 *n.* 1.

Eamdemque doctrinam secutam esse S. Rotam *in Trivicana Iurispatronatus* 17 Iun. 1718 *cor. Foscaro,* apud Fargnam *de Iurep. p.* 5 *can.* 12 *cas.* 3, quae tamen docuit eam regulam locum certo habere in casu « quo plures fuissent electi vel praesentati, » quorum respectu non eadem militat ratio, cum illorum ad- » missio, exclusa quoque diffamatione, pendere dicatur a futuro » et ancipiti praeelectionis eventu » cum contra tenendum sit praesentatum etsi ex sola praesentatione Beneficium non acquirit, ex ea tamen adeo firmum habere ius, ut nisi supervenerit causa iusta et concludenter probata, denegari nequeat institutio sine labe iniustitiae, ceu ibidem perpendit S. Rota.

Verum, Titium in praesenti themate non esse unicum praesentatum ad Canonicatum; ideoque sub hac saltem ratione eidem obstare infamiam facti.

Satis enim exploratum esse in iure, observabatur, Patronum laicum posse intra quadrimestre tempus suam nominationem variare et cumulative alios candidatos praesentare, Lambertin.

Digitized by Google

de iurep. l. 2 *p.* 2 *q.* 7 *art.* 1 *n.* 4. Fargna *par.* 2. *can.* 9, 19, 11, Rota *decis.* 91 *n.* 6 *coram Priolo:* quod etsi in praesenti themate patronus non variavit per se ipsum nominationem, tamen eumdem die 12 Augusti eam facultatem fecisse Episcopo: quare nihil aliud superesse, quam inquirere, an Episcopus hac facultate fuerit usus.

Animadversum autem est in facto, Episcopum iam a die 7 Octobris 1867, cum causa penderet penes S. C. C. suis scriptis declarasse, se accersivisse Iosephum die 22 Augusti, et virtute sibi collatae facultatis *comparentem viva quidem voce, non scripto instrumento, cumulative nominasse.* Porro cum in iure non reperiatur praescripta forma peculiaris ad praesentandum, id fieri posse sive voce sive scriptis, Lotter *de re Benef. l.* 2 *q.* 2 *n.* 36, Rota *decis.* 739 *n.* 14 *part.* 18 *tom.* 2 *recent.* et in *Melevitana Beneficiorum* 10 Iunii 1712 §. *his, coram Aldrovando.* Quamvis autem in facto aliquod videretur haberi indicium, quod fortasse huic assertae nominationi viva voce factae opponeretur, constare tamen satis de Episcopi mandato diei 29 Augusti ad Bullas expediendas et dandam possessionem Iosepho: nec non de Bullis iam concinnatis in quibus facta esset mentio praesentationis Iosephi factae die 22 Augusti.

Hisce autem positis extra controversiam videri, omissa quaestione de crimine Titio impacto, ius esse Episcopi instituere in Canonicatu quem malit ex duobus cumulative praesentatis, *Cap. Cum autem de iurep.* ibique Doctores.

Hisce aliisque relatis propositum est resolvendum

Dubium

« An et cuius favore institutio danda sit in casu. »

Resolutio S. Congregatio Episc. et Reg. die 19 Februarii 1869 causa cognita respondere censuit: *Affirmative, favore illius ex duobus praesentatis, quem Episcopus praeferendum duxerit.*

Ex quibus colliges:

I. Patronis laicis, quibus ex communi iure conceditur tantum quadrimestre tempus ad praesentandum, facultatem inesse variandi intra idem tempus praesentationem vel alios simul praesentandi.

Digitized by Google

II. Episcopum inter plures cumulative praesentatos eos posse instituere quem praeferendum duxerit.

III. Infamiam facti esse posse causam repellendi praesentatum seu denegandi eidem institutionem, ad quam per praesentationem ius acquisivit (1).

(1) Causa similis pertractata fuit penes S. C. C. die 28 Martii 1722, cuius synopsis, prout in *Thesauro Resolutionum* legitur ita se habet.

Imolen. Parochialis. Sacerdos Ioseph praesentatus fuit a Communitate terrae Massae Longobardae ad Ecclesiam Parochialem S. Pauli et absente a Dioecesi Eminentissimo Episcopo, qui in Urbe morabatur occasione electionis Summi Pontificis, admissa fuit a Vicario Generali praesentatio cum clausula, *si et in quantum*.

» Secuto Eminentissimi Episcopi reditu ad Dioecesim et instante Promotore fiscali, ne Sacerdos Ioseph ad Parochialem admitteretur sub fundamento, quod non esset bonis moribus imbutus, et quod de quadam inhonesta cum muliere conversatione esset diffamatus, ita ut de recenti eidem inhibitum fuisset, ne ad eius domum accederet, et cum ea conversaret, etiam sub praetextu Consanguinitatis, ad novam cumulativam praesentationem devenerunt in personam Sacerdotis Francisci Gallupii, qui de praesenti est Parochus in Dioecesi Ferrariensi et haec postrema praesentatio fuit admissa, et simul, et semel reiecta est alia, quae facta fuerat in personam Sacerdotis Iosephi.

» Appellatione a succumbente interposita, causaque ad hanc Sac. Congregationem delata disputandum in praesenti proponitur dubium mox referendum. Instatque Promotor Fiscalis pro reiectione saepe memorati Sacerdotis Iosephi, cum non agatur de privando, sed de repellendo in quo rerum themate sufficit diffamatio nec requiruntur probationes concludentes, sed leviores iuxta late deducta per *Rot. decis 202 n. 14 et seqq. cor. san. mem. Alexandro VIII*.

» Ex iuribus itaque circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere.

» An et cui sit adiudicanda Parochia-
» lis, de qua agitur in casu. »

Resolutio. *Parochialem esse adiudicandam Sacerdoti Francisco Gallupio, et amplius*.

Digitized by Google

EX SECRETARIA BREVIUM

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER, QUINQUAGESIMO SUI PRESBYTERATUS ANNO, GESTIENTE CATHOLICO ORBE, ATQUE OBSEQUIA ERGA COMMUNEM PATREM DEFERENTE, PLENARIAM PECCATORUM INDULGENTIAM FIDELIBUS SACRO ADSTANTIBUS DIE XI APRILIS CONCEDIT.

PIUS PP. IX.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Quod in maximis Nostris acerbissimisque curis vix fore sperabamus, ut tam longum Nobis vitae curriculum conficiendum daret Altissimus, adeo ut exacto quinquagesimo suscepti Presbyteratus anno, Sacrum possemus sollemniori pompa celebrare; id undecimo die adventantis Aprilis, si ita Deo placuerit, eveniet. Haec autem lux, quae Nostrum summa perfundit animum voluptate, novam fidelibus expromendae pietatis, testandaeque erga Nos observantiae suae obtulit occasionem. Scilicet ipsi incredibili studio tam faustum Nobis eventum gratulantes, enixas nobis preces humiliter adhibuerunt, ut huius diei laetitiam suo cum spirituali bono coniungere, caelestesque Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Deus, in ipsorum favorem reserare idcirco dignaremur.

» Nos igitur piis hisce catholici orbis votis obsecundare lubenti animo volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui hoc anno, undecima die mensis Aprilis qualibet in Ecclesia seu Oratorio sacrosancto Missae Sacrificio adstantes, vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, pro peccatorum conversione, Catholicae fidei propagatione, et Romanae Ecclesiae pace ac triumpho, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quae etiam Ani-

Digitized by Google

mabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari poterit, misericorditer in Domino concedimus. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae.

» Datum Romae, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XVI. martii MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri An. XXIII. »

N. Card. Paracciani Clarelli.

Digitized by Google

APPENDIX XII.

VOTUM IURISCONSULTI DE QUIBUSDAM DUBIIS QUAE IN HISPANIIS EXCITATA SUNT CIRCA ELECTIONES VICARIORUM CAPITULARIUM, QUOD S. C. C. PROPOSITUM FUIT DIE 16 IANUARII ANNO 1862.

COMPENDIUM FACTI. Vacante Sede episcopali N. in Regno Hispaniarum mense Februario 1838, Capitulum Cathedralis eiusdem infra octiduum ab obitu sui Episcopi legitime congregatum in Vicarium Capitularem elegit maiori suffragiorum numero Canonicum Decanum eiusdem ecclesiae, qui erat Doctor in civili iure. De hac electione Canonicus alius eiusdem Capituli coram Metropolitano conquestus est, emissa prius in capitulari conventu *protestatione* cum ipse in electione fuisset posthabitus contra Concilii Tridentini sententiam, quippe cum unicus esset inter Capitulares in canonica iurisprudentia Licentiatus, quique unum suffragium in urna capitulari obtinuerat.

Archiepiscopus a quolibet ferendo iudicio super exorta controversia abstinuit et supremum Apostolicae Sedis oraculum exquisivit.

Paucis post hebdomadis vacavit altera episcopalis Sedes. Capitulum legitime convocatum est ad eligendum Vicarium Capitularem. Octodecim erant suffragantes, (quorum aliqui per Procuratorem) atque electus fuit Canonicus B. qui absens erat, quique repraesentatus fuerat per Archipresbyterum tamquam eius Procuratorem. Hic Canonicus gradum tantum Baccalaureatus in iure canonico fuerat assecutus, et Advocati titulo ornabatur, quique praeterea duos et viginti annos Vicarii Generalis munere perfunctus erat: in eius autem electionem undecim suffragantes convenerunt, reliqui vero septem in Canonicum Decanum, qui Doctor erat in canonico iure; inter hos septem suffragantes duo Parochi recensebantur, qui in eadem ecclesia erant quidem Praebendati, sed canonicali titulo haud insigniti.

Adversus eiusmodi capitularem electionem protestatus est Canonicus Scholasticus, qui insimul querelam movit penes suum Metropolitanum, tum quia Vicarius electus nec Doctor nec Licentiatus esset in canonico iure, et quinque Doctores in eo Capitulo adessent, tum quia suffragium eius Procurator eidem electo dedisset, etsi hoc ex secreto scrutinio deprehendi certo nequibat.

Metropolitanus, ut alter fecerat, a iudicio ferendo abstinuit, quod variae essent hac in re Auctorum sententiae, et iudicium S. Sedis postulavit.

Hac occasione capta Apostolicus Hispaniarum Nuntius alias commemoravit quaestiones. In alia Hispana dioecesi inter Capitulares nullus aderat Doctor aut Licentiatus in sacris canonibus, unicus Decanus erat Doctor, sed in iure tantum caesareo.

Digitized by Google

Vacante sede episcopali in Vicarium Capitularem electus est Presbyter moribus et scientia spectabilis, qui alias eiusdem Vicariatus munere fuerat egregie perfunctus. Capituli Decanus postulavit a suo Metropolita, ut haec electio irrita declararetur, atque obtinuit Decretum, quo ipse in Vicarium fuit constitutus.

Hoc Decretum aegre tulit Capitulum et illico ab eodem Metropolita postulavit, ut suspensa Decreti exsecutione causa coram ipso, forma iuridica servata, disceptaretur. At Metropolitanus non modo posthabuit Capituli petitionem, verum etiam appellationem tam in suspensivo quam in devolutivo recusavit; eam ob causam, quod de decisione agebatur a se emissa ex auctoritate sibi a Concilio Tridentino tributa, simulque detrectantes Capitulares graviter admonuit, ut Decreto obtemperarent.

Paruit tandem Capitulum ne maiora sequerentur damna: at opponere non omisit: limites iurisdictionis fuisse Archiepiscopum praetergressum, qui Capitulares audire debuisset: eisdem novam debuisse committere electionem, si ea fuisset vitio nullitatis infecta, cum electus haud esset indignus etc.

Cum itaque eiusmodi quaestionem frequenter occurrerent occasione vacationum, instantibus tum Capitulis tum ipsis Metropolitis Nuntius Apostolicus nonnullas exhibuit controversias enodandas ad iuris tramites, ut certa quaedam haberetur norma in Hispaniis observanda, ita ut, sive per Metropolitanum sive per ipsum Nuntium Apostolicum eiusmodi quaestiones possent prorsus extingui.

Haec autem ipse Nuntius scitu necessaria esse existimavit: idest, in pactis nuperrime conventis inter S. Sedem et Reginam Hispaniarum anno 1851 recenseri, circa Vicarii Capitularis deputationem, servandum adamussim Tridentinum Decretum *cap.* 16 *sess.* 24 *de Refor.*; tamen non semel evenisse, ut etiam post pacta conventa deputati fuerint alicubi Vicarii Capitulares nec Licentiati, nec Doctores in canonico iure, licet eiusmodi graduati non deessent in Capitulo, non secus videlicet ac esset in more ante pacta conventa, quippe cum gradus illi non reputarentur necessarii; maxime vero si Vicarius electus simili gradu praeditus esset in iure caesareo: animadvertit demum inter hodiernos scriptores, alios firmiter asseverare nullam esse Vicarii Capitularis electionem etsi agitur de viro, qui Vicarii Generalis Episcopi praedefuncti per quodvis temporis intervallum sit munere perfunctus, nisi memoratis gradibus in iure canonico decoretur in in publica studiorum Universitate solemniter obtentis, licet unus tantum in Capitulo reperiatur similiter graduatus, qui nullo caeteroquin canonico detineatur impedimento ad vacantem dioecesim rite gubernandam.

Addidit praeterea inter caetera Nuntius in pluribus Hispaniarum dioecesibus aut Doctores seu Licen-

Digitized by Google

tiatos non adesse, aut raros esse, neque eosdem semper eas qualitates exhibere, quae necessariae videantur ad dioecesium vacantium regimen. Hisce aliisque expositis idem Nuntius proposuit nonnulla dubia Sacrae Congregationi Concilii, quae ea ratione concinnata fuerunt, prout in calce prostant.

Habita ratione gravitatis quaestionis ipsa S. C. deputavit Iurisconsultum, qui Votum de hisce quaestionibus conscriberet suamque potefaceret sententiam: quod quidem Votum in sua integritate Lectoribus nostris damus.

VOTUM IURISCONSULTI.

« De singulis hisce quaestionibus sententiam ipse rogatus, commisso muneri, pro virium mearum tenuitate, satisfacere conabor decretis sacrae Congregationis Concilii, et gravissima Doctorum et Canonistarum auctoritate subnixus. Monere tamen ante omnia mihi videtur opportunum, Sacram Congregationem Concilii, hodiernis praesertim hisce temporibus, quaestionibus *generice* propositis respondere solere: « *Providebitur in casibus peculiaribus.* » Et merito quidem: quoniam fere casus quilibet exhibet, ut plurimum, adiuncta quaedam peculiaria, quibus fit ut raro admodum decretum generale cum speciali casu conveniat. Erit nihilominus prudentiae S. Ordinis expendere utrum, attentis peculiaribus locorum circumstantiis, et controversiis eiusmodi identidem renascentibus ob discrepantes auctorum maxime modernorum sententias qui, sine delectu Resolutiones sacrae Congregationis editas in singulis casibus, per modum regulae ad lites omnes affines praecidendas afferre praesumunt (idque non sine detrimento spiritualis administrationis Dioecesum vacantium), propositas quaestiones singulatim expediat definire. Quod quidem a stylo sacri Ordinis haud abhorret omnino: nam in Resolutionum thesauro pro varia casuum indole quaestiones etiam generales quandoque definitae reperiuntur, uti probant *Dubia iubilationum* anno 1718 et *Dubia indultorum* anno 1820 rite definita, aliaeque consimiles, licet raro, quaestiones enodatae pariter extant.

» Hisce praehabitis, singula quaestionum capita percurram et ad iuris ac prudentiae tramites expendam. Et, quidquid moris antea fuerit in Hispania sive legitime, sive non legitime, invecti, indubium est hodie ad deputandos Vicarios Capitulares ex *art. 20.* pactorum nuperrime, anno scilicet 1851, conventorum inter Apostolicam Sedem et Regiam Hispaniarum Maiestatem servari debere formam et leges in subiecta materia Tridentini decretis obsignatas. En verba praecitati articuli « Sede va-
» cante, Metropolitanae vel Suffra-
» ganeae Ecclesiae Capitulum infra
» tempus praefinitum, et ad normam
» eorum quae a sacro Tridentino Con-
» cilio in rem decreta sunt unum
» tantum Vicarium eliget, in quem

Digitized by Google

» tota eius ordinaria potestas transferatur, quavis ex parte Capituli » ipsius reservatione aut limitatione » penitus exclusa, et quin electio » semel facta revocari neque ad novam procedi possit; abolitis hinc » omnino quocumque privilegio, usu » vel consuetudine administrandi in » corpore, plures Vicarios constituendi, aut quolibet alio quod » utcumque sacrorum Canonum sanctionibus adversetur. » Praecipit autem Tridentina Synodus *cap. 16. sess. 24. de Refor.* ut Capitulum Sede vacante « Officialem seu Vicarium » infra octo dies post mortem Episcopi constituere vel existentem » confirmare omnino teneatur, qui » saltem in iure canonico sit Doctor » vel Licentiatus, vel alias quantum » fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum » deputatio huiusmodi devolvatur. Et » si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit aut exempta, Capitulumque, ut » praefertur, negligens fuerit, tunc » antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta Oeconomum et Vicarium idoneos possit » constituere. »

» Ad primam igitur quod attinet quaestionem, *an* videlicet *deputatio Vicarii non Doctoris aut Licentiati in iure canonico, licet electus Episcopi praedefuncti Vicarius extiterit, nullitate laboret quoties unus saltem de Capituli gremio sic graduatus existat*, utpote quae praecipua videatur et omnium gravissima, eam accuratius expendam et latius persequar. Plura quidem hac super re Sacri Ordinis sunt antiqua decreta, quae sibi invicem adversari videntur. In *Tarraconen. anni 1590* definitum legitur generatim: « *Electionem esse nullam si ex gremio Capituli, praetermisso Doctore, alius quantumvis antiquior eligatur, facultatemque eligendi devolvi ad Metropolitanum vel Viciniorem iuxta cap.* 16 *sess.* 24 » *ut in lib. dec. 6 p. 104.* Et similiter in *Lancianen. 18 Aug. 1668 lib. dec. 26. pag. 59.* decretum fuit: « *Deveniendum esse ad novam electionem Vicarii Capitularis, eo quod electus non est Doctor, qualis in Capitulo adest, ad praescriptum S. Concilii.* » Neque secus in *Mazarien. 19 Decembris 1569,* uti habetur in *Recineten. Vicarii Capitularis 17 Septembris 1768* §. *Quare:* in ea siquidem ita declaravit: « *Archiepiscopus constituere debet Capitulo octo dierum spatium ad eligendum Vicarium Doctorem, casu quod elegisset non Doctorem, et eo non electo, omnis electionis potestas ad Archiepiscopum transfertur.* Et pariter in *Triventina Decembris 1586 lib. decret. 4. pag.* 211 iterum declaravit: « *Eligendos in Vicarium Doctores aut Licentiatos, si qui sint in Capitulo, sin minus sufficere ut quantum fieri poterit idoneus eligatur.* » Aliaeque consimiles Resolutiones in praefata *Recineten. anni 1768* §. *Quare* recensentur. Ubi etiam additur in §. *Quod servandum,* ita Capituli facultatem arctari, ut Doctor eligi debeat omnino, etsi *unicus* habeatur

Digitized by Google

de gremio Capituli, duabus in id citatis declarationibus; ac insuper Doctorem eligi debere extra Capitulum, si nullus extet de gremio Capituli, exemplo desumpto a *Tricaricen. an. 1592 lib. decret. 7. p. 44.* Et in ipsa *Recineten.* §. *Constanter,* fere per modum regulae constitui videtur electiones eiusmodi non Doctoris, omissis graduatis, generatim a Sacra Congregatione fuisse reiectas, allatis ad rem pluribus decretis: Doctoratum vero requiri de necessitate in iure canonico, reiectis *in concursu* Doctoribus sive in iure caesareo sive in sacra Theologia aliisque quibuslibet facultatibus, ac insuper eiusmodi gradum obtineri debere in publica studiorum universitate, et non alias, firmatur in praefata *Recineten.* §§. *Quin imo,* et *Praeterea,* ubi pariter ad rem plura Sacri Ordinis decreta proferuntur.

» Complures adversum extant resolutiones, in quibus electio non Doctoris, spretis Doctorum querelis, est confirmata. Ita namque factitatum agnoscitur, antiquioribus missis, in *Carinolen. 22 Septembris 1714,* ubi deputatio Vicarii Capitularis a Capitulo peracta habita fuit tamquam legitima, reiecto Doctore, quem Metropolitanus interea iure devolutionis constituerat. Idipsum servatum in *Leopolien. 14 Ianuarii 1736,* in qua Vicarius Generalis Episcopi praedefuncti rite deputatus, *cum de caetero non deessent in Capitulo Canonici Doctoratus praerogativa decorati,* ceu in folio sacrae Congregationis animadvertitur, confirmationem meruit ab H. S. Ordine, licet doctorali laurea careret. Ac similiter Vicarius Episcopi defuncti, quamquam non Doctor, imo extraneus esset a Dioecesi, a Capitulo maiori suffragiorum numero deputatus, habitus fuit uti legitime electus, aliorum Canonicorum spretis querelis, qui sive in philosophica, sive in theologica facultate reperiebantur doctorati, in *Tiburtina 14 Aprilis 1764.* In *Sorana Vicarii Capitularis 24 Novembris eiusdem anni 1764,* confirmata est electio Vicarii Generalis laurea insigniti, licet unus extaret Doctor in iure inter Capitulares, atque hic ab Episcopo viciniore, infirmata Capituli electione, fuisset deputatus. Sacra enim Congregatio alias in *Melphien. 9 Septembris 1594 lib. decretorum 8 p. 61* declaravit: « *Non esse de necessitate ut Vicarius eligatur de gremio Capituli, caeteris tamen paribus praeferendum esse Capitularem, et existentibus Doctoribus vel Licentiatis in iure canonico, eligendum in Vicarium Doctorem sive Licentiatum in ipso iure canonico alias sufficere ut eligatur qui, quantum fieri possit, idoneus sit* » ceu legitur in *Nazarena electionis Vicarii Capitularis 11 Septembris 1717 in libr. decretor. 67 pagin. 374:* eamdemque fere declarationem editam in *Neritonen. 24 Iulii 1643 lib. decr. 17. p. 209* legere fas est in praefata *Tiburtina anni 1764* §. *S. Congregatio.* Haec inter autemaliud reperitur decretum in *Acernen. 27 Febr. 1709,*

Digitized by Google

lib. dec. 59 pag. 35, in qua cum maioribus suffragiis electus esset a Capitulo, qui Vicarii Generalis munus egerat Episcopi defuncti nulla Doctoris laurea insignitus, et reclamante Canonico doctore, Curia Metropolitana hunc deputasset, illo posthabito, Sacra Congregatio decrevit: « *Neutram electionem sustineri* » et Vicariatum exerceri mandavit ab Archidiacono eiusdem Capituli, nomine Sanctae Sedis. Minor enim Capituli pars, etsi eligat pollentem praerogativis a Concilio requisitis, nunquam in hac materia legitimam perficiet electionem, maiori parte inhabili, aut non graduato suffragante, ceu pluries declaravit Sacer Ordo utramque despiciens electionem, ut in *Aliphana 8 Iulii 1702, lib. decr. 52 p. 266,* et in *Nazarena 11 Septembris 1717.* Imo nec ipsa suffragiorum paritas sat est, ut erudite probat De Ianua *de Visit Praelat. dub. XIII. sect. 2. n. 17.*

»In hac autem, apparenti quidem, Resolutionum discrepantia sedulo videtur inquiri oportere, quaenam sit germana sacri Ordinis sententia, et quinam verior decreti Conciliaris sensus. Nam Doctores nonnulli ita illud interpretantur, peculiaribus S. Ordinis Resolutionibus innixi, ut Vicarius Generalis Episcopi defuncti adeo *qualificatus* a Concilio sit reputandus, ut eligi possit ad Vicarium Capitularem, nullo facto discrimine inter Doctores existentes et non Doctores, sive sit sive non vel ipse graduatus. Nec desunt, maxime inter recentiores, qui putent, unico licet existente Doctore inter Capitulares, ipsum debere necessario in Vicarium assumi, antiquioribus nonnullis H. S. Ordinis decretis allatis, quorum tamen facti speciem haud habuere perspectam; illudque pariter tanquam indubium affirmant, nullitate nimirum laborare electionem, si Vicarius eligatur extra Capitulum, quoties aeque idoneus haberi possit in Capitulo.

» Sed haec omnia nimis fidenter asserta et absque diligenti examine et iudicio, atque a recto decreti Conciliaris sensu et Sacri Ordinis mente videntur aliena. Est enim unicuique compertum singula S. Congregationis decreta peculiaribus factorum adiunctis inspectis esse prolata, quae quidem adiuncta raro admodum identitatem cum casibus affinibus omnimodam praeseferunt. Et hinc fit ut regulam haud constituant generalem omnibus casibus accommodandam: quae quidem animadversio tum assertam eliminat discrepantiam sive contradictionem, tum illorum subvertit nimis facilem disserendi rationem, qui ex peculiaribus hisce decretis abunde collectis regulam praesumunt universalem constituere.

» Quod enim attinet ad Vicarium Generalem Episcopi defuncti haud quidem videtur ex unico hoc facto ille deputari posse ad Vicarium Capitularem, concurrentibus Doctoribus aut Licentiatis in Capitulo habilibus et muneri exercendo idoneis. Ex conciliari namque textu sua spon-

Digitized by Google

te dimanat in eo gradum in decretis aeque requiri ac in alio noviter eligendo. Imo, proprie loquendo, in Vicario existente Generali eam gradus praerogativam exquiri potissimum a Concilio censerem, quia pronomen relativum sequitur immediate verba, in quibus fit mentio de Vicario Episcopi - *vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico sit Doctor vel Licentiatus :* relatio enim fit ad proxima. Atque haec sane interpretatio cum praxi componitur, quae viget in S. C. Episcoporum et Regularium, *a qua* « *quando recursus habentur* » ut iniquit ad rem Card. de Luca *in adnot. ad Concil. Trident. disc. 31. n. 14* « *demandari solet Episcopo ut teneat Vicarium Generalem Doctorem et non dioecesanum:* ita ut huiusmodi praerogativa, licet a iure non requiratur in Vicario Generali, ceu notat *ibidem* Card. De Luca, praesumitur, ut plurimum, in eodem adesse, ea potissimum ratione, quam tradit idem auctor ibi - *quod, cum Vicarius deputetur ad iustitiam administrandam atque ad decidendas causas tam civiles quam criminales et mixtas, idcirco debet esse versatus in ea facultate quae ad id necessaria est,* scilicet *in utroque iure vel saltem in canonico.*

»Hinc est ut, si Vicarius Generalis sit graduatus non aliter ac Capitulares nonnulli, tunc quidem illum prae Canonico Doctore vel alio pariter graduato facultas eligendi Capitulo concessa censeatur a Concilio. At, si Vicarius Generalis gradu careret et alioquin graduati prudentes et idonei adsint in Capitulo, merito putarem haud eligi debere aut posse Vicarium Generalem ex sola gesti muneris praerogativa, et secutam aliter ipsius electionem in eo casu posse a Metropolitano vel viciniori cassari, si quis adversum conqueratur, uti declaratum fuit in *Campanien. 4 Aprilis 1637 lib. decretor. 15 pag. 503.* In ea namque proposito dubio: *An deputatio Vicarii Episcopi praedefuncti non Doctoris in Vicarium Capitularem, non obstante quod in Capitulo adsint Doctores, sustineatur, seu potius ius deputandi fuerit devolutum ad Metropolitanum* S. C. respondit: *Deputationem esse nullam.* Contraria autem obtinet regula et iusta ratio si vel nullus habeatur in Capitulo gradu decoratus eiusmodi, vel unus tantummodo reperiatur: tunc enim peracta Vicarii Generalis non Doctoris electio sustineri debet, nisi aliqua alia de causa, et quidem gravi, minus idoneus regimini Dioeceseos agnoscatur. Nam inter alios idoneos eligibiles Concilium expresse designat Vicarium Generalem Episcopi defuncti, in quo imo maiorem idoneitatem adesse praesumitur, ut *in magis experto et iam probato,* ceu perpendit De Ianua *loc. cit. n. 17;* nec unius dumtaxat Doctoris existentia in Capitulo posset eiusmodi electioni caeteroquin officere ne ipsius intercipiatur libertas electionis, uti mox latius ostendam.

*

Digitized by Google

»Eadem praeterea servanda est regula, quoties, existentibus licet pluribus in Capitulo graduatis, ii tamen haud praeseferrent idoneitatem, scientiam, atque prudentiam ad munus tanti momenti exercendum. Qualitas enim Doctoris *mere extrinseca* est, quae haud semper scientiam secumfert, eoque minus eam probitatem, prudentiam et idoneitatem muneris exercitio tantopere necessariam. Atque hinc nihil magis menti Tridentinorum Patrum adversari videtur, quam si eligatur ad Dioecesis gubernium, qui vel Doctor sit nomine tenus, vel Doctor quidem quoad scientiam, at non idoneus sive quoad mores sive quoad prudentiam, omisso altero qui, licet *extrinseca* Doctoris qualitate destitutus, certe tamen praestaret prudentia, scientia, morum probitate, ceu perpenditur adamussim in saepius *cit. Recineten.* §. *Verum.*

» Huc conferunt quae tradit ad rem Card. de Luca *cit. disc. 31. n. 20 in adnot. ad Conc. Trident.* Ita ibi: « Ulterius et magis videndum est de » huiusmodi Doctorum qualitatibus, » quoniam possunt esse *Doctorati* » *sed non Doctores,* ut frequens pra» xis docet; sive possunt esse iuve» nes inexperti, vel male morigerati » aut diffamati, vel imprudentes, aut » alias non habiles ad illud munus, » quod spectato effectu, est Epi» scopale . . . . Et per consequens » non est materia, quae recipiat » certam ac generalem regulam uni» cuique casui applicabilem: sed pro » singulorum casuum circumstantiis » est decidenda. Hinc proinde S. Con» gregatio Episcoporum, quae fre» quentius huiusmodi negotia per» tractare solet, quando adversus » electionem non Doctoris, spretis » Doctoribus, recursus habetur, non » procedit ex abrupto ad annullatio» nem, sed scribit pre informatione » atque partes audit: Et quatenus » comperiat non bene processum fuis» se, quod qui non potuerint sperni » Doctores, ut supra, digne et idonei, » mandat denuo procedi ad electio» nem, vel Ipsa deputat Vicarium » Apostolicum. »

Quas quidem animadversiones Auctor iste praeclarissimus, et in praxi Curiae Romanae versatissimus latius etiam expendit *in disc. 25. et disc. 33. n. 4. de Can. et Cap.* Ubi praeterea et illud observat, scilicet *Licentiaturam,* quae in Italia haud solet a Doctoratu disiungi, in Hispania e contra fieri solere *solemnem in publica Universitate praevio examine, quae aequivalet gradui Doctoratus in Italia;* ibique ipse addit, Concilium, habita adamussim ratione ad mores Hispanorum, *alternative* posuisse ad rem nostram *Doctoratum et Licentiaturam.* Hoc obiter notatum volui, si quid referre ad hodiernam quaestionem secum quis reputaverit.

» Sic et non aliter accipienda sunt S. Ordinis varia decreta, ut eorum apparens discrepantia concilietur. Hinc enim evenit ut quandoque electio Vicarii Generalis Episcopi defuncti

Digitized by Google

non graduati reiecta fuerit, licet maiori suffragiorum numero peracta, unoque dumtaxat vel nullo existente Doctore inter Capitulares, ut in *Acernen. supra cit. anni 1709;* quandoque e contra comprobata in plurium existentia Doctorum *ut in Leopolien. anni 1736* aliisque similibus. Quia nimirum vel de electi idoneitate ac prudentia minime constabat, vel e contra, haudquaquam idoneis Dioecesi regendae inventis Doctoribus etsi numero pluribus inter Capitulares, prudentissima atque legitima visa est Vicarii Generalis aut alterius quamvis non Doctoris electio.

» Caeterum ab ordine per conciliare decretum constituto, dummodo extrema sint habilia, minime recedendum esse videtur. Id nimirum omnino servandum in praxi, ut prius admittantur Doctores et Vicarius Generalis pariter graduatus in utroque vel saltem in iure canonico, dummodo sint digni et idonei: iisque graduatis tantummodo non extantibus, alius, qui magis, omnibus inspectis, reputetur gubernio idoneus, in Vicarium Capitularem possit ac debeat assumi: quo demum casu et illud licere Capitulo non controvertitur, assignandi videlicet electo Vicario consultorem Doctorem aut vere doctum sive in decretis sive in Theologia, prout requirere videtur respectiva minor electi peritia, qui potest sibi vel ipse adiutorem eligere, si per Capitulum non deputetur; uti cum Ventriglia *in prax. Rer. notab. part. 2. adn. 15*, §. *2. n. 13.* tradunt praelaudatus de Ianua *de visit. dub. XIII. sect. 2. n. 16*. et Monacell. *tom. 1. form. 2. tit. 1. n. 27.* Ita nimirum servanda est regula, ut nonnisi *subsidiaria* censeatur eligendi facultas non Doctorem, quatenus nempe vel Doctores desint, vel necessaria desideretur in ipsis idoneitas atque prudentia. Alternativae siquidem dictiones in conciliari textu ordinem inducunt, non optionem, ita ut ad secundam alternativae partem devenire non possit Capitulum nisi in subsidium et in defectum primae, ceu concordi sententia docent Ventriglia *loc. cit.* Leuren. de *Vicar. qu. 557*. Fermosin. *de cap. sed. vac. qu. 9. n. 12.* et Card. de Luca *locis supra cit.*

» Haec de Vicario Generali super principe quaestione. Quod autem asserunt recentiores quidam auctores de necessitate eligendi Doctorem ne secus electio invalida sit, etsi unus dumtaxat adsit in Capitulo, nec menti Tridentinorum Patrum nec iuris eligendi naturae videtur congruere, eoque minus praxi Sacrae Congregationis. Id enim voluisse praesumendum amplissimum illum EE. Patrum consessum, ut scilicet Dioecesis regimen ei concrederetur a Capitulo, quem prae aliis scientia, prudentia et probitate praestantiorem agnosceret; hoc enim suadet gravissimum tanti muneris officium. Quod fieri non posset si Doctor *unicus existens* necessario deberet eligi, cum exinde facultas non esset Capitulo eligendi merita ac maiorem

Digitized by Google

idoneitatem perscrutandi atque librandi. Quae quidem interpretatio magis magisque confirmatur ex natura electionis. Ut enim haec congrue valeat exerceri, necesse est absolute ut libertas seu latitudo quaedam adsit unum eligendi inter plures, haud saltem non pauciores quam duos. Quod si *unicus* Doctor existens de necessitate deberet eligi, actum esset de libertate electionis. Proptereaque merito concludi posse videtur, Capitulum haud cogi Doctorem assumere, si unus dumtaxat existat; atque eadem ratione hoc ipsum affirmandum de Vicario Generali defuncti Episcopi, si unus ipse graduatus extaret, eoque magis si, deficientibus in Capitulo graduatis, eiusmodi gradu vel ipse careret.

» Hanc vero esse constantem S. Ordinis disciplinam testatur clarissimus Canonista Card. De Luca *in adn. ad Conc. Trid. cit. disc. 31 n. 10.* « ibi » « Deputandus autem est Vi-» carius, qui ad minus in iure cano-» nico Doctor sit seu licentiatus, » sin minus (quoties in Capitulo ita » graduati existant in aliquo com-» petenti numero, intra quem ele-» ctionis libertas congrue exercibilis » remaneat) deputatio invalida plu-» ries per S. Congregationem decla-» rata est; secus autem si in Capitulo » graduati non adsint in dicto nu-» mero, intra quem dicta libertas » cadat, quamvis in civitate vel dioe-» cesi graduati idonei existant, quo-» niam potest quidem Capitulum » aliquem ex eis deputare, sed non » tenetur; ideoque unum de Capi-» tulo, quamvis non Doctorem, tali » casu licite deputare potest. » Idipsum confirmat *ibidem num. 17 et 20 et de Can. et Cap. disc. 24 n. 4. et disc. 33 num. 5.* Quae sane S. Ordinis sententia et disciplina luculenter ostenditur ex decretis, in quibus vel tamquam legitima reputata est non Doctoris electio, unico posthabito Doctore *ut in cit. Carinolen. anni 1714,* vel tum electionem non Doctoris minus idonei, tum unici Doctoris querelam aut deputationem a Metropolitano factam iure devoluto patet fuisse reiectam, ut *in citatis Aliphana anni 1702 Acernen. anni 1709 et Nazarena an. 1717.*

» Minus demum recipiendam minusque veram censeo aliam recentiorum quorumdam opinionem qui nullitatis vitio asserunt infectam Vicarii Capitularis electionem de extraneo a Capitulo vel Dioecesi factam, si alter aeque idoneus, Doctor vel non, haberi possit in Capitulo. Conciliare namque decretum neque de Capitulari, neque de cive, neque de dioecesano eligendo quidquam vel indirecte praescribit, ita ut nihil prorsus impediat ad legitimam electionem quominus Doctor eligatur extraneus ab ipsa Dioecesi, imo etiam non Doctor, alias idoneus, quatenus in Capitulo nullus vel unicus inveniretur graduatus in publica Universitate. Imo Concilium implicite videtur de extero legitime deligendo non improbasse consilium, dum conceptis verbis de Vicario Generali

Episcopi confirmando fecit mentionem, qui ut plurimum, est alienus a dioecesi, et ad tramites iuris exterus esse deberet.

» Sic ad rem laudatus Card. De Luca *in adn. ad Conc. cit. disc. 31, n. 20.* « Quamvis autem S. Con-
» gregatio laudet ut, existentibus
» graduatis vel alias idoneis de Ca-
» pitulo vel de gremio Ecclesiae Ca-
» thedralis in unum istorum deputa-
» tio cadere soleat, si tamen eligatur
» Doctor idoneus extra gremium,
» non exinde actus remanet invali-
» dus. Quinimo id insinuat ipsum-
» met Concilium, dum primo loco
» agit de confirmatione Vicarii Ge-
» neralis Episcopi defuncti, qui in
» magnis dioecesibus pro frequen-
» tiori contingentia supponendus est
» exterus. Et quidem id potius com-
» mendabile videtur, ut ego pluries
» sum expertus, tum quia ita con-
» ciliantur factionariae divisiones,
» assumendo tertium ut neutra ca-
» nat triumphum; tum etiam quia
» libentius recognoscitur ac timetur
» ille superior, qui non sit de Ca-
» pitulo unde propterea eius prae-
» sentia rara sit, cum potius apud
» Capitulares vilescat illa persona
» quae quotidie in choro et in sa-
» cristia cernitur in habitu canoni-
» cali, serviendo in divinis in suo
» loco quandoque inferiori; ac etiam
» quia ob dissensiones quae frequen-
» ter habentur in currentibus nego-
» tiis et actibus capitularibus displi-
» cet quod unus ex eis sit superior
» ex generali axiomate, quod durum
» est servire et obedire conservis. »
Quo loco ita quaestionem Auctor absolvit longius fortasse excurrens. « *Est enim commendabilius ex argumento a posteriori sive ab effectu, adeo ut forsan deberet transire in praeceptum* (consilium assumendi exterum), *quoniam ita multis inconvenientibus occurreretur.* » Praemissa vero confirmat in *dis. 21 n. 5 et disc. 25 n. 4 de Can. et Cap.* Cuius sententiam sequuntur unanimiter prudentes Doctores, in quibus Ventriglia *loc. cit. adn. 15* §. 2 *n. 14.* Leuren. *de Vic. qu. 556 et* de Ianua *de visit. dub. XIII. sect. 2 n. 20.* Ubi tamen omnes praefati in id concorditer conveniunt quoad electionis validitatem ut, caeteris paribus, Capitularis Doctor vel alias idoneus extero sit praeferendus; uti vel ipsa censuit S. Congregatio Concilii in *Neritonen. 24 Iulii 1643*, cuius declarationis tenor affertur in *cit. Tiburtina 14 Apr. 1764* §. *S. Congr.* in qua tamen Vicarii Generalis extradioecesani legitima ea in specie diiudicata est electio.

» Ex quibus profecto prono alveo fluere responsum ad primam quaestionem mihi videtur: existentibus nimirum in Capitulo graduatis satis sufficienti numero *gubernio idoneis,* ex his unum debere assumi, salva libertate confirmandi defuncti Episcopi Vicarium Generalem aeque graduatum, vel alium, quantum attinet ad electionis validitatem, Doctorem extraneum: in existentia vero graduatorum gubernio habilium non

Digitized by Google

sufficere solam qualitatem Vicarii Generalis Episcopi defuncti, si gradus praerogativa careat: demum, graduatis e gremio Capituli aut non existentibus, aut idoneitate carentibus, liberum esse Capitulo deputare non graduatum alias idoneum vel e suo gremio vel extraneum, et memoratum Vicarium Generalem virtutibus pollentem confirmare, quamvis non Doctorem: eamdemque prorsus esse Capitulo facultatem, ubi unus dumtaxat adsit e gremio in publica universitate graduatus, ut salva consistat electionis libertas: gradum vero requiri in iure saltem canonico, ita ut non suffragetur gradus in civili vel in aliis facultatibus.

» Haec autem cum iam essent conclusa et solidissimis, ut videbatur, argumentis confirmata, expensis accurata et copiosa disputatione Doctorum tum antiquiorum cum recentiorum partem in utramque sententiis, accidit, ut de unici Doctoris electione peragenda in antiquis Resolutionum S. Ordinis Collectaneis authenticis nondum impressis quaedam emerserit Resolutio, quae pugnare videtur cum sententia hac super re a me nuper exposita (1). Cuius Resolutionis tenorem cum casu proposito, uti iacet in *libr. Decretor. 29 pag. 456 a tergo edita die 3 Iulii 1677 in Ecclesien. Electionis Vicarii Capitularis*, meum esse arbitror in sua integritate referre.

» Pro Cathedrali, in qua unicus » tantum Doctor existit, cum in » unitate electio verificari non vi» deatur, pro regula in futurum sup» plicatur decerni: 1° An, existente » in Capitulo unico tantum Doctore, » aliis tamen idoneis non deficien» tibus, Doctor necessario sit eli» gendus in Vicarium Capitularem: » 2° An sit eligendus, quamvis unicus » is Doctor iuxta Canonicorum con» scientiam non sit bene morigera» tus et idoneus, omissis aliis imbutis » bonis moribus et idoneis: 3° An » a sententia Iudicis pronunciantis » irritam electionem factam a Capi» tulo Canonici Doctoris in Sacra » Theologia idonei et bene morigera» ti, relicto unico Doctore in iure » canonico non idoneo et male mori» gerato, detur appellatio suspensiva.

» Sacra Congregatio etc., in casu » proposito respondit. Ad I. *Affir*» *mative*. Ad II. et III. censuit *non* » *esse respondendum*.

» Gravissima quidem me movet haec S. Ordinis Resolutio in primo dubio: maxime cum edita videatur per modum regulae et non in casu aliquo concreto et prae oculis habita exceptione ob indolem electionis obiecta, propriam et veram nimirum electionem in uno eligendo locum non habere. Liceat nihilo-

(1) Iurisconsultus, qui hoc Votum exaravit, sequentes paragraphos interseruit usque ad §. *Altera haec,* postquam Votum fuit propositum S. Congregationi. Namque inter disceptandum deducta fuit alia Resolutio S. Congregationis data in *Ecclesien.* die 3 Iulii 1677, quam Iurisconsultus heic refert et expendit.

Digitized by Google

minus ad rei veritatem magis exquirendam quidquam animadvertere memorata super Resolutione, quin vel parum tanti Senatus auctoritati detrahere videar.

» Perpendendum in primis censeo eam Resolutionem, etsi per modum regulae prolata videatur, cum aliis Resolutionibus bene multis haud convenire, in quibus non Doctoris electio est comprobata, unici Doctoris querela reiecta. Quamvis enim ageretur de casu particulari, cum tamen nihil vel contra mores vel super scientia et prudentia posthabiti Doctoris obiiceretur, si Resolutio praefata habenda esset tamquam exemplaris et regula firmiter observanda, querela posthabiti Doctoris haud fuisset quidem in casibus vel ipsis peculiaribus reiicienda.

» Accedit deinde auctoritas clarissimi Cardinalis De Luca, qui tempore adamussim editae Resolutionis in praedicta *Ecclesien.* frequens versabatur et summa celebritate quaestiones eiusmodi aliasque complures pertractabat in S. Congr. Concilii, ut consultationum illius volumina testantur. In quadam enim controversia *Maioricen.* super electione Vicarii Capitularis quam agit *disc. 33 de Canon. et Capitulo,* quaeque affinis est praedictae *Ecclesien.* tam in articulo quaestionis, quam in Resolutione, quid Emi Patres S. Congregationi in Resolutionibus pro Doctore voluerint, ostendit atque declarat.

» Postquam enim plura disseruerit pro electione non Doctoris asserenda, ita *ibi disc. 33 n. 6 et 7.* varia disputationis membra in unum compendiose resumit. « Ideoque stant simul quod in Capitulo adsint multi » doctorati, sed revera quod non adsint Doctores circa literaturam; vel » etiam adsint doctores in literatura, » sed non praediti illa prudentia et » experientia illisque moribus ac » existimatione apud populum, quae » pro tali munere requiruntur; unde » congruat, eis neglectis, illos eligere, » in quibus dictae partes verificentur » quamvis gradum praedictum non » habeant. Et sic decretum conciliare intelligendum venit, praesuppositis terminis habilibus, quatenus scilicet in Capitulo adsit *competens numerus Doctorum,* qui in » praemissis partibus habiles et idonei » dici mereantur, et cum quibus » *libertas electionis remaneat practicabilis,* adeo ut aliter faciendo » sit spernere decretum, secus autem ubi non ex spretu, sed ex » iusto et rationabili motivo id sequatur. » Et continuo addit « Agnoscebat Congregatio hanc veritatem, » sed, ut praemissum est, ex prudentialibus motivis, ne sub hoc » praetextu liceret decretum spernere, noluit recedere a declarationibus generalibus, dicendo *oretenus* quod in contingentia casuum » particularium, quando dignoscetur » istas circumstantias verificari, tum » approbabitur electio.

» Ita igitur et non aliter accipiendam esse censeo Resolutionem in

Digitized by Google

dicta *Ecclesien.* Patres videlicet Concilii interpretes voluisse generice ipsius decreti Conciliaris mentem explicare de eligendo Doctore quoad eius fieri posset, haud tamen eam doctrinam absolute et per modum regulae tradidisse. Quod etiam suadet prudentialis ratio in eadem quaestione *Ecclesien.* observata, ubi secundo et tertio dubio, licet facilior videretur Resolutio, censuit tamen non esse respondendum.

» Quibus omnibus probe animadversis ac seduló expensis, si haec prima proposita quaestio aeque ac aliae quae subsequuntur sint certa Resolutione dirimendae, a sententia, quam superius pandi, utpote potioribus argumentis et rationum momentis suffulta recedendum non esse putarem, quidquid ponderis praeseferre videatur saepius enunciata Resolutio in *Ecclesien.* Hoc equidem sentio, nisi magis arrideat Emis S. Ordinis Patribus a quaestionibus hisce generice propositis resolvendis abstinere, prout est iamdudum invectum in praxi, et ego ipse sub initium huiusce meae consultationis insinuare non omisi. In assumpta igitur hypothesi, prima questione relicta, alias quae sequuntur, persequar singillatim uti proposui, et sententiam meam ad singula quaestionum capita patefaciam.

» Altera quae proponitur quaestio, videlicet « *An et quomodo, inspectis peculiaribus circumstantiis liceat Metropolitano dictam electionem vel confirmare vel sanare* » a prioris Resolutione videtur praeoccupata. Attenta siquidem legitima deputatione Vicarii Generalis aut alterius idonei, quamquam non Doctoris, uno dumtaxat existente Doctore de gremio, patet nulla opus esse Metropolitani confirmatione vel sanatione; ita ut eiusmodi quaestio nullum aliud mereretur responsum quam « *Provisum in praecedenti* » iuxta S. Congregationis stylum. Quod si de potestate Metropolitani vel respective vicinioris quaereretur, si illius demum opus esset auctoritate, nihil aliud ipsi licere videretur quam vel factam a Capitulo deputationem confirmare, vel alium iure devoluto Vicarium ad tramites Concilii deputare, nunquam tamen eidem competeret potestas sanandi defectus, qui substantiam actus afficerent, vel cuilibet iactura exinde obveniret. Hoc enim Apostolicae Sedi tantummodo et exclusive competeret.

» Verum, ne quid desiderari videatur ad pleniorem controversiae solutionem, perpauca subiiciam, quae regulam praebeant Metropolitano vel Viciniori in casu devolutionis servandam. Devolutio enim habet locum a Sede Suffraganea ad Archiepiscopum et, cathedra Metropolitica vacante, ad ipsum Capitulum Ecclesiae Metropolitanae seu Vicarium ab hoc Capitulo deputatum, uti docet auctoritate Sacrae Congregationis Card. Petra *in Commentar. ad Const. 11 Leonis IX. sect. 5 n. 36 et seqq. tom. 1* et decretum appositum affertur *in Civitaten. Vicariatus 9 Iu-*

Digitized by Google

nii 1725: ab Ecclesia vero exempta devolutio fit ad viciniorem, uti Conciliaris textus aperte decernit. Utroque tamen casu, qui iure utitur devoluto, eamdem debet servare formam, iisdemque conditionibus et regulis obtemperare, quibus erat obnoxium Capitulum Ecclesiae vacantis, servando nimirum methodum superius traditam in responsione ad praecedentem quaestionem circa necessitatem Doctoris assumendi vel non. Nam devolutio nihil aliud tribuit quam facultatem supplendi defectum primi vocati ad actus exercitium, uti contingit adamussim de conditionibus in fundatione aut statuto servandis in conferendis iure devoluto beneficiis. Identicam sane rationem reddit Leuren. *de Vicar. qu.* 556 eo quod « ita ibi » *cum Metropolitanus in hac electione Vicarii succedat in locum Capituli eiusque defectum suppleat, debeat eodem prorsus modo deputare Vicarium, quo Capitulum tenebatur.* Heic vero loci ad omnem submovendam ambiguitatem adnotare non omitto in eiusmodi Vicarii deputatione haud esse necessariam formam secreti scrutinii, *quantum ad validitatem,* uti monet de Ianua *loc. cit. n. 20* et formiter resolvit Sac. Congregatio in *Sulmonen. 17 Iul. 1655 lib. decret. 19 p. 497* et in *Assisien. 11 Maii 1669 lib. decr. 26. pag. 221,* quae referuntur in *Leopolien. 14 Ian. 1736,* ubi iterum regula fuit in specifico casu confirmata. Quantum vero attinet *ad meliorem formam,* ut praesertim plura repellantur incommoda, consultius est ut forma scrutinii servetur per secreta suffragia, ceu refert ex iudicio S. Congregationis in *Melevitana anni 1698. lib. Decr. 48 pp. 471 et 522* De Ianua *loc. mox cit.* Quoad suffragium vero sibi ipsi collatum in scrutinio, vel, eo absoluto, per modum adhaesionis, consulere quis poterit in casus peculiaris eventu, Card. De Luca *de Can. et Cap. disc. 24 n. 3 et disc. 26 n. 3 ad 9* ubi plures casus enumerat, et eruditissime, more suo, pariter resolvit, et *Pignatell. tom. 1 consult. 23 n. 9 et tom. 8 consult. 34 n. 9 et 10.*

» Tertia sequitur quaestio, *an scilicet Metropolitanus, si factam improbet electionem, novum terminum praefinire debeat Capitulo, seu potius ad ipsum spectet Vicarii deputatio iure devoluto.* Quaestionem erudite docteque pertractat Pignatell. *loc. nup. cit. tom. 8 consult. 34 n. 8 ad fin.* Et, rationum momentis adductis hinc inde, suam profert sententiam pro devolutionis exclusione, si nullitas primae electionis solo notetur vitio *deputationis non Doctoris aut minus idonei;* licet secus putet resolvendum, si terminus octo dierum vel ob negligentiam vel ob nullam electionis conclusionem elabatur, attentis eligentium dissensionibus, aut si deputatio sit facta de scienter indigno. Quam Pignatellii sententiam in allata distinctione tenendam esse censeo, tum ob rationum vim, quibus illa fulcitur, tum ob S. Ordinis

Digitized by Google

declarationum conformium, quibus roboratur, auctoritatem.

» Cum enim devolutio sit poena, causa quaelibet praebet excusationem: cumque eiusmodi poena sit ob negligentiam inflicta, *extendi non debet ad casum* « ut ait Auctor *ibi n. 13* » *quo actus quidem gestus fuit, sed nulliter; cum minus sit peccare in qualitate quam in substantia.* Nec officere posse videtur Concilium duo praescribens, electionem Doctoris, vel alterius idonei in defectu Doctoris, et tempus octo dierum; ac, si secus fiat, devolutionem iniungere: ita nimirum ut, alterutro interveniente, fiat locus devolutioni. *Nam positis duobus adimplendis* « ita respondet Auctor *ibidem n. 19 et 20* » nempe *ut electio fiat intra octo dies et ut eligatur Doctor, utrumque deficere debet ut incurratur poena apposita.* Idque declaratur ab ipso Conciliari textu in altera parte ubi dicitur « *Si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit vel exempta, Capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus etc.* hic enim de sola negligentia fit mentio ut detur locus devolutioni. Hinc merito deducit Auctor « *ergo devolutio est in poenam negligentiae; negligentia autem cadit circa non factam electionem in tempore, sed non circa qualitatem doctoratus, quae potius est ignorantia.* Quae sane doctrina Tridentinorum Patrum menti valde rationabiliter videtur quadrare et editis ab H. S. Ordine declarationibus.

» Sacra enim Congregatio in *Mazarien. 19 Decembris 1569* super electione a Capitulo facta de non Doctore, cum plures adessent, declaravit « *Archiepiscopus constituere debet Capitulo octo dierum spatium ad eligendum Vicarium casu quo elegisset non Doctorem, et eo non electo omnis electionis potestas ad Archiepiscopum transfertur* « uti legitur in *Recineten. 17 Septembris 1768* §. *Quare.* Et *in in Lancianen. 18 Augusti 1668 lib. decr. 26 p. 59* resolvit « *Deveniendum esse ad novam electionem Vicarii Capitularis, eo quod electus non est Doctor, qualis in Capitulo adest, iuxta praescriptum S. Concilii.* Alias insuper in eumdem finem cumulat declarationes tum Sacrae Congregationis Concilii tum alterius Episcoporum et Regularium Pignatell. *ult. loc. cit. n. 14 ad 18.* Et exinde *num. 20* ad concordiam perquam bene reducit tam Doctorum discrepantium opiniones quam Sacrae Congregationis declarationes apparenter discordantes. Sic ibi « Neque » vim facere debent in contrarium » declaratio facta 24 Februar. 1594 » et aliae concordantes quod, stantibus in Capitulo Doctoribus, necessario unus ex illis eligatur, » alioquin deputatio ad Metropolitanum devolvatur; quia, ut declarationes contrariae ad concordiam » reducantur, devolutio praedicta intelligitur in casu electionis non » Doctoris, quando post octo dies » a remissione ad idem Capitulum » nova electio facta non esset (Do-

» ctoris videlicet), ut bene explicat » dicta declaratio in *Mazariensi an-* » *ni 1569* « ibi » *et eo non electo* » *in termino assignato ab Archie-* » *piscopo etc.*

» Proinde hac in tertia quaestione arbitrandum videtur tunc locum patere devolutioni, cum terminus octo dierum elabatur vel nulla facta ob Capituli negligentiam electione, vel si scienter electus fuerit indignus, vel demum si attentis peculiaribus facti circumstantiis malus exitus ob partium dissidentium tricas prudenter praevideri poterit. Hisce vero sepositis conditionibus nova Vicarii electio semper ad Capitulum remittenda esset, cum huiusmodi poenae et iniuriae species haud sit infligenda, ceu tradit ad rem Card. de Luca *in adnot. ad Conc. Trid. disc. 31 n. 18 et 19,* nisi casu a iure expresso, et ubi culpa adsit delictum praeseferens. Maxime cum agatur de praecipuo iure, quod valeat a Capitulo exerceri: quo proinde non privandum, excepto casu culpae quae dolo aequiparetur, vel negligentiae ad Concilii sensum. Quod si in hac novi termini praefixione vel prudens Doctor, si plures habeantur de gremio, vel alius regimini idoneus haud eligatur, tunc demum, ad vitanda Dioecesis incommoda, devolvetur omnino ad Metropolitanum aut Viciniorem deputatio.

» Quaestio nunc quarta venit, *an* scilicet *et coram quo locum habeat appellatio vel recursus a iudicio Metropolitani*. Nequit profecto in dubium revocari quin a iudicio seu deputatione Vicarii per Metropolitam autem Viciniorem iure devoluto peracta detur appellatio vel recursus. Quae tamen appellatio proponenda est tantummodo coram Apostolica Sede tam a iudicio Metropolitani, qui nullam habet superiorem potestatem, excepta Sede Apostolica, quam a deputatione vicinioris vel antiquioris ex Suffraganeis pro casuum varietate, quia hisce peculiaribus et extraordinariis facultatibus, utpote propriam Dioecesim non respicientibus, licet alias subiiciantur Metropolitano vel Capitulo Metropolitico, sede vacante, nec Vicinior nec suffraganeus antiquior subduntur iurisdictioni Metropolitae; proindeque Apostolica; Sedes dumtaxat est adeunda, ceu docet Cardinalis De Luca *de Can. et Cap. disc. 25 n. 2* ex Resolutione S. Congregationis in *Callipolitana anni 1699*. Heic autem loci monendum obiter appellationem seu recursum eiusmodi minime parere effectum suspensivum, sed admitti dumtaxat in devolutivo iuxta tradita per eumdem Card. De Luca *loc. cit. disc. 25 n. 6 et 7 et in adn. ad Conc. Trid. disc. 31 n. 27*, ex regula nimirum quod *omnia quae celeritatem desiderant atque sine irreparabili praeiudicio moram seu dilationem non patiuntur* (ut in casu administratio vacantis Ecclesiae) *suspensivam appellationem non admittant*, uti verbis conceptis monet auctor praefatus *d. disc. 25 n. 6*.

Digitized by Google

» Haec autem ordinario procedunt. At in Hispania peculiaris obtinet exceptio ob speciale Tribunal Nuntiaturae Apostolicae, quod *Rotae* appellatione venit, ex concordi placito utriusque Potestatis pridem et nunc etiam in sua primaeva institutione vigens. Hoc enim Collegiale Tribunal, Nuncio Apostolico Praeside, Clemente XIV. Pontifice et Carolo III. Hispanorum Rege constitutum, ea pollet iurisdictione, ut sententiam ferat in secundo iurisdictionis gradu quoad appellationes a sententia Metropolitani in primo gradu prolata rem quamlibet ecclesiasticam attingentes, et in tertio iurisdictionis gradu causas easdem iudicat definitive, quae in primo actae sunt coram Episcopo Suffraganeo, et in gradu appellationis apud Curiam Metropoliticam vario marte sunt definitae. Quare nulla videtur adesse dubitatio quin et in materia deputationis Vicarii Capitularis eadem competat praefato Tribunali iurisdictio super appellationibus a iudicio Metropolitani et Episcopi vicinioris vel antiquioris respective, uti nimirum fiebat in Sardinia, quamdiu mansit ibidem Iudex causarum delegatus Apostolicus, et casus affinis invenitur in *Turritana Vicarii Capitularis 20 Novembris 1723:* salvo recursu ad Apostolicam Sedem in casu discrepantium sententiarum, servataque semper appellatione vel recursu dumtaxat *in devolutivo*.

» Superest tandem ut propositam quinto loco quaestionem paucis expendam: *an* scilicet *et quomodo sit providendum si Vicarius deputatus, nemine licet reclamante, ob malam et perniciosam Dioecesis administrationem aliave gravi de causa remotionem mereatur*. Licet olim esset in Capituli potestate tum Vicarium ad tempus deputare tum deputatum absque temporis praefinitione removere, hodie tamen, ut recto Ecclesiarum regimini sit satius consultum, ex compluribus decretis SS. Congregationum et Concilii et Episcoporum, Vicarius debet ad tempus totius vacationis duraturum deputari, semelque legitime deputatus amoveri non potest amplius a munere, nisi causa gravis et legitima cognoscatur et probetur antea coram alterutra ex praefatis Congregationibus. Hoc tradunt unanimiter Doctores, et prae ceteris Ventriglia *in prax. part. 2 adn. 15* §. *2 num. 23.* Leurenius *de Vicar. qu. 616 num. 2* et de Ianua *de visit. dub. XIII. sect. 2 n. 15* §. *2* cum Pignatell. *tom. 1 Consult. 23 num. 10,* ubi plures enumerat causas, quae suadere possent legitimam Vicarii remotionem, si tamen eas ex factis momentosas Sacra Congregatio iudicaret. Horum sententiae robur addit S. Congreg. in *d. Leopolien. 14 Ianuarii 1736.* §. *Adversus* et in respons. *ad 2 dub.* in *Elven. Iurisd. 1 Decembris eiusdem anni* §§. *Secundo et Tertio* et alibi persaepe.

» Praecitati nihilominus auctores casum considerant deputationis a Metropolita factae vi devolutionis, af-

Digitized by Google

firmantes Archiepiscopum facultate pollere Vicarium a se deputatum amovendi, quin opus sit eo casu S. Congregationis auctoritate, quoddam in id S. Congregationis decretum *locis supra citatis* adducentes. Hanc vero facultatem ita coarctant, ut ad unam Archiepiscopi personam pertineat. Et re sane vera in *Civitaten. Vicariatus 9 Iunii 1725* remotionem Vicarii Civitatensis per Metropolitam Turritanum deputati a Vicario Capitulari Turritano post Archiepiscopi obitum peractam infirmavit S. Congregatio. In eaque adamussim causa §. *Ultimo* clarissimus Lambertinius, qui eo tempore Secretarii munus obibat et postea ad Pontificatum assumptus tot tantisque scriptis omnigena eruditione refertis ecclesiasticam canonicamque provinciam ditavit, ita contrariam hic traditam sententiam refellit, utpote in S. Congregationis disciplina et decretis perquam versatissimus « *Absque eo quod quidquam relevet responsio, quod haec* (de prohibita nempe removendi facultate) *procedunt in Vicario a Capitulo electo et non in Vicario electo a Metropolitano, tum quia distinctio haec innititur cuidam decreto huius S. Congregationis quod ab auctoribus allegatur sed in regestis non reperitur, tum quia una eademque urget ratio, dedecoris videlicet sine causa inferendi Vicario, sive hic sit electus a Capitulo sive a Metropolitano:* Quare merito dicendum esse videtur Vicarium semel electum sive a Capitulo sive a Metropolitano vel viciniore aut antiquiore Episcopo amoveri non posse, neque debere absque iusta et gravi causa per alterutram ex SS. Congregationibus Concilii aut Episcoporum agnoscenda prius et approbanda: quae nisi plene constiterit, gravissima remotionis poena nunquam est pronuncianda, ceu docuit S. Congregatio *in Vintimilien. 2 Decembris 1815*, in qua, licet aliquid minus rectum in Vicario deputato fuisset inventum, haud tamen est decreta remotio, sed monitos tantummodo voluit S. Ordo tam Vicarium quam Capitulum ob dissidia eos inter exorta.

» Perpendendum est igitur in hac rerum conditione num, attentis peculiaribus locorum circumstantiis nec non urgente provisionis necessitate, quarum est mentio in relationibus Apostolici Nuntii, quidquam sit a praenarrata iuris et praxis dispositione remittendum. Mea quidem sententia a qualibet inducenda novitate in hac re tanti momenti esset abstinendum: proindeque non recedendum a praxi et disciplina consultissima constituta et hactenus observata, eiusmodi nempe querelas afferri omnino oportere ad alterutram ex praefatis Congregationibus, ex quibus praeferenda S. C. Concilii, cuius immo convenientior, ne dicam exclusiva, videretur in hac re conciliare decretum attingente competentia, nec aliter decernenda Vicarii remotio quam causa iusta et gravi plene et concludenter coram S. Ordine discussa atque probata.

Digitized by Google

» Quoniam vero vel peculiares Regni rationes aliter possent reapse suadere, vel adeo notoria Vicarii deputati defectio adeoque urgens occurrere posset provisionis necessitas, ne Dioecesis administratio et spirituale bonum animarum damnum pateretur neve scandala germinarent, levis quaedam exceptio pro casuum eventu non omnino reiicienda videretur. Posset nempe concedi facultas extraordinaria Nuntio Apostolico deputandi alterum idoneum Vicarium integrae famae qui nomine Sanctae Sedis administret, suspensa Vicarii Capitularis potestate et iurisdictione, strictissime tamen onorata Nuntii conscientia tam super notoria veritate et gravitate causarum provisionem hanc extraordinariam efflagitantium, quam super urgenti providendi necessitate, salvo tamen iure Vicarii a muneris exercitio suspensi deducendi iura sua coram S. Congregatione, quam Nuntius ipse quolibet eventu certiorem facere teneatur absque mora de capta provisione, addita plena causarum et rationum, quae provisionem ipsam suasissent, expositione. Quod quidem perfici possent ope peculiaris instructionis ad Nuntium Apostolicum transmittendae, qua responsa quaeque ad singulas propositas quaestiones, quatenus omnia sapientissimo iudicio S. Congregationis, cui meam hanc consultationem libentissime submitto probentur, vel adiunctis emendationibus S. Ordini bene visis, cum eodem Nuntio, uti par esset, communicarentur. »

DUBIA

I. » An et quomodo deputatio » Vicarii Capitularis non Doctoris » aut Licentiati in iure canonico, » licet electus fuerit Vicarius Gene» ralis Episcopi praedefuncti, nul» litate laboret, si unus saltem de » Capituli gremio sic graduatus exi» stat.

» Et quatenus affirmative.

II. » An et quomodo, inspectis » peculiaribus circumstantiis, liceat » Metropolitano aut viciniori Epi» scopo dictam electionem vel con» firmare vel sanare.

III. » An Metropolitanus aut Vi» cinior, improbata electione, no» vum terminum praefinire debeat » Capitulo, seu potius ad ipsum » spectet iure devoluto deputatio.

IV. » An et quomodo sit locus » appellationi vel recursui a iudicio » Metropolitani seu Vicinioris.

V. » An et quomodo sit provi» dendum si Vicarius deputatus, ne» mine licet reclamante, ob malam » et perniciosam Dioecesis admini» strationem vel alia gravi de causa » suspensionem aut remotionem me» reatur. »

Responsio. S. Congregatio Concilii causa disceptata in comitiis habitis die 25 Ianuarii 1862 respondere censuit: *Providebitur in casibus particularibus*.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

ORDINIS CISTERCIENSIS

DE LEGITIMITATE BREVIARII ET MISSALIS ORD. CISTERCIENSIS.

Die 5 Decembris 1868.

Amplissimam referimus causam, quae universum Cisterciensem Ordinem respiciens animorum anxietates et dubitationes depressit atque extinxit quae hisce ultimis annis excitatae fuerant in pluribus Orbis partibus de Breviarii Cisterciensis legitimitate deque methodo liturgica hactenus penes ipsos servata.

In hac referenda causa etsi brevitati de more parcere sine ullo causae detrimento curamus, tamen abstinere non possumus quin praecipua documenta ex integro fere referamus, quae licet praesentem causam directe attingant, illustrant tamen historicam liturgicam disciplinam post Breviarii Romani reformationem.

Ob quaestiones iam penes Cistercienses agitatas, anno 1854 Superior Abbatiae S. Bernandi in Belgio, quae sub Apostolica Visitatione id temporis erat, preces quae sequuntur ad SSm̃um Patrem convertit.

Beatissime Pater

« Robertus Van Ommeren, Superior Abbatiae S. Bernardi Cisterciensis Ordinis in Belgio, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, exponit sequentia.

» 1°. Cistercienses Monachi in Italia, ab anno 1618 utuntur Breviario et Missali monastico, quae tum temporis recenter a Paulo V. erant adprobata.

» 2°. Extra Italiam autem, id est, in Germania, Bohemia, Hungaria, Helvetia, Hispania, Portugallia, Belgio, Gallia, Anglia, Hybernia, America, Cistercienses utriusque sexus, tam strictioris observantiae (Trappistae), quam communis, utuntur Breviario et

Digitized by Google

Missali Cisterciensibus, quae a Generali Cisterciensi Claudio Vaussin circa annum 1650 fuerunt edita.

» 3°. Breviarium hoc et Missale Cisterciense censetur adprobatum 1° ab Alexandro P. VII per Costitutionem *In Suprema* pro reformatione Ordinis Cisterciensis (vide Bullarium Rom.) in qua §. 17 statuit, in omnibus Monasteriis tenendum esse in Missa et officio divino ritum eumdem ac in Abbatia Cisterciensi. 2° A Clemente IX. anno 1669 per Constitutionem *Ecclesiae Catholicae*, qua confirmat Capituli generalis decreta anni 1667, inter quae decreta reperitur unum, quo prohibetur omnis in novo Breviario mutatio, et huius usus omnibus totius Ordinis professis praescribitur.

» 4°. In dicto Breviario et Missali Cisterciensi, 1° desiderantur omnia fere festa, quae a tempore S. Pii V. usque hodie a Summis Pontificibus pro utroque Clero totius Orbis extensa sunt: 2° plura in iis occurrunt festa, quae quidem ibidem minori ritu celebrantur, quam quidem hodiedum per Decreta Urbis et Orbis celebranda praescripta sunt.

» His praemissis quaeritur:

» I. Utrum Cistercienses extra Italiam teneantur Breviario suo et Missali addere omnia festa, quae a S. Sede per Decretum Urbis et Orbis pro utroque Clero praescripta sunt?

» II. Utrum festa, quae in dictis Breviario et Missali inferiori ritu gaudent, quam qui per Decretum Urbis et Orbis praescriptus est, in posterum maiori etiam ritu celebrare teneantur?

» Et quatenus ad utrumque Affirmative, supplicat Orator pro utriusque sexus Cisterciensibus communis Observantiae in Belgio, ut S. Sedes dignetur illos ab illa obligatione eximere, et concedere, ut continuare possint, sicuti hactenus fecerunt, donec generatim aliquid pro toto Ordine statuatur.

» Rationes, quare hanc gratiam a Sanctitate Vestra efflagitat sunt sequentes:

» 1°. Si omnia festa, de quibus N. 4, dictum est, Breviario adiungere aut maiori ritu celebrari debeant, Breviaria, Missalia, Gradualia, Antiphonalia, quae ultimis his annis tot tantisque sumptibus empta sunt, non amplius inservire poterunt, sed nova omnia erunt imprimenda.

Digitized by Google

» 2°. In hoc casu officium defunctorum, quod ab Ordinis incunabulis diebus ferialibus recitari solet, cessare debebit.

» 3°. In festis duplicibus, qualia fere sunt omnia, quae adiungenda erunt, Conventus tenetur ad duas Missas, unam Matutinalem, alteram Maiorem, et hinc fiet ut disciplina et observantia multum onerosior et gravior monachis sit futura, et tempus studiis destinatum multum diminuendum.

» His rationibus innixus, supplicat Orator pro enunciata gratia.

RESCRIPTUM

Ex Audientia Sanctissimi

Die 1 Iunii 1854.

« Sanctissimus attentis expositis, aliisque peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, ac referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, de speciali gratia benigne annuit, ut deinceps in recitatione horarum servetur modus hucusque servatus in adimplendo onere divini officii persolvendi, citra tamen eiusdem approbationem, donec vero finem assequatur praesens Apostolica Ordinis Visitatio, qua expleta, exhibeat integrum Kalendarium perpetuum, sancita super re a sa. mem. Summis Pontificibus Alexandro VII. et Clemente IX, Breviarium a cl. me. Cardinale Bona peractum, nec non quae noviter in hac visitatione super iisdem sanciri contigerit, ac postmodum per alterum Rescriptum providebitur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.»

Dom. Gigli S. R. C. Secretarius

Loco ✠ Sigilli.

Hoc Rescriptum, quod iudicium huius causae suspenderat, occasionem novam dedit ut eiusmodi controversia fervesceret, cum alii essent qui innovationes quaererent, alii qui illegitimum putarent usum Breviarii et Kalendarii Cisterciensis; alii plurimi e converso nihil esse innovandum et legitimam eam liturgiae Cisterciensis partem sustinerent, quos inter non solum Cistercienses Praesules observantiae communis, sed praesertim Trappenses recensebantur.

Digitized by Google

Cum autem qùaestio potissima moveretur ob quaedam Decreta Congregationis SS. Rituum edita saeculo XVII. operae pretium est haec Decreta ordine chronologico referre ac caetera documenta quae cum iisdem Decretis sunt connexa.

Paulus V. in Constitutione *Ex Iniuncto* die 1 Octobris 1612 haec edixit : « *Cum itaque sicut accepimus dilecti filii Procuratores generales monachorum militantium sub regula S. Benedicti ad reformationem sui Ordinis Breviarii et aliorum librorum ecclesiasticorum choralium deputati post diuturnos et multos labores Breviarium et libros huiusmodi reformaverint, eaque reformatione praestiterint ut Ordinis praedicti Religiosi in posterum uniformi ritu horas canonicas recitaturi... cum antehac diversa officia peragerent; Nos laudabile consilium huiusmodi plurimum commendantes et omnes eiusdem Ordinis religiosos ad Breviarium et libros chorales, ut praefertur, reformatos, unanimiter recipiendos, in Domino hortantes, et opus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, promovere cupientes, ut Breviarii et librorum praedictorum editio emendatior et fidelior peragatur etc.* » Idest committit eam editionem typographis Cameralis typographiae atque consulit, ut minores impensae habeantur, ac deinde subiunxit: « *Caeterum ut praedicti Religiosi ad Breviarium et libros chorales, ut praefertur, reformatos, unanimiter recipiendos eo alacrius inducantur, quo spiritualibus etiam donis se magis refectos esse compererint, etiam providere volentes: omnibus et singulis praedictis Religiosis ut Breviarium huiusmodi sic reformatum recitando, eadem privilegia, gratias et indulgentias ac peccatorum remissiones consequantur, quae fel. rec. Pius Papa V. praedecessor Noster recitantibus Breviarium Romanum concessit, auctoritate et tenore praedictis indulgemus.* »

Anno 1615 die 24 Ianuarii, quo tempore dictum Breviarium monasticum Benedictinum reformatum in lucem prodierat, cum non deessent Religiosae familiae militantes sub regula S. Benedicti, qui uterentur Breviario Romano, vel alio Breviario, rogata videtur S. C. R. utrum hae monasticae familiae uti possent novo reformato Breviario Benedictino. Et S. Congregatio respondit ut legitur in sequenti Decreto: *Terraconen. sub memoriali.* « Pro» positis in S. C. R. iis, quae in praeinserto memoriali conti» nentur, eadem S. R. Congregatio censuit et declaravit, *omnes*

Digitized by Google

» *monachos et moniales qui et quae militant sub regula S. Bene-*
» *dicti posse et debere uti Breviario Benedictino nuper de man-*
» *dato SSmi D. N. Papae edito pro omnibus religiosis, qui militant*
» *sub regula S. Patris Benedicti, non obstante quod aliqui ex eis*
» *in praeteritum usi fuerint Romano vel alio Breviario.* »

Hoc Decretum declaratorium datum ad nonnullorum instantiam etsi declaret tum facultatem, tum debitum suscipiendi illud Breviarium, ad debitum tamen quod attinet illud oriri videtur tum ex quadam convenientia ob Pontificis hortationem, tum praesertim ex conformitate inducenda in universum Ordinem Benedictinum, cuius conformitatis ratione Procuratores Ordinis illud Breviarium ediderunt.

Verum amplissimus Cisterciensis Ordo etsi et ipse militat sub regula S. Benedicti, eo Breviario usus non est.

Anno 1656 Claudius Vaussin Abbas generalis Cistercii, quod monasterium caput est universi Cisterciensis Ordinis, ex Capituli generalis dispositione Breviarium Cisterciense reformavit, quo, decennio elapso, omnes Cistercienses familiae uti deberent. Verum hoc Decretum occasionem dedit querimoniis in nonnullis familiis Cisterciensibus Italiae, ob quas sequentia prodierunt Decreta ex quibus simul eruitur eorumdem Decretorum historia.

Anno 1660 hoc editum fuit: « *Congregationis Cisterciensium.*
» Abbas Hilarion Roncatus monachus Cisterciensis et S. Congre-
» gationis consultor meritissimus S. C. exposuit, elapsis annis
» typis editum Breviarium Cisterciense vulgatum fuisse iussu Ab-
» batis generalis ea lege, ne post decennium quis monachus posset
» uti alio Breviario quam praedicto. Verum, quia ab antiquo
» Breviario plurimum differt, praesertim in officiis Beatae Vir-
» ginis et defunctorum; monachorum ac propriae conscientiae
» consulendum duxit, veritus, ne mutilatio huiusmodi satisfa-
» ctioni recitationis plurimum adversetur, ac propterea suppli-
» cavit, dignaretur Sacra Congregatio utrumque Breviarium exa-
» minandum committi alteri ex consultoribus gratiâ referendi in
» ipsa Congregatione; quae iussit examen committi Emo D. Car-
» dinali Franciotto, ut adhibito P. Augustino Tartaglia, nec non
» audito P. Abbate Hilarione, animadversiones referat in S. Con-
» gregatione. Die 24 Ianuarii 1660. »

Digitized by Google

Die 24 Iulii 1660 sub eodem titulo hoc alterum subsecutum est Decretum.

« Monachi Cistercienses Italiae a Congregatione Sacrorum Ri-
» tuum supplices declarari petierunt, an tuta conscientia assu-
» mere, et adhibere possent Breviarium Cisterciense iuxta Ro-
» manum novissime editum, et praecepto Abbatis Generalis ab
» universa Congregatione recitari iniunctum, tametsi admodum
» ab antiquo Breviario discrepet. Et Sacra Congregatio, audito et
» informante fratre Ioanne Magloire vicario et procuratore gene-
» rali, ad relationem Emi D. Cardinalis Franciotti decrevit, et
» mandavit, ut sublato praecepto novissimi Breviarii recitandi,
» et suspenso Breviario eodem, novum Breviarium coram Emis
» DD. Cardinalibus Franciotto et Estense condatur, ab eisdem-
» que diligenter examinetur ad effectum referendi in Sacra Con-
» gregatione. Interim vero, et quidem post lapsum termini no-
» vem mensium a iure concessi, monachi adhibeant Breviarium,
» quo hactenus ante editionem novissimi utebantur, vel mona-
» sticum a Paulo V. approbatum usque ad novi Breviarii a Sacra
» Congregatione approbandi, evulgationem. Die 24 Iulii 1660. »

Iterum die 12 Martii anno 1661 quaestione fervesente hoc Decretum subsecutum est.

« Petentibus monachis quibusdam timoratae conscientiae Con-
» gregationis Cisterciensis provideri circa impressionem Breviarii
» Congregationis, ne tandem careant facultate recitandi horas
» canonicas; Sacra Congregatio mandavit per patrem Bonam
» Abbatem S. Bernardi, et Procuratorem generalem Cistercii
» Gallum coram Emis Dominis Cardinalibus Franciotto et Estensi
» mendis expurgari, et ad ritum Romanum reduci Breviarium
» novissime suspensum. Die 12 Martii 1661. »

Denique die 23 Iunii eiusdem anni hoc praeceptum datum est.

« Sacra Rituum Congregatio declaravit, monachos Cistercien-
» ses comprehendi in Decreto edito die 24 Ianuarii 1615 impresso
» in Breviario monastico approbato a sa. me. Paulo V; ideoque
» intra annum eos debere assumere praefatum Breviarium Mo-
» nasticum cum Missali, eoque tam in choro quam extra cho-
» rum teneri in futurum uti, quamvis hactenus proprio Breviario
» usi fuerint: alias non satisfacere praecepto recitationis officii;
» salva insuper manente antiquissima ipsius Ordinis consuetu-

Digitized by Google

» dine recitandi quotidie officium parvum Beatae Mariae semper » Virginis, nec non officium defunctorum diebus illis, quibus » hactenus recitare consueverunt, forma tamen et ritu in ipso » Breviario Monastico praescriptis. Retento praeterea officio pro» prio cum octava de S. Bernardo nec non officiis Sanctorum » Ordinis e communi tamen Breviarii praedicti desumenda, quae » ex antiqua et probata Ordinis consuetudine hactenus recita» runt. At quia procurator generalis novam audientiam postu» lavit, placuit Emo Praefecto illam benigne concedere, et in» terim Decretum non evulgari. Die 2 Iulii 1661. » Quod Decretum tamen fuit confirmatum die 23 Iulii 1661.

Pater Bona curavit quam citissime ut hoc Decretum quoad suos Monachos exsecutioni mandaretur: unde exortis quibusdam dubitationibus hoc alterum Decretum prodiit.

« Priores Sanctae Pudentianae et S. Bernardi de Urbe Sacro» rum Rituum Congregationi exposuerunt se cogi sub praecepto » sanctae obedientiae a patre Bona eorum Abbate generali ad » recitationem Breviarii Monastici ante lapsum termini unius » anni a S. Congregatione eis indulti: propterea declarari sup» plicarunt, an dictus Generalis possit eos compellere, ac proinde » obedire teneantur?

» Sacra Congregatio respondit, potuisse et posse Generalem » compellere praeceptis et poenis pro arbitrio suo tam ipsos, » quam alios suae Congregationis superiores et monachos, etiam » ante lapsum termini praedicti ad Breviarium et Missale Mo» nasticum adhibendum in officii divini et Missae celebratione, » ac omnes teneri eius praecepto parere.

» Praeterea cum renunciatum fuisset ab aliquibus monachis » dubitari, an cum usu Missalis Monastici a sa. me. Paulo V. ap» probati possint in Missae celebratione antiquos ritus et caere» monias Ordinis Cisterciensis retinere: Sacra Congregatio dein» claravit, eosdem monachos debere omnino praefato Missali dein» ceps uti, et Missam tam solemnem quam privatam celebrare » cum ritibus et caeremoniis in eodem Missali praescriptis.

» Facta autem de praedictis SSmo D. N. relatione, Sanctitas » Sua annuit, et ita observari praecepit, non obstantibus eius» dem Congregationis S. Bernardi constitutionibus, et aliis con» trariis quibuscumque. Die 3 Decembris 1661. »

Digitized by Google

Post haec Cistercienses Galliae petierunt dilationem quandam, quam, etsi S. C. indulgendam esse existimavit, Alexander VII. tamen abnuit, ut ex sequenti Decreto.

« Institit procurator Ordinis Cisterciensis Generalis, ut, ad » evitandam difficultatem, quae ob magnum dispendium quod in » dies insurgit in executione Decreti S. Rituum Congregationis, » quo iniunctum est ut eiusdem Ordinis regulares assumant Bre- » viarium Monasticum, Sacra eadem Congregatio benigne indul- » gere dignaretur retentionem librorum choralium usque ad Ca- » pitulum generale in quo possit deliberari super provisione » novorum codicum. Et Emi Patres, firmo remanente Decreto, » quod assumant Breviarium Monasticum, et interim libri cho- » rales corrigantur in his quae repugnant praedicto Breviario » monastico, petitis annuendum censuerunt si SSmo visum fue- » rit. Die 3 Iunii 1662. »

« Delato ad SSmum Dominum Nostrum sensu S. Congrega- » tionis super petitione procuratoris generalis Ordinis Cistercien- » sis, nempe, ut Sacra eadem Congregatio dignaretur indulgere » manutentionem librorum choralium usque ad Capitulum gene- » rale in quo posset deliberari super provisione novorum codi- » cum, Sanctitas Sua *abnuit* desuper praedicta petitione quicquid » remittere ex iniunctis in Decreto edito die 23 Iulii 1661. Sacra » igitur Congregatio iuxta mentem SSmi stetit in decretis, et » universum Ordinem Cisterciensem iuxta praefatum Decretum » teneri assumere Breviarium Monasticum a sa. me. Paulo V. ap- » probatum, idemque tam in choro quam extra chorum recitare, » alias praecepto recitationis officii minime satisfacere post la- » psum temporis in eodem Decreto expressum. Die 8 Iulii 1662.»

Dum haec agitabantur quaestiones a nonnullis varii nominis Cisterciensibus Italiae familiis, multo graviores amplioresque dissensiones in Gallia fervescebant: et dum S. R. Congregatio adlaborabat, ut unum hoc quaestionis caput in universo Ordine Cisterciensi firmaretur, in Gallia agebatur de reformatione universi Ordinis, ut inferius dicetur.

Claudius Vaussin, qui tandem potuerat eligi a Cisterciensibus communis observantiae in Abbatem generalem, praeter Breviarii reformationem, de qua diximus, articulos simul cogitavit universae reformationis Ordinis, qui attemperari possent illis mona-

Digitized by Google

chis observantiae communis qui reformationem nimis rigorosam repudiabant: neque videtur multum interea curasse quaestiones quae in Italia excitatae fuerant adversus reformatum a se Breviarium.

Tandem eo rem perduxit, ut die 16 Ianuarii anno 1662 potuerit obtinere ab Alexandro VII. Literas Ap. quibus integra causa reformationis Ordinis R. Pontifex sibi avocaret. Qua causae avocatione obtenta, tum ipse Vaussin, tum alii Praesules Cistercienses inter quos dissensiones intercesserant, articulos reformationis S. Sedis exhibuerunt: his articulis in examen revocatis per peculiarem deputatam Congregationem tandem Alexander VII. celebrem Constitutionem edidit die 19 Aprilis anno 1666 quae incipit *In Suprema*.

Articuli harum Apostolicarum Literarum, qui ad formam divini officii et modum psallendi in Ordine Cisterciensi referuntur, atque proinde sub aliqua ratione referri possunt ad Breviarium reformatum de quo agimus, ita se habent:

« 17. *Forma ista exactissime observetur et materia ab Ecclesiae Romanae usu ad Dei gloriam et proximi aedificationem sumatur prout hactenus consuevit ecclesia Cisterciensis, cui tamquam matri omnes aliae ecclesiae dicti Ordinis ex Charta Charitatis Eugenii III. et Pii V. definitionibus et praeceptis conformari tenentur: ut autem haec uniformitas in divino officio persolvendo teneatur in omnibus Ordinis monasteriis, iisdem ritibus et cantu et libris ad diurnas et nocturnas Horas et Missas necessariis secundum praedictam formam Cisterciensis monasterii omnes utantur.*

» 18. *Horis canonicis, officio B. Virginis et Defunctorum iuxta usus et consuetudines laudabiles huius Ordinis in choro recitandis et decantandis omnes et singuli cum cucullis intersint, et horas canonicas cum cantu Gregoriano iuxta regulam persolvant.* »

In his Literis Apostolicis, ne reformatio esset verbo tenus, sed realis et cum effectu, idem Pontifex iniunxit Claudio Vaussin, ut primo quoque tempore convocaret generale Capitulum apud monasterium Cistercii celebrandum mense Maio anni 1667, atque in eodem Capitulo diligens haberetur tractatus de reformatione Ordinis et observantia regulari, *deque aptiori modo exsequendi et ad praxim deducendi praeinsertos reformationis articulos.*

Digitized by Google

Statuto tempore florentissimum habitum est generale Capitulum, in quo tamen nonnulli defuerunt et nominatim repraesentantes Congregationis Longobardae et Tusciae.

Hoc in Capitulo ad rem nostram quod attinet de Breviario haec fuerunt statuta : « Ut in divino officio persolvendo in omni- » bus Ordinis monasteriis hoc vinculum uniformitatis teneatur, » Capitulum generale statuit atque decrevit, nullam de caetero » in *novo Breviario* faciendam esse mutationem, sed ipsius or- » dinationi standum esse ex integro ab omnibus Ordinis pro- » fessoribus. »

Haec capitularis constitutio post accuratum examen Romae habitum in eadem deputata Congregatione quae articulos reformationis expenderat, inserta fuit cum caeteris articulis in literis Apostolicis Clementis IX. diei 26 Ianuarii 1669 quarum initium est *Ecclesiae catholicae;* atque in forma, quam *specificam* appellamus, ab eodem Pontifice confirmata fuit.

Nihilominus ex S. Congregatione Rituum etiam post id temporis nonnulla alia prodierunt Decreta, quae ad praesentem quaestionem de Breviario Cistercensium aliquo modo referuntur.

Idest die 12 Augusti 1673 hoc Decretum editum fuisse in Regestis S. C. legitur: « *Ordinis Cisterciensis*. S. Rituum Congre- » gatio inhaerens Decreto die 23 Iulii 1661 edito, quo declaravit, » monachos Cistercienses uti debere Breviario monastico a sa. » mem. Paulo V. approbato, retentis officio proprio cum octava » S. Bernardi nec non officiis Sanctorum Ordinis de communi » praedicti Breviarii desumendis, suprascriptas lectiones proprias » pro Sanctis eiusdem Ordinis diligenter revisas per Emum » D. Cardinalem Bonam approbavit, et imprimi posse concessit. » Hac die 12 Augusti 1673. »

Alterum subsecutum est Decretum die 13 Iulii 1675 his verbis : « *Congregationis Cisterciensis Italiae*. Exposuit procurator » generalis Congregationis Cisterciensis Italiae, quod per hanc » SS. RR. Congregationem die 23 Iulii 1661 resolutum fuit: ipsos » teneri assumere Breviarium monasticum Romanum alias non » satisfacere praecepto salva insuper manente antiquissima ipsius » Ordinis consuetudine recitandi quotidie officium parvum B. Ma- » riae semper Virginis, nec non officium defunctorum diebus » illis, quibus hactenus recitare consueverunt; et quia praeten-

Digitized by Google

» derunt ex hoc Decreto ipsos debere continuare officium de-
» functorum iuxta rubricas antiquas Breviarii prohibiti; ideo de-
» lata praetensione per modum dubii ad Capitulum generale
» Italiae, fecit Decretum quod recitaretur in solis diebus feriae
» in primis diebus hebdomadae sanctae et in tempore paschali.
» Et delata resolutione ad eamdem S. Congregationem proxime
» praeteritam pro confirmatione, rescripsit: *Lectum*. Huic responso
» non acquiescente dicto procuratore, repetendo, Rubricas esse
» incompatibiles et non aptari novo Breviario, ideo commissa
» causa Emo D. Cardinali Columna, denuo supplicavit confir-
» mari dictam resolutionem Capituli generalis vel reduci ad
» Breviarium novum Romanum. Et eadem S. C., referente Emo
» Columna, censuit, quod *servetur Rubrica novi Breviarii*. Die
» 13 Iulii 1675. »

Haec erant a nobis in facto referenda, ut status quaestionis sub oculis haberetur.

Duo Consultores rogati sunt ut de hac quaestione scriberent, votaque sua ederent: cum autem eorum scripta minus satisfacere viderentur, tertius Consultor additus est, qui super hoc negotio scriberet, omnibus reassumptis atque perpensis: qui Consultor reapse votum elucubravit ita, ut nihil desiderandum relinqueret. Eius scripta constant paginis 486 in folio.

Cum itaque in contrarias opiniones Consultores abirent praecipua argumenta ex eorum scriptis colligemus ac breviter de more exponemus, ita tamen ut sufficiens rei cognitio habeatur.

Praetereundum autem non est, praecipuam quaestionem versari circa Breviarium a Claudio Vaussin Abbate Generali Ordinis Cisterciensis reformatum et auctum, quod ita mutatum, uti fertur, non receperant Lusitani, neque aliqui Hispani, nec illi Itali qui receperunt monasticum Pauli V. Sed praeter hos numero paucos, alii omnes Cistercienses tum communis observantiae in Gallia, Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia, Helvetia, Anglia, Hibernia, America et in maxima parte Hispaniae receperunt, et ab illo tempore usque in praesens eo Breviario usi sunt.

Alteram quaestionem versari circa officia Sanctorum non pauca, quae universo Orbi praescripta in Ordine Cisterciensi vel non habentur vel non eodem praescripto ritu celebrantur.

Digitized by Google

Disceptatio synoptica.

Argumenta adducta contra breviarium Claudii Vaussin. — Primi duo Consultores, ex exposita superiori Decretorum serie, facili raratione argumentati ita sunt: priusquam Breviarium Cisterciense propria auctoritate Claudius Vaussin reformaret, iam R. Pontificem Paulum V. Breviarium monasticum reformatum approbasse atque hortatum fuisse omnes Ordines militantes sub Regula S. Benedicti, ut huic Breviario se conformarent: eiusmodi hortationes transiisse in praeceptum ex Decreto S. C. Rituum die 24 Ianuarii anno 1615, quo declaratum est *omnes monachos et moniales qui et quae militant sub regula S. Benedicti posse et debere uti Breviario Benedictino nuper de mandato SSmi edito*.

Hoc Decretum fuisse quoque commemoratum in Brevi *Exponi Nobis* Urbani VIII. diei 17 Iunii 1643. Ortis deinde dubitationibus inter quosdam Monachos Cistercienses italicae provinciae, et examine constituto tandem anno 1661 decretum fuisse: *monachos Cistercienses comprehendi in decreto edito approbato a s. m. Paulo V. ideoque intra annum eos debere assumere praefatum Breviarium.... alias non satisfacere praecepto recitationis officii*. Quod Decretum fuit confirmatum die 23 Iulii eiusdem anni.

Cistercienses Gallicos, uti par erat, se paratos ostendisse ad illud Breviarium assumendum, eosdem tamen postulasse Decreti suspensionem usque ad Capitulum Generale; et quamvis S. C. Rituum die 3 Iulii 1662 petitis annuerit *si SSmo visum fuerit*, tamen Alexandrum VII. *abnuisse*.

Quare concludebant, Monachos Cistercienses, qui omnes ferme hactenus servarent Breviarium Vaussinianum his Decretis non obtemperasse, etsi Consultores iidem facile concedebant, eiusmodi Decreta in pluribus Monasteriis familiisque Cisterciensibus cognita non fuisse.

Ad Breve quod attinet Alexandri VII. pro reformatione Ordinis Cisterciensis datum die 19 Aprilis 1666 in cuius §. 17 legitur: *Forma ista* (divini officii et modi psallendi) *exactissime observetur et materia ab Ecclesiae Romanae usu... sumatur etc.* quibus verbis innixi sunt quammaxime illi omnes qui receptum Breviarium Vaussinianum servandum esse contenderent; Consultores animadvertebant, eam praetensam adprobationem conciliari non

Digitized by Google

posse cum dictis Decretis S. Congregationis Rituum, in quibus auctoritas explicite intervenerat eiusdem Alexandri VII. ut ex documentis superius expositis. Quod si illud Breviarium Vaussinianum confirmatum reapse fuisset, monachos Cistercienses provinciae Italicae sese conformare illi debuisse, et absonum esse dicere, eos Pontificiae Constitutioni obstitisse: verba *forma ista* nil aliud significare, quam formam monastici ritus, quae quidem forma servata esset quoque in Breviario Pauli V. ita ut prohibiti fuerint per illa verba Monachi Cistercienses introducere Ritum Romanum cleri saecularis: alia verba *materia sumatur ab usu Ecclesiae Romanae* vera esse in Breviario Pauli V. cuius materia desumpta esset ex Breviario S. Pii V; e converso eadem verba non bene aptari Breviario Vaussiniano, in quo continerentur tum multae innovationes, tum plura excerpta ex veteri ritu Cisterciensi et extranea Romano ritui; et alia similia.

Cum autem verba *forma ista* referenda censerent ad formam monasticam a S. Benedicto praescriptam, quam formam Benedictinae Congregationes servaverant, plane intelligi inquiebant quomodo Alexander VII. edicere potuisset: *prout hactenus consuevit:* quae quidem verba cum ad consuetudinem referantur, significare non potuisse recentem introductionem Breviarii Vaussiniani; eo vel magis quod non omnia monasteria eo Breviario uterentur et Decreta Sacrae Congregationis Rituum iam illud reprobaverint.

Sed ad Breve quod attinet Clementis IX. diei 26 Ianuarii 1669 quo Pontifex approbavit Decreta ultimi Capituli generalis Cisterciensis, inter quae Decreta illud legitur, quo constitutum est *nullam de caetero in novo Breviario faciendam esse mutationem sed ipsius ordinationi standum esse ex integro ab omnibus Ordinis professoribus;* animadvertit Consultor pari ratione per verba *novum Breviarium* intelligi non posse Vaussinianum, sed illud Pauli V. cum hoc novum potuisset appellari prae veteri monastico Cisterciensi; tum praesertim, ob allegata Decreta S. C. RR. de quorum derogatione nulla mentio esset, nec in hoc posteriori confirmatorio Brevi; in more autem positum esse penes Romanam Curiam, ut cum agitur de dispositionibus quae derogent prioribus de his quibus derogatur fiat mentio.

Digitized by Google

Eo vel magis, quod posteriora adessent Decreta, quae priora confirmaverint, et in suo robore servari mandaverint.

Ad haec facile reducuntur animadversiones Consultorum, qui adversus amplissimam consuetudinem in eo Ordine vigentem scripserunt quoad usum Breviarii Vaussiniani.

Ea quae animadversa sunt circa alteram quaestionem. — Adversus consuetudinem in Ordine Cisterciensi vigentem, qua dicitur Cistercienses non adiungere nova officia etsi universo Orbi praecepta nisi in casu quo vel Generale Capitulum ea adiungenda esse mandet vel S. Sedes explicite in generalibus Decretis comprehendat Cistercienses: haec inter caetera sunt animadversa: Ante Concilium Trid. et Constitutionem S. Pii V. potuisse Ordinarios adiungere nonnullas festivitates et peculiaria officia in suo kalendario: Cistercienses hanc facultatem reservasse Capitulo Generali ad maiorem ritus conformitatem. Namque celebre apud eos est quoddam praecipuum et vetustum documentum a S. Sede probatum quod *Charta Charitatis* appellatur; in quo haec fuerunt statuta: « Et quia omnes monachos ipsorum ad nos venientes in » claustro nostro recipimus et ipsi similiter nostros in claustris » suis, ideo nobis opportunum videtur, et hoc etiam volumus, ut » mores et cantum et libros omnes ac horas diurnas et nocturnas et ad omnes Missas necessarios, secundum normam morum » et librorum novi monasterii (idest Cistercii) possideant, quatenus in actibus nostris nulla sit discordia, sed una charitate, » una regula, similibusque vivamus moribus. »

Verum quod attinet ad Decreta Generalia S. Sedis praescribentia divina officia et festivitates animadversum est, Cistercienses carere fere omnibus dictis officiis quae duobus ferme abhinc saeculis praescripta essent: cumque autem ipsi inniterentur antiquis privilegiis, unus ex Consultoribus ostendere studuit his privilegiis antiquitus eosdem caruisse. Praecipuum autem argumentum quod afferre potuit, fuit epistola Alexandri IV. quam refert Martene, *Thesaurus Anectodorum t. 1 volum.* 1063 *anno* 1255, quam integram heic damus.

« Alexander Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Ab- » bati Cistercii ac generali Capitulo Cisterciensis Ordinis salu- » tem et Apostolicam Benedictionem.

» Licet Apostolica Sedes per iustum et meritorium iudicium

» Beatum Dominicum Confessorem institutorem Ordinis fratrum » Praedicatorum et Beatum Petrum Martyrem eiusdem Ordinis » catalogo adscribens Sanctorum, per universos mandaverit eo» rum festa solemniter celebrari; vos tamen occasionem sumentes » ex eo quod id vobis specialiter non extitit demandatum, San» ctorum ipsorum festa solemnitate debita, ut dicitur, minime » celebratis: hinc est quod universitatem vestram rogamus, mo» nemus et hortamur attente per Apostolica vobis scripta man» dantes, quatenus attendentes, quod Sanctorum meritis inclyta » gaudia illi procul dubio assequantur, qui Eum venerantur in » ipsis quorum gloria ipse est et retributio meritorum per uni» versum ordinem vestrum praedictorum Sanctorum festivitates » celebrari solemniter faciatis, iuxta quod per Sedem eamdem » pie noscitur ordinatum. Datum Anagniae Kalendis Augusti Pon» tificatus Nostri anno primo. »

Quod spectat ad recentiora tempora allegabat Consultor Decretum S. C. R. in *Fullen*. die 2 Iulii 1639, quod sic legitur in Gardelliniana Collectione: « Procurator generalis Congregationis » Fullen. Ordinis Cisterciensis supplicavit responderi: an sua » Congregatio utens Breviario Benedictino reformato teneatur » recitare officia illorum Sanctorum qui fuerunt inserti de man» dato Sedis Apostolicae in Kalendario Romano post accepta» tionem praedicti Breviarii Benedictini reformati? Et S. C. » mandavit fieri de hoc verbum cum SSmo, qui respondit: » *teneri*. »

Caeterum certum esse, Consultor inquiebat, tum Missale editum anno 1617 ex mandato Abbatis Generalis Nicolai Boucherat continere omnes festivitates obligatorias, tum Breviarium Vaussinianum publicatum anno 1656 easdem continere, si excipias tres dumtaxat festivitates.

At deinde Consultor in novam arenam descendit affirmans, ob innovationes plurimas factas in Breviario veteri et liturgia Cisterciensi eosdem Cistercienses decidisse ex iure, quod ipsis competebat ex celebri Constitutione S. Pii V. *Quod a Nobis,* edita septimo Idus Iulii 1568, qua permisit, ut Breviaria antiquiora ducentis annis, possint retineri. Hinc Consultor plures commemoravit mutationes factas a Capitulis generalibus ab initio saeculi decimi septimi de quibus infra sermo redit.

Digitized by Google

VOTUM TERTII CONSULTORIS FAVORE VIGENTIS CISTERCIENSIS CONSUETUDINIS. Nihil tertius Consultor praetermisit ut omnia et singula quae obiicerentur ab illis, qui Breviario Vaussiniano ac liturgiae Cisterciensi adversati sunt, in accuratum examen revocarentur.

Et ad innovationes liturgicas quod attinet, animadvertit, eas in Ordine Cisterciensi sumpsisse quidem initium ineunte saeculo decimo septimo, sed tantas non esse quantae describerentur: et quod magis est, innovationes rectissimo animo factas aut provocatas fuisse, easdemque confundendas non esse cum innovationibus liturgicis Gallicani Cleri, ut ex sequenti enarratione patebit.

In Gallia innovationes liturgicae quae pedetentim ferme eliminarunt liturgiam Romanam coeptae sunt sub finem eiusdem saeculi: cum contra initio dicti saeculi Galliarum Clerus praedilexisset quammaxime Romanam liturgiam ceu narrat Melchior Du Lac in memoriis historicis quibus titulus: *La liturgie Romaine et les Liturgies Françaises chap.* 12 *pag.* 226.

Correctiones autem liturgicae Cistercienses inceperunt initio dicti saeculi, et ne in Gallia quidem sed in Italia. Primum enim Cisterciense Breviarium aliquatenus temperatum prodiit Venetiis anno 1608 auctoritate Abbatis Generalis Nicolai Boucherat, et Abbatum Congregationis Longobardae; quod destinabatur pro Cisterciensibus Italiae. Tribus post annis alia Congregatio Fulliensium Italorum, qui reformati S. Bernardi dicti sunt, quique a Cistercio seiuncti omnino erant, Breviarium Ordinis pariter reformare incepit in Capitulo Generali Pinarolii habito anno 1611. Eiusmodi reformationes parvae quidem et pedetentim factae pertigerunt usque ad annum 1651 quo tempore ex mandato Abbatis Cistercii plenior et amplior facta est reformatio; et usque in praesens nihil amplius fuit mutatum.

Iamvero in Gallia primum Breviarium *novum* Gallicanum publicatum fuit anno 1678 a De Villars Archiepiscopo Viennensi, qui primus vexillum extulit adversus Romanam liturgiam eumque secutus est Harlay Archiepiscopus Parisiensis.

Ratio autem harum variationum inter monachos Cistercienses et Clerum Gallicanum fuit omnino contraria; Gallicani enim ut liturgiam Romanam abolerent; Cistercienses autem ut eam in suo Ordine quantum fieri posset constituerent. Hoc quidem luce

Digitized by Google

clarius apparet, comparatione instituta inter veteres et recentiores liturgicos Cistercensium libros: cuius rei aliquid hic délibasse sat est. In regula S. Benedicti mos dicendi *Alleluia* usque *ad caput* Quadragesimae perdurabat. Capitulum Generale anno 1601 praescripsit, ut cessaret a Septuagesima iuxta Romanum ritum: in innovationibus factis anno 1608 et 1611 officium trium dierum maioris hebdomadae desumptum fuit integre ex Breviario S. Pii V. comprehenso etiam ritu: anno 1618 in Capitulo Generali Cistercii habito sub dicto Abbate Generali Boucherat haec fuerunt statuta: «Iussi sunt Sacerdotes nostri in Capitulo anni 1618 » rem divinam facere ritu Romano; ac procedente tempore, » Missale et Breviarium nostrum ad ordinem et rubricas Roma» nas fuerunt accommodata » ut legitur in *praef. ad rit. cisterc.*

Sed eiusmodi variationes pedetentim factae, etsi pro scopo habuerunt Romanam liturgiam, tamen difficile erat ut simul consonarent, quare ab aliqua confusione immunes in praxi esse non poterant.

Claudius Vaussin Abbas Generalis creatus anno 1645, ipse est, qui in Capitulo generali anni 1651 serio incubuit in reparandas difformitates prae oculis habitis libris liturgicis S. Pii V. et disciplina liturgica Cisterciensi. Quod quidem obtinuit imposito hoc munere doctis viris, qui post quinque laboris annos Breviarium ediderunt in cuius fronte haec leguntur: « Fuit tan» dem pia multorum aemulatio ut praesules Cisterciensis Ordi» nis in ultimis generalibus comitiis anno Domini 1651 unde» quaque coacti decretum ediderint, quo selectorum virorum » examine et iudicio Breviarium non in paucis depravatum, ae» quiori et nitidiori methodo restitueretur. Opus sane a nonnullis » antea tentatum, sed quo plus accessere correctiones, centonis » ad instar, eo deformius prodiit. Hi siquidem nimio veteris tra» ditionis studio prohibiti, parietem undequaque rimis hiantem » linire frustra desudarunt. Unde aliquibus satius videbatur Ro» manum a prima Sede postulandum, quam proprium tam va» riis laciniis immutatum diutius esse retinendum. Verum ob» stitit constans quinque saeculorum usus, trita Sanctorum ve» stigia, iactura non modica librorum choralium, quos olim » ingenti labore operosi monachi in membranis descripserunt, » sed maxime ordo pensi divini in regula S. Benedicti praescri-

Digitized by Google

» ptus, quem nemini eam profitenti licet omittere. Eo igitur » consilio factum est, ut in praesenti editione tria rite obser» ventur. Primum est ut, salvo monastici instituti iure, sit Ro» mano conforme. Hinc emendatio psalmorum, canticorum et » lectionum adamussim editionis vulgatae iussu Sixti V. reco» gnitae: quorumdam Sanctorum festa Kalendario inserta; officii » nocturni lectiones ex Scriptura (1); nova dispositio collecta» rum, capitulorum, antiphonarum et responsoriorum, cum maio» rum in primis Vesperis, tum brevium alibi; in sacro triduo » officium penitus Romanum et quamplures aliae mutationes, » quae sparsim occurrent recitanti.... Sed nonnihil facessit ne» gotii usus antiquorum librorum, mandato Superiorum in cantu » retinendus, cum vix aliquid habeant simile cum Romana offi» cii divini serie, idque fecit ut inviti ab ea in paucis sit de» flexum, quae tamen, si aliquando nova cudantur antiphonalia » (quod a multis desideratur) ad limam revocabuntur. »

Sed quaestionem potiorem in eo esse positam, animadvertit Consultor, in inquirendo, utrum Cistercienses potuerint propria auctoritate aggredi reformationem: atque ostendit eos potuisse Breviarium monasticum temperare ad normam Breviarii Romani, ita tamen ut tenerentur deinde illud submittere Apostolicae Sedi ad obtinendam confirmationem; quod erudite ita ostendit.

S. Pius V. Breviarium et Missale a se reformata Ecclesiae universae iniungens, ab hac lege exemit quidem ea Breviaria, quae essent usu antiquiora ducentis annis, sed tamen in arbitrio eorum, qui ea Breviaria recitare tenerentur, reliquit aut ea servandi, aut suscipiendi Breviarium reformatum Romanum. His autem positis veluti sua sponte id temporis oriebatur, ut adessent qui mediam veluti viam tenerent, idest retinendo antiquos libros, eosdem aliquatenus reducendo iuxta formam prae-

(1) Heic adnotavit Consultor, in veteri Cisterciensi Breviario, lectiones ex Sacra Scriptura ordinatas fuisse ferme sine regula. Interdum enim Sacra Scriptura legebatur non modo in primo nocturno, sed etiam in secundo: interdum a primo nocturno, et post duas vel tres lectiones S. Scripturae in tertia vel quarta lectione legi incipiebatur aliquis sermo alicuius S. Patris, cuius recitatio prosequebatur in aliis quatuor lectionibus secundi nocturni (Cistercienses duodecim lectiones recitant): interdum e converso omissis omnino lectionibus ex S. Scriptura, eius loco recitabantur sermones aut tractatus alicuius S. Patris.

Digitized by Google

scriptam a S. Pio V. salva semper obligatione eos subiiciendi Apostolicae Sedi pro confirmatione.

Ad Galliam quod attinet, plures fuerunt ecclesiasticae provinciae, quae statuerunt suam liturgiam penitus derelinquere, ut factum est in provincialibus synodis Burdigalensi anno 1583, Bituricensi anno 1584, Aquensi anno 1585, Tolosano anno 1590, Narbonensi anno 1609: contra, veteres libros sine ulla mutatione retinuerunt provinciae Lugdunensis, Viennensis, Senonensis: in provincialibus autem Synodis Rothomagensi, Turonensi et Rhemensi fuit decisum libros liturgicos emendare iuxta eos S. Pii V. Sane ut unum vel alterum afferam exemplum in Synodo provinciali Rothomagensi anno 1581 haec leguntur: « Hortamur » nostrae provinciae Episcopos ut diligenter inspiciant et exa» minent suarum dioecesuum preculas horarias, Breviaria, Mis» salia, agenda seu manualia Curatorum, atque alios libros ec» clesiasticos ac caeremonias, ne quid contineant contrarium » doctrinae catholicae, aut veris historiis Sanctorum... sed libros » *emendatos*, quoad fieri potest, *servato usu dioecesuum, iuxta* » *tamen constitutiones sa. mem. Pii V. super Breviario Romano* » et Missali ex Decreto sacrosancti Concilii Tridentini restituto » et edito, procurent imprimi. »

Item in Turonensi anno 1583: « Monemus... Missalia, Bre» viaria, Gradualia aliosque libros ad divinum cultum necessa» rios (quibus fere omnes ecclesiae sunt destitutae) ut exacte » *emendentur ad normam a Sede Apostolica et Constitutione sa. mem.* » *Pii V. praescriptam.* » Haec omnia videri possunt apud Labbé *tom.* 15.

Quod et Ordines ferme omnes religiosi qui antiquiori ducentis annis uterentur Breviario peregerunt: cuius rei satis sit indicare epistolam Prioris Ordinis Cartusiensis anni 1586 qua universis et singulis Prioribus eius Ordinis haec scripsit: « Mi» rari nemo debet, quod nos novissimi post primos patres do» ctrina et virtute insignes aliquid in divino officio corrigere, » demere, addere et mutare ausi sumus. Cum ex sacrae et ge» neralis Synodi Tridentinae decreto Beatissimus Pater Pius V., » tam in officio canonico, quam in officio gloriosae V. Mariae » matris Dei plurima iusserit emendari. Sanctissimus quoque et » bo. mem. Gregorius XIII. Kalendarium vetus omnino sustulerit

Digitized by Google

» et aboleverit, atque martyrologium novum antiquiore multo » auctius ac locupletius, edi curaverit... Sed et ad iustar eius» modi correctionis et renovationis, *patres omnium fere sacro» rum Ordinum et probatissimarum Religionum*.... Missalia et » Breviaria sua multis supervacaneis et appositiis Missis, officiis » et historiis seu Sanctorum gestis apocryphis et minus veri» similibus depravata, candori piam et sinceram religionem de» centi, restituerunt... Quorum exempla et nos non leviter et » inconsiderate sequuti, iuxta demandatam nobis a generali Capi» tulo provinciam libros Ordinis nostri antiquos revolvimus: quos » profecto nunquam credidissemus tot scatere mendis et errori» bus, nisi rem propius ipsimet inspexissemus... Quamobrem » iuxta sacros canones correximus... Et haec quidem omnia (uti » caetera nostra) sub beneplacito et censura SSmi D. N. Sixti » Papae V etc.»

Erat itaque id temporis communis opinio ut libri liturgici sub Piana Constitutione non comprehensi, iis retentis, emendari possent. Quod quidem non aliud erat quam exemplum sequi S. Pii V. ceu docet Guyet in *Heortologia, sive de festis propr. l.* 3 *c.* 1 *q.* 7, quem citavit Benedictus XIV. in opere *de Canoniz. Sanc. l.* 4 *p.* 2 *c.* 13 *n.* 5.

Sed obiici posset, nostra aetate S. Sedem aliter iudicasse: namque die 22 Augusti anno 1851 S. R. Congregatio haec scripsit ad Bellovacensem Episcopum: «In relatione status huius » Bellovacensis ecclesiae, quam Amplitudo tua transmisit ad » S. Congr. EE. PP. interpretum Concilii Tridentini, adnectuntur » quae S. R. C. respiciunt, et super quibus modo ex mandato » SS. D. N. Pii Papae IX., haec Amplitudini tuae subiiciuntur, » sicuti mentem suam aperuit in audientia huius diei subscri» pto R. P. Secretario impertita. Ac primo, quoad facta allegata, » quae respiciunt Breviarium ac Missale etsi Capitulum Cathe» dralis et Clerus certi esse valeant in possessione fuisse ac » libertate utendi illis Breviario et Missali antiquioribus ac prae» cedentibus biscentenariam ante editionem Bullae S. Pii V. uti » est in eadem legitime reservatum; in sequentibus tamen tem» poribus non una vice *variationes et additamenta* esse peracta » constat, adeo ut in praesentiarum saltem in multis differant, » etiam quoad ipsam primitivam formam, praesertim annis 1741

Digitized by Google

» et 1848 variatam, et propterea a iure cessasse: et quoniam » illorum vix memoria perseverat, consequens est, ut si velint » cum Ecclesia servare unitatem, debeant Missale ac Breviarium » Romanum assumere. Secundo etc. – Romae die 22 Augusti 1851 » – A. Lambruschini *Card. Praefect.* I. G. Fatati *Secretar.* »

Et in altera epistola missa ad Card. Archiep. Bisuntinum die 28 Augusti 1856, haec leguntur: « Eme et Rme Dñe, Dñe Osme. » ex iis omnibus, quae huic Sacrae Rituum Congregationi ab » Eminentia vestra exposita magna cum eruditione fuerunt circa » historiam et libros veteris liturgiae Bisuntinae, duo emergere » videntur exploratissima facta. Primum est dioecesim Bisunti- » nam, quo tempore S. Pius V. suas edidit de Breviario et Mis- » sali Romano Constitutiones, cum a pluribus saeculis usu frue- » rentur proprii Breviarii et Missalis, veteres hos suos libros, » iuxta exceptionem in iisdem Constitutionibus appositam, reti- » nere legitime potuisse ac revera retinuisse. Alterum esse Bi- » suntinos Antistites, post aetatem Sancti Pii V. tot induxisse, » labentibus annis, in praefatos ecclesiae suae libros additiones, » detractiones et variationes, ut fatendum sit Missale ac Brevia- » rio, quibus hodie eadem ecclesia utitur, diversissima eva- » sisse a primaevis Breviario et Missali sub Sancto Pio V. reten- » tis. Haec cum constent in facto, erui facile poterit quid con- » sequatur in iure, si revocetur in mentem regula illa, quam » Gregorius XVI. in suo ad Archiepiscopum Rhemensem Brevi, » sub die 6 Augusti 1842 enuntiavit scribens, Sanctum Pium V. » *Eos tantum ab obligatione Breviarii et Missalis Romani recipien-* » *dorum exemptos voluisse, qui a biscentum annis saltem uti con-* » *sueverunt Breviario et Missali ab illis diverso; ita videlicet, ut* » *ipsi non quidem commutare iterum atque iterum arbitrio suo* » *libros huiusmodi, sed quibus utebantur, si vellent, retinere pos-* » *sent*. Ex hac namque regula sequitur Bisuntinam ecclesiam post » multiplices, quas in suos libros liturgicos arbitrio proprio varia- » tiones induxit, ab omni privilegio excidisse, quod ipsi fuerat per » Constitutiones Sancti Pii V. quaesitum. Iure itaque inspecto, » iam videt Eminentia Vestra minime posse dioecesim Bisuntinam » ad veteres suos, quos dimisit, liturgicos libros regredi. Sed » quoniam etc. – *C. Episc. Albanen. Card.* Patrizi *S. R. C. Prae-* » *fect.* – *H. Capalti S. R. C. Secret.* – *Romae die* 28 *Augusti* 1856.»

Digitized by Google

Animadvertit Consultor, haec et similia in praesenti themate opponi non posse. Namque recolebat, notum esse quando in Galliis hae innovationes liturgicae coeptae fuerint, et quo animo factae; de quo supra meminimus: cum contra innovationes de quibus agimus tempore opportuno haud suspecto coeptae essent, idest post Pianas Constitutiones, et eo animo ut quantum fieri posset, et servaretur liturgia propria quam veneranda antiquitas induxerat, et simul emendationes fierent quas excellens Romana praescripta universim liturgia exigere videretur.

Quod quidem censeri non potest fuisse prohibitum; cum S. Pontifex in excipiendis ab universali lege veteribus libris servare non intelligeret tabescentem senectutem, sed tantum permisisse venerandam servari antiquitatem.

Quod ex eo praesertim ostendit Consultor, quod passim accesserit confirmatio Apostolica his libris liturgicis sic reformatis; quae etsi necessaria erat, tamen accessit ut rei bene susceptae riteque gestae.

Hinc provincialia Gallica concilia quae emendationes constituerunt approbationem merita fuisse, ut videre est apud Labbé *tom.* 15 *pag.* 876, 915, 1000 *et* 1062-63.

Prior etiam generalis Cartusiensis de quo superius mentionem feci obtinuit a Sixto V. Breve die 17 Martii 1587 his verbis: « Ordinis istius Cartusiensis Breviarium, quod a te Capituloque » generali nuper emendatum esse Nobis significasti, a dilectis » filiis Nostris Antonio, tituli SS. Ioannis et Pauli, Carafa et Vin» centio, tituli S. Mariae in via, Montis Regalis S. R. E. Cardi» nalibus, nuncupatis, et aliis doctis ac peritis viris, quos dele» gimus, studiose diligenterque recognoscendum curavimus. His » omnibus et singulis illius partibus ex quibus totum canonica» rum horarum officium divinum constat bene perspectis recte» que recognitis, demum Nobis retulerunt, nihil in eo videri » neque esse quod eiusdem S. Ecclesiae Catholicae Romanae » institutis, Tridentinae Synodi oecumenicae Decretis et sacris » canonibus repugnet. Quamobrem illud ita et correctum et re» cognitum, Nos Apostolica auctoritate approbamus, confirma» mus, roboramus ratum fixumque habemus... »

Et ipsum Ordinem sub regula S. Benedicti militantem pluries statim post Pianas Constitutiones libros liturgicos reformasse,

Digitized by Google

et S. Sedem eosdem adprobasse Consultor ostendebat pluribus argumentis.

Iam anno 1584 Capitulum Cassinense primo reformavit Breviarium quod editum fuit anno 1585 in fronte haec verba gerens: « Breviarium Monasticum secundum ritum Monachorum Ordinis » S. Benedicti Congregationis Cassinensis ex Decreto Capituli ge- » neralis 1584 reformatum et per SS. D. N. D. Gregorium XIII. » confirmatum - Venetiis apud Iuntas anno 1585. - Cum licentia » et privilegio eiusdem Summi Pontificis. »

Altera reformatio legitur in Decreto S. C. R. diei 21 Februarii 1604 quod ita legitur: « *Portugallien.* Monachi S. Bene- » dicti Provinciae Portugalliae praesentaverunt Breviarium refor- » matum ad usum Breviarii Romani cuius approbationem pe- » tierunt. Sacra Rituum Congregatio, audita relatione Illm̃i et » Rm̃i D. Cardinalis Baronii, cui hanc causam demandaverat, » Breviarium praedictum reformatum ad usum Breviarii Romani, » exceptis iis quae, ex praescripto regulae S. Benedicti, mona- » chi in recitatione Breviarii servare debent, approbavit. Et ut » a monachis eiusdem Ordinis S. Benedicti Congregationis refor- » matae in regno Portugalliae libere et licite recitari valeat, li- » centiam concessit. » Et eodem anno S. C. censuit idem Breviarium reformatum « recitandum esse tam a monachis quam a » monialibus eiusdem regulae et Congregationis reformatae S. Be- » nedicti in regno Portugalliae etiamsi moniales Ordinariis loci » subditae sint. »

Tertia reformatio approbata fuit die 6 Decembris 1608 per hoc Decretum: « *Breviarii Benedictini approbatio.* Breviarium hoc » Benedictinum ex Romano restitutum et ad instantiam Abbatis » S. Galli Ordinis S. Benedicti caeterorumque Abbatum eiusdem » Ordinis per Helvetiam et Svetiam in S. Rituum Congregatione » propositum et de mandato SSm̃i D. N. Papae et eiusdem S. C. » diligenter examinatum, recognitum ac subscriptum ab Illm̃o et » Rm̃o D. Cardinali Bellarmino, eadem S. R. C. approbavit, li- » centiamque concessit dicto Abbati S. Galli caeterisque Abba- » tibus Ordinis S. Benedicti eorumque Monachis per Helvetiam » et Svetiam ut eo libere et licite uti possint... ».

Denique quarta et ultima reformatio suscepta est per omnes Procuratores Generales variarum Congregationum Ordinis S. Be-

Digitized by Google

nedicti quae fuit adprobata a Paulo V. per superius allegatum Breve *Ex iniuncto Nobis* diei 1 Octobris 1612.

Cum itaque ita res se habuerit post Constitutiones Pianas, concludebat Consultor, non posse reprehendi Cistercienses ob reformationem Breviarii, quae facta fuit prae oculis habito Breviario Romano S. Pii V. sed eos reprehensione fuisse dignos quod in usum illud deduxerunt priusquam Apostolicae Sedis approbationem obtinuissent: eam tamen culpam, quam certe non impune tulerunt, variis de causis Consultor excusavit.

Post haec Consultor gradum fecit ad expendendam quaestionem, an hactenus iure Cistercienses fere omnes usi essent Breviario Vaussiniano.

Operae pretium esse existimavit Consultor historiam reformationis Ordinis Cisterciensis texere, quae locum habuit saeculo XVII. mediante, ad quam Ordinis reformationem pertinuit etiam praesens quaestio. Enarrata autem ab eo historia ad haec summa capita reducitur.

Ordo Cisterciensis e suo primoevo splendore aliquantulum declinaverat saeculo XIII. labente, quae quidem declinatio maxima evasit ineunte saeculo XV. Quare non defuerunt monachi qui optarent Ordinis reformationem. S. Sedes haec desideria, quae erant iuxta suum propositum, ultro obsecundavit. Hinc pedetentim in variis Europae partibus constitutae sunt Congregationes diversae reformatae eiusdem Ordinis.

Duae tamen prae caeteris merito appellari possunt reformationes, quarum una est *observantiae regularis Hispaniarum* quaeque nuncupata quoque est *Castellae,* cuius auctor fuit Martinus de Vargas anno 1425; et altera *Fulliensium* orta in Galliis circa annum 1577 opera Ioannis de la Barrière. Prima reformatio non multum sese protendit; altera vero multo amplior evasit, ita ut non solum per Gallias propagata maxime sit, sed in Italiam quoque descendit, atque ab Abbatum Cistercii iurisdictione subtracta, subiecta fuit immediate Sedi Apostolicae a Clemente VIII. usque ab anno 1592.

Immo hic idem Fulliensium Ordo ab Urbano VIII. anno 1630 divisus est in varias Congregationes inter se independentes, quarum prima sub nomine *Congregationis B. Mariae Fulliensium* in Gallia; altera vero nuncupata *Reformatorum S. Bernardi* in Italia.

Digitized by Google

Attamen maxima pars Ordinis Cisterciensis ineunte saeculo XVII. indigebat salutari reformatione: eo vel magis quod ipsae reformatae Congregationes e suo primitivo fervore decidisse viderentur.

Tunc Abbas Claraevallis Dionisius Largentier concepit amplam plenamque reformationem quae suos monachos ad primaevam vitae rationem conduceret. Eam primum induxit in suum monasterium. Cum autem eius monasterium esset ex primis quatuor praecipuis Ordinis Cisterciensis ex quibus plura alia monasteria duxerant originem, ea reformatio brevi tempore locum habuit in aliis octo filialibus monasteriis.

Abbas qui id temporis Cistercii praeerat nomine Boucherat hanc reformationem admisit usque ad Capitulum Generale; at vero tum Capitulum habitum anno 1618, tum alterum 1623, quae coaluerunt ex Abbatibus observantiae communis non admodum visa sunt disposita ad promovendam reformationem: quin imo ad eam extinguendam egerunt.

Hinc orta est quaedam animorum contentio atque illi qui reformati dicebantur victoriam retulerunt. Gregorius XV. et eius successor Urbanus VIII. interveniente petitione Ludovici XIII. Galliarum Regis, deputarunt Cardinalem de la Rochefoucauld tamquam Commissarium Apostolicum pro Cisterciensium Galliae reformatione; qui pro eius commissi muneris ratione die 27 Iulii 1634 quaedam disposuit, quae reformationem plenissime et plus fortasse quam par esset urgebant; de qua re consuli potest Gaillardin in recenti opere *les Trappistes ou l'Ordre de Citeux au XIX. siècle, Paris tom. 1 chap. 3 p. 55.*

Cistercienses communis observantiae ut hanc declinarent reformationem preces converterunt ad Cardinalem de Richelieu primum ministrum Ludovici XIII. eidemque supplicarunt ut ipse aggredi vellet eorum reformationem declarantes se maluisse: *être fouttés de Son Eminence, que caressés du Cardinal de la Rochefoucauld;* atque eumdem Cardinalem elegerunt in Abbatem Cistercii seu Generalem universi Ordinis. At vero, ceu narrat laudatus historicus Gaillardin *loc. cit. pag.* 57, idem Cardinalis sic Ordini praesidens secutus est apprime quae Commissarius Apostolicus ordinaverat.

Verum, mortuo Cardinali de Richelieu, Cistercienses com-

Digitized by Google

munis observantiae post plures gravesque vicissitudines eligere potuerunt in Abbatem Generalem Claudium Vaussin et Cistercienses reformati e converso in Generalem Abbatem elegerunt Ioannem Iovaudo, et licet hi protestarent contra electionem illius, tamen Innocentius X. eamdem Claudii Vaussin electionem, confirmavit. Hic theologicae facultatis Parisiensis Doctor (1), primus Consiliarius natus in *Parlamento* Burgundiae, fuerat monachus in monasterio Claraevallis sub dicto Abbate Dionisio Largentier primo reformatore. Atque experientia cognoscens paucos in praesenti vitae conditione esse virtutum christianarum heroes reformationem Ordinis Cisterciensis intellexit quidem faciendam esse, sed eam ita temperandam, ut facile omnibus convenire aptarique posset.

Atque ante omnia recuperare curavit quaedam praecipua iura: quae quidem obtinuit ab Innocentio X. per Breve *Salvatoris* diei 1 Februarii 1649 et iterum die 16 Iunii 1653.

Gravissimae inde ortae vel prosecutae sunt contentiones inter Cistercienses strictae observantiae et communis observantiae in Gallia, praesertim super esu carnium, ita ut Alexander VII. controversiae finem imponeret die 10 Novembris 1657 per Breve *In supremi:* postquam enim commemorasset Sixti V. et Alexan-

(1) Heic non erit inopportunum haec animadvertere, quamvis a praesenti causa sint extranea. Doctoris titulus, quem Patres Tridentini magno pretio habuerunt, ita ut gradus Doctoris in scientiis ecclesiasticis acquisitus secum ferret quaedam eximia ecclesiastica iura, ut nominatim vidimus in causa relata pag. 445 de Vicariorum Capitularium electione, pedetentim, maxime nostra aetate, vim suam amisit. Et dum prius hic titulus tantam haberet realem significationem, hodie tamen nullo fere in pretio habetur: eumdemque Doctoris gradum facile omnes qui velint consequuntur. Hoc factum duas praecipuas significationes habere potest, idest, vel studia scientiarum adeo profecerunt ut singuli ingenio et labore ad eum Doctoris gradum praesenti aetate pertingant, ad quem non multi tempore Concilii Tridentini pertingebant: vel e converso scientiarum studia adeo depressa neglectaque sunt, ut omnibus qui velint facile sit in iisdem scientiis ea specimina dare, quibus Doctoris titulum mereantur.

Cum secunda haec significatio in plerisque saltem locis vera sit, consequitur non posse rite aptari eas iuris regulas, quae tempore Tridentini Concilii constitutae de Doctoribus sunt. Et haec mihi videtur causa, cur S. Congregatio Concilii in applicatione Tridentini Decreti de electione Vicarii Capitularis, dum in antiquioribus Resolutionibus firmiter inhaesit dictae dispositioni, decursu temporis aliquid eiusdem firmitatis in praeferenda Doctoris qualitate in Vicario Capitulari remisisse visa est.

Digitized by Google

dri VI. Constitutiones quae iam declaraverant, abstinentiam ab esu carnium *non esse de substantialibus Regulae,* ac simul conquestus esset de importunis querelis super hac re, quae *conscientias turbent, indeque dissensiones, contentiones et lites non sine maximo religionis dispendio, consequantur* declaravit: *Monachis Cisterciensibus tuta conscientia licuisse et licere uti dispensatione praenarrata super esu carnium per Capitulum Generale Ordinis huiusmodi, Apostolica auctoritate concessa ac diuturna consuetudine comprobata.*

Nec satis; die 8 Martii 1660 idem Pontifex per litteras in forma Brevis haec referens: « *Nonnulli religiosi eiusdem Ordinis* (Cisterciensis) *in Gallia, dicti abstinentes seu strictioris observantiae sub praetextu introducendi in monasteria abstinentiam a carnibus quorum usus certis diebus a Sede Apostolica concessus est, certos ineunt contractus, transactiones et concordata cum antiquis Ordinis huiusmodi religiosis, quibus certas pensiones in pecuniis et fructibus promittunt et distribuunt, eosque a maiori et praecipuo onere chori aliisque observantiis ad quas ex professione tenentur, liberantes, evidenti relaxationis et perditionis periculo exponunt, dummodo eis solis, privative quoad alios, monasteriorum administrationem et regimen, tam in spiritualibus quam in temporalibus liberamque officialium et superiorum electionem, tam quoad vocem activam quam passivam, cedant:* declaravit: *Contractus, transactiones et concordata, de quibus supra agitur, fuisse et esse illicita ideoque huc usque inita, et nulla et invalida fuisse.* »

Imo et in aliis literis die 2 Iulii 1661 idem Pontifex cum cognovisset quosdam strictioris observantiae monachos utentes quibusdam sententiis Cardinalis iam demortui de la Rochefoucauld, qui secundum mandata Apostolica non undequaque egerat, praetendisse eos, qui ab esu carnium non abstinerent, privatos esse voce activa et passiva, districte prohibuit, ne a libertate vocis activae et passivae in electionibus Abbatis Cistercii Generalis aliorumque, Cistercienses communis observantiae perturbarentur.

Hisce in perturbationibus ac dissensionibus, cum Abbas Vaussin cognosceret aequam Ordinis reformationem aggredi se non posse sine Sedis Apostolicae auxilio, petiit et obtinuit ab Alexandro VII. eam reformationem: quare idem Pontifex avo-

Digitized by Google

cans sibi causam, specialem S. Congregationem Romae deputavit, atque voluit, ut reformationis articuli proponerentur ab eodem Abbate Vaussin coram ea Congregatione uti patet ex sequentibus Apostolicis Litteris datis die 16 Ianuarii 1662 huius tenoris: « *Cum autem dilectus filius Claudius Vaussin Abbas Cistercii et totius Ordinis Cisterciensis praefati Generalis ad nos supplex accesserit pro canonice promovenda Ordinis sui per diversa mundi regna diffusi reformatione, salva eiusdem Ordinis unione et integra subordinatione; Nos eiusdem Claudii Abbatis Generalis zelum, solicitudinem et laborem plurimum in Domino laudantes, eumque specialis favoris gratia prosequi volentes... supplicationibus eius nomine super hoc humiliter porrectis, inclinati, de voto particularis Congregationis ad examinandum, informandum, et referendum a Nobis deputatae, quae scripturas hinc inde datas vidit et examinavit, causam istius reformationis in statu et terminis in quibus ad praesens reperitur... a quocumque tribunali ad Nos denuo, Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, avocamus.*

» *Praeterea mandamus dicto Claudio Abbati Generali, ut advocet seu moneat viros idoneos Ordinis sui, tam ex Gallia quam aliunde ad exhibendum infra tres menses dictae Congregationi particulari deputatae articulos concernentes dictam reformationem a Nobis instituendam.* »

Cum eiusmodi litterae Apostolicae prodierunt iam S. Rituum Congregatio praecipua Decreta emiserat, quae superius retulimus, atque Consultor eorum Decretorum motiva inquisivit, quaeque reposuit in magnis emulationibus quae tunc fervebant inter Cistercienses iam reformatos Italiae, et illos communis observantiae in Gallia. Primi siquidem non se facile accommodassent Breviario Vaussiniano, quemadmodum alii e converso non sese accomodassent Breviario, quod iam et ipsi reformaverunt: quare S. Congregatio Rituum ad aemulationes avertendas, dum prius examen praescripsisset Breviarii Vaussiniani, deinde in eam venit sententiam, ut Breviarium Pauli V. ab omnibus reciperetur: eo vel magis quod iam quodammodo praeformatam reperisset viam per Decretum diei 24 Ianuarii 1615. Namque ut ex eo Decreto eruitur, requisita S. Congregatio, utrum illi qui in praeteritum usi essent Romano Breviario vel alio possent uti Breviario reformato sub Paulo V. respondit: *posse et debere.*

Digitized by Google

Nihilominus cum penes Cistercienses communis observantiae suspensum adhuc maneret Breviarium monasticum Benedictinum Pauli V. et contra, cum Decreta S. C. R. illud praescripserit sub poena non satisfactionis praecepto, explicandum supererat, quomodo id contingere potuisset. Ex una parte absonum esset cogitare tot monachorum Cistercensium millia sprevisse ea Decreta; ex altera vero parte Praesules Cistercienses cum suspensionem postulaverint usque ad Capitulum Generale SSmus *abnuit*.

Consultor consideratis adiunctis in quibus Abbas Vaussin reperiretur, et in quanta existimatione esset penes RR. Pontifices, ut satis constat ex Literis Apostolicis nuper expositis, supponendam esse inquit facultatem eidem ore factam a Clemente VII. quippe cum iam ageretur de plena Ordinis reformatione facienda in qua pertractari deberent quoque quaestiones liturgicae.

His itaque animadversis, Consultor historiae enarrationem sic prosecutus est.

Etsi Abbas Vaussin iam erat Romae huius magni negotii ratione, supervenerunt quoque duo Abbates qui strictam observantiam in Gallia profitebantur quarum unus Abbas de Val-Richer alter Abbas de Rancé celebris reformator Trappensis, hi omnes exhibuerunt suos reformationis articulos.

At vero causa examinata et discussa articuli reformationis propositae a Vaussin meriti sunt adprobationem: proindeque literae Apostolicae editae fuerunt quae incipiunt *In suprema* diei 19 Aprilis 1666; ac inter caetera haec Summus Pontifex ait: *Nos huiusmodi articulos utrinque exhibitos Congregationi nonnullorum Vener. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ac dilectorum filiorum Rom. Curiae Praelatorum, a Nobis desuper insuper institutae sedulo ac mature examinandos et exponendos commisimus, quorum quidem articulorum ad generalem reformationem Ordinis Cisterciensis conveniens restrictio et ad capita s. Benedicti regulae reductio talis est videlicet:*

« Circa caput II. regulae: qualis debeat esse Abbas.

2. *Iuxta Sacri Concilii Tridentini etc.*

Circa caput III. de adhibendis in consilium fratribus.

9. *Capitula generalia quolibet triennio etc.*

Digitized by Google

» Circa caput VI. de taciturnitate.

» 16. *Laudabilem morem servandi silentium etc.*

» Circa caput VIII. usque ad XX inclusive de forma divini of-
» ficii et modo psallendi.

» 17. *Forma ista exactissime observetur et materia ab Ecclesiae romanae usu ad Dei gloriam et proximi aedificationem sumatur prout hactenus consuevit ecclesia Cisterciensis, cui tamquam matri omnes aliae ecclesiae dicti Ordinis ex Charta Charitatis Eugenii III. et Pii V. definitionibus et praeceptis conformari tenentur ut autem haec uniformitas in divino officio persolvendo teneatur, in omnibus Ordinis monasteriis iisdem ritibus et cantu et libris ad diurnas et nocturnas horas et Missas necessariis, secundum praedictam formam Cisterciensis monasterii, omnes utantur.*

» 18. *Horis canonicis, officio B. Virginis et Defunctorum, iuxta usus et consuetudines laudabiles huius Ordinis in choro recitandis et decantandis omnes et singuli cum cucullis intersint et horas canonicas cum cantu Gregoriano iuxta regulam persolvant.* »

Denique has celebres literas idem Pontifex clausit his verbis: « *Cum vero in Congregatione Cardinalium... praeinserti reformationis articuli diligenter discussi et, examinati, et qua parte opus fuit, emendati et aptati fuerint: Nos de omnibus plene instructi et informati comperimus etc... Quo circa motu proprio et ex certa scientia... tenore praesentium eosdem suprascriptos articulos reformationis in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus... atque in universo Ordine Cisterciensi tam in regno Galliae quam in aliis regnis et provinciis ab omnibus tam communis quam strictae observantiae religiosis firmiter et inviolate servari praecipimus et mandamus sub poenis in regula contentis.* »

His adductis animadvertit Consultor tum articulum *Forma ista* tum alterum *Horis canonicis* esse quamdam reproductionem celebris documenti fundamantalis Ordinis, quod *Charta charitatis* appellatum est de quo supra in quo consisteret retulimus: quod quidem documentum approbatum fuerat a Callixto II. in Constit. *Ad hoc* diei 23 Decembris 1119 et iterum ab Eugenio III; qui fuerat Monachus Cisterciensis, in Constitutione *Sacrosancta* diei 1 Augusti 1152 in qua inter caetera legitur: « *Et ut in omnibus monasteriis de Ordine vestro, sicut in Cisterciensi ecclesia, Beati Benedicti regula perpetuis temporibus observetur ... easdem peni-*

Digitized by Google

tus observantias, eumdem cantum et eosdem libros, qui ad officium ecclesiasticum pertinent, per universas ecclesias vestri Ordinis teneatis. » Quod denique confirmavit S. Pius V. in Const. *Ex innumeris,* diei 8 Martii 1570.

Quare, prosequebatur Consultor, si in duobus dictis articulis de liturgia servanda agatur eaque sit iuxta regulam S. Benedicti et quidem *prout hactenus consuevit ecclesia Cisterciensis;* si praescribatur uniformitas librorum liturgicorum *secundum formam Cisterciensis monasterii;* si de horis canonicis deque officio B. V. Mariae agatur, si statuta ex *Charta charitatis* sint observanda in qua libri liturgici esse deberent iuxta *formam monasterii Cisterciensis:* si e converso *Forma ista* et *Horae canonicae* reformatae essent a Vaussin eaeque S. Congregationi exhibitae quarum usus in omnibus monasteriis ab eo dependentibus iam fuerat praescriptus; si denique Cistercienses omnes sive reformati sive non riformati, exceptis dumtaxat paucissimis monasteriis, illud Breviarium Vaussinianum servarent, patere, inquit confirmatos fuisse quidem veteres libros liturgicos Cistercienses sed a Vaussin correctos et reformatos.

Alexander VII. iuxta ea quae superius innuimus iniunxit, ut proximo Maio 1667 cogeretur generale Capitulum ad solemnem promulgationem dictae Constitutionis *In suprema* et in quo (ait Pontifex) *diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis et observantia regulari, deque ampliori modo exequendi et ad praxim deducendi praeinsertos reformationis articulos.* Coactum itaque fuit florentissimum Capitulum quod flexis genibus suscepit Apostolicam dispositionem, atque ad singulos articulos applicandos devenit; et quoad Breviarium haec constituit: « Ut in divino of-
» ficio persolvendo in omnibus Ordinis monasteriis hoc vinculum
» uniformitatis teneatur, Capitulum generale statuit atque decrevit
» nullam de caetero *in novo Breviario* faciendam esse mutationem
» sed ipsius ordinationi standum esse ex integro, ab omnibus
» Ordinis professoribus. » Haec autem statuta *in forma specifica* approbata et confirmata fuerunt a Clemente IX. post novum examen penes eamdem Congregationem, quae articulos reformationis expenderat, datis literis Apostolicis *Ecclesiae catholicae,* diei 26 Ianuarii 1669, in quibus, ipsis articulis generalis Capituli insertis, Pontifex edixit *confirmamus et approbamus illisque in-*

Digitized by Google

violabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

His autem adductis manifestum esse animadvertit Consultor heic non agi quidem de Breviario monastico Benedictino a Paulo V. reformato, sed de novo Breviario Vaussiniano; quodque insuper arguit ex eo quod expositus articulus concinnatus fuerat a Capitulo generali Cisterciensium, cui praesedit Abbas Vaussin, qui iam utebantur eodem Breviario reformato: et ex eo quod in eo articulo statutum erat, *nullam de caetero in novo Breviario faciendam esse mutationem,* quo adsignificatum est factas de eo antea fuisse mutationes, quas quidem mutationes Breviario Pauli V. numquam Cistercienses fecerant.

Deinde Consultor devenit ad confutandas obiectiones, quarum maiores erant illae depromptae ex nonnullis Decretis posterioribus S. C. R. quorum unum vel alterum prima fronte videri posset opponi. Sed eas obiectiones facile diluit, considerans praesertim monasteria ad quae referebantur, quae non amplius a Cisterciensi Abbate dependebant et iam servabant Breviarium Pauli V.

Post haec gradum fecit ad instituendam comparationem inter Breviarium vetus Cisterciense et novum Breviarium a Vaussin reformatum; atque singula propemodum persequens ostendere curavit, Breviarium Vaussinianum esse magis Benedictinum, quam illud referomatum sub Paulo V. et adeo expurgatum, ut simul ad Breviarium Romanum accederet: quod de et Missali Cisterciensi ostendit.

Denique Consultor alteram oppositam difficultatem expendere est aggressus, quae petebatur ex eo quod deficerent in dicto Breviario multa officia quae universae Ecclesiae praescripta essent, et insuper reperirentur plures festivitates ritu illo inferior celebratae, quem ex praescripto universa tenet Ecclesia.

Quam difficultatem facile diluit considerans vetustissimam consuetudinem Cisterciensium, secundum quam non inserunt Breviario nisi ea officia quae Capitulum generale, aut S. Sedes speciali ratione in suis Decretis celebranda esse iubeat.

Hanc autem consuetudinem inquit fuisse rationabilem et legitime praescriptam: quos legitimae consuetudinis characteres in ea esse arguit ex notissimo facto, quod plures alii Ordines qui

Digitized by Google

ritum habent a Romano diversum eodem consuetudinario iure fruuntur; quas quidem consuetudines apprime notas, S. Sedes nunquam reprobaverit, imo saepe sive directe sive indirecte approbaverit, ita ut quoties velit, ut etiam illi qui alium a Romano sequuntur ritum et eo consuetudinario iure fruantur, suscipiant Decretum aliquod universale, id expresse caveat, ut recens exemplum videre est in Literis Apostolicis diei 25 Septembris 1835 pro officio Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae.

His aliisque prolixe deductis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An apud Monachos Ordinis Cisterciensis tam communis » quam strictioris Observantiae legitimus sit usus Breviarii ac » Missalis proprii eiusdem Ordinis, quae a Claudio Vaussin, Ab- » bate Generali, medio circiter saeculo XVII. reformata fuere.»

II. » Et quatenus affirmative: quid statuendum quoad quam- » plura Festa seu officia recentiora Ecclesiae Universalis, quae » in praefatis libris vel omnino desiderantur, vel inferiori ritu » notata reperiuntur.

Resolutio. — S. Congregatio SS. Rituum in comitiis habitis die 5 Decembris 1868 referente Emo Cardinali Capalti, causa discussa, respondere censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Dilata, et Kalendarium examinetur ab Emo Cardinali Ponente una cum Promotore Fidei, et altero ex Consultoribus ad effectum referendi in S. Congregatione.*

Ex quibus colliges :

I. In providissima reformatione Breviarii Romani a S. Pio V. confecta atque universim praescripta, etsi excepti sunt qui proprio Breviario rituque uterentur ducentis ante annis: tamen ad exemplum R. Pontificis plerosque Breviarium proprium exceptum iuxta Romanum saltem expurgasse (1).

(1) Mos in Ecclesia legendi universim in fidelium conventibus libros S. Scripturae item psallendi legendique SS. Patrum epistolas et Homilias originem duxit ab ipsis Ecclesiae incunabulis prout vetera monumenta testantur. Sed neque materia peculiari ratione praescrita erat nec forma. Ad ecclesiam Romanam quod attinet vetustissimum omnium ut videtur editum documentum, quod ordinem sa-

Digitized by Google

II. Eiusmodi reformationes peculiares non modo non fuisse prohibitas; sed, accedente revisione et confirmatione S. Sedis, laudabili commendatione dignas fuisse existimatas.

III. Cum his reformationibus confundi non posse reformationes posteriores ex arbitrio factas, quae nulla interveniente S. Sedis revisione, antiquiora Breviaria ita immutarunt, ut neque venerandam praeferrent antiquitatem ob quam permissa manserant neque romanam universalem liturgiam.

crarum lectionum describit, illud est, quod inter fragmenta epistolarum S. Leonis Magni refertur, etsi Eruditi huic Pontifici non adscribant. Hoc documentum legitur in Cod. Palat., uti referunt Editores Taurinenses in *Appendice ad Bullar. Rom. tom. I. pag. 497*, his verbis usque ad voces *tractatus vero:*

« *Legitur autem omnis scriptura divina sancti Canonis ab initio anni usque ad finem in ecclesia S. Petri hoc ordine. Tempore veris, hoc est XII. diebus ante initium Quadragesimae usque ad octavam diem ante Pascha liber Isaiae prophetae, unde ad passionem Christi cum venit, et lamentationes Hieremiae. Diebus autem Paschae epistolae Apostolorum atque Apocalypsis usque ad Pentecostem. In tempore autem aestatis Regum et Paralipomenon usque ad medium autumni, hoc est XV. Kal. Novembris: deinde liber Salomonis et Mulierum atque Machabeorum et liber Tobiae usque ad Kal. Decembris. Ante autem Natalem Domini Nostri Iesu Christi, Isaiae, Hieremiae et Daniael usque ad Epiphaniam. Postea quidem Ezechiel et prophetae minores atque Iob usque Idus Februarias. Psalmi omni tempore. Evangelium et Apostolus similiter. Tractatus vero sancti Hieronymi, Ambrosii et caeterorum SS. Patrum prout ordo poscit leguntur* « Plures Codices, uti adnotant iidem Editores, habent: » *Tractatus autem S. Hieronymi, Ambrosii* (mss. Herovall. addit *et Augustini*) *et caeterorum SS. Patrum, expositionesque veteris et novi Testamenti quae a nominatissimis doctorum orthodoxorum Patribus factae sunt, prout ordo poscet, in Ecclesia legantur.* »

Formam vero divini officii, ad substantiam quod attinet, a monachis potissimum haereditavimus. Sed et apud ipsos monachos nec erat forma invariabilis; et caeteris omissis in re satis comperta, satis sit id quod legitur inter prescriptiones S. Benedicti de psalmodia cap. 15:

» *Hoc praecipue commonentes, ut, si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicaverit, dum omnimodis inde attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur.* »

Invalescente itaque in Ecclesia methodo psallendi laudesque Deo persolvendi iuxta monachorum formam et methodum, mirum esse non debet si in eiusmodi ecclesiasticis libris pro variis ecclesiis diversis et pedetentim auctis vel imminutis aut immutatis plura reperirentur documenta et historiolae aut confictae aut corruptae aut apocriphae, quemadmodum et reperiuntur hymni precesque ita concinnatae ut referant indolem temporum, monachorum aliorumque, qui eas composuerunt et interseruerunt. Unde apparet quam provida fuerit Breviarii Romani reformatio atque simul praescriptio universalis, qua omnes ecclesiae latinae sine variatione illud suscipere tenerentur.

Digitized by Google

IV. Quare quemadmodum primae reformationes commendandae erant, ita secundas fuisse reprobandas; atque adeo ut si primaevae antiquitatis faciem ad quam conservandam ea Breviaria excepta fuerant, deperdidissent, neque amplius sub privilegio comprehensa censeri possint.

V. Imo eiusmodi reformationes semel factas ac exsecutioni mandatas adeo censeri Reformatoribus ecclesiisque obnoxias, ut eo ipso, si nihil peculiare obstet, ius quoque amittant regrediendi ad pristinam a se derelictam liturgiam.

VI. Illustrem Benedictinum Ordinem suum vetustum Breviarium reformasse, illudque Paulum V commendasse Ordini universo, eaque hortatione uti potuisse etiam Cisterciensem Ordinem.

VII. Imo dubitationibus atque discrepantiis exortis, hortationem illam transiisse demum in verum graveque praeceptum.

VIII. Proposita interea universali Cisterciensis Ordinis reformatione, Breviarium illud monasticum Benedictinum ex facto suspensum penes Cistercienses mansisse.

IX. Decreta ac sancita ab Alexandro VII. Ordinis Cisterciensium reformatione, confirmatam quoque fuisse formam liturgicam, quam ab antiquo secuti fuerant, adsignificata tamen aliquatenus facultate, eosdem liturgicos libros iuxta liturgicam Romanam materiam moderandi (1).

X. Eam moderationem a Capitulo Generali Cisterciensi fuisse receptam, quae iam in Breviario Vaussiniano extabat, eamdemque Breviarii receptionem a Clemente IX. in specifica forma fuisse confirmatam.

XI. Quare omnes dubitationes praesenti aetate circa hanc rem subortas originem habuisse ex defectu historicae cognitionis nec non ex Decretis S. C. R. non bene intellectis.

XII. Colliges demum eiusmodi quaestiones, extante *longaeva amplissima et uniformi* consuetudine, temerarias videri.

(1) In literis Apostolicis Alexandri VII. *art. 17* sub verbis *forma ista* etc. nec Breviarium Pauli V. nec Breviarium Vaussinianum videtur comprehensum fuisse: aperte enim ibi praescribitur observatio formae liturgicae Cisterciensis, adsignificata facultate eam moderandi quoad materiam quae sumenda praescribitur ab usu Romanae Ecclesiae, prouti reapse postea factum est, per ipsam legitimam receptionem Breviarii Vaussiniani.

Digitized by Google

Die 5 Martii 1868.

Decretum « Magister Generalis Ordinis Praedicatorum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. haec quae sequuntur exposuit.

» Ex pluries decisis a Sacra Rituum Congregatione, signanter in *Neapolit.* die 15 Decembris 1691 (n° 3259) et in *Tuden.* Die 23 Maii 1846 (n° 5050), Sacerdotes regulares qui vocantur ad Missam extra conventum suum celebrandam sive pro populo alicuius parochiae in diebus festis de praecepto, sive pro adimplendis oneribus alicuius ecclesiae, possunt, relicto proprio kalendario, sacra peragere mysteria iuxta formam et ritum ecclesiae in qua celebrant. Quibus decisionibus omnino consonat nuperrimum sacrae eiusdem Congregationis responsum ad moderatorem kalendarii pro provincia Occitana Ordinis Praedicatorum in Gallia, sub die 13 Aprilis 1867.

» His non obstantibus, non infrequenter nihilominus adhuc contingit, ut Ordinis nostri alumni, qui propter peculiare Ordinis institutum ad sacrum ministerium in variis regionibus exercendum vocati, diutius aliquando (v. g. quadragesimalis praedicationis causa), extra conventum commorantur, semel atque iterum ab offerendis divinis mysteriis impediantur, quum illa peragere non valeant, neque iuxta kalendarium Ordinis, occurrente, v. g. officio alicuius Beati, cuius cultus nonnisi pro Ecclesiis nostris approbatur, in *Tudensi* 7 Septembris 1816 (n° 4526 ad 17), nec iuxta kalendarium loci in quo versantur, quum in eo pariter signetur officium solis presbyteris huius loci servitio addictis specialiter concessum, Decret. gen. 27 sept. 1659 (n° 2002 ad 6), in *Venet.* 11 Iunii 1701 (n° 3588 ad 3), et Missa non sit ex aliqua loci necessitate celebranda.

» Quapropter orator praefatus summopere cupiens ut ab omnibus religiosis suae curae commissis rubricae, variaque S. R. C. Decreta perfecte serventur, quin tamen iteratis vicibus Sacerdotes ab oblatione sacrificii altaris impediantur, humilibus enixisque precibus ab eodem Sanctissimo Domino Nostro postulavit, ut quotiescumque dicti Ordinis alumni iusta qualibet de causa

Digitized by Google

(itineris, praedicationis, alteriusve ministerii) extra conventum degentes, sacrificium Missae iuxta kalendarium Ordinis, propter motiva superius recensita, aliave similia, celebrare non possunt, facultate gaudeant sese conformandi kalendario loci in quo versantur, quocumque festo ibidem occurrente, etiam recitando Missas proprias solis presbyteris huius ecclesiae servitio addictis indultas; eo prorsus modo, quo ex concessione a S. R. C. die 28 Februarii anni 1856 emanata, possunt omnes Sacerdotes tam saeculares quam regulares ad ecclesias Ordinis Praedicatorum confluentes, sese conformare dicti Ordinis kalendario, etiam recitando Missas Beatorum aliasve particulariter indultas.

» Sanctitas porro sua, ad relationem subscripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii, audita etiam sententia alterius ex Apostolicarum caeremoniarum magistris (1) benigne in omnibus iuxta preces annuere dignata est.

» Contrariis non obstantibus quibuscumque »

Die 5 Martii 1868.

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini Secretarius.

(1) Caeremoniarum Magister censebat concedi posse ex gratia facultatem Fratribus Ordinis Praedicatorum se conformandi iuxta Kalendarium in qua eos celebrare contigat eodem prorsus modo, quo pro ecclesiis Ordinis Praedicatorum die 28 Februarii 1856 tributum fuit indultum Sacerdotibus saecularibus ad has ecclesias celebraturis se conformandi Kalendario Ordinis etiam in festis Beatorum.

Adnotavit autem, Decreta S. R. C. quae respiciunt Missas de Beatis, et praesertim illud in *Tuden.* 7 Sept. 1816 ad 17 non excludere alia Decreta permittentia, ut Sacerdos regularis in aliena ecclesia ex causa legitima celebrans possit se conformare huic ecclesiae, imo id confirmare, praescribendo apertis verbis ut omisso Officio de Beato dicatur Missa assignata in Kalendario ecclesiae in qua est celebrandum. Quoad alterum Decretum, quo statuitur, ut Sacerdos extraneus a Missae celebratione potius se abstineat, quam legat Missam de Beato, non posse applicari in praesenti themate, cum respiciat casum ex devotione Sacerdotis ad ecclesiam pro celebratione accedentis sine ulla necessitate sive ex causa itineris sive ex muneris ratione. Cum itaque allegata superius Decreta petitioni potius suffragari quam refragari viderentur, nihil obstare censebat, quominus S. C. petitis annuere posset.

Digitized by Google

EX SECRETARIA BREVIUM.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS

CONCEDITUR OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS
INDULGENTIA PLENARIA IN FORMA IUBILAEI
OCCASIONE OECUMENICI CONCILII.

OMNIBUS CHRISTI FIDELIBUS PRAESENTES LITERAS INSPECTURIS

PIUS PP. IX.

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Nemo certe ignorat, oecumenicum Concilium a Nobis fuisse indictum in Basilica Nostra Vaticana die 8 futuri mensis Decembris Immaculatae, Sanctissimaeque Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro inchoandum. Itaque hoc potissimum tempore nunquam desistimus in humilitate cordis Nostri ferventissimis precibus orare et obsecrare clementissimum luminum et misericordiarum Patrem, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit (1), ut mittat de caelis sedium suarum assistricem sapientiam, quae Nobiscum sit, et Nobiscum laboret, et sciamus quid acceptum sit apud eum (2). Et quo facilius Deus Nostris annuat votis, et inclinet aures suas ad preces nostras, omnium Christifidelium religionem ac pietatem excitare decrevimus, ut, coniunctis nobiscum precibus, Omnipotentis dexterae auxilium et caeleste lumen imploremus, quo in hoc Concilio ea

(1) S. Iac. c. 1 v. 17.

(2) Sapient. cap. 9 v. 4, 10.

omnia statuere valeamus, quae ad communem totius populi christiani salutem utilitatemque, ac maiorem catholicae Ecclesiae gloriam et felicitatem, ac pacem maxime pertinent. Et quoniam compertum est, gratiores Deo esse hominum preces si mundo corde, hoc est animis ab omni scelere integris ad ipsum accedant, iccirco hac occasione caelestes indulgentiarum thesauros dispensationi nostrae commissos Apostolica liberalitate Christifidelibus reserare constituimus, ut inde ad veram poenitentiam incensi et per poenitentiae sacramentum a peccatorum maculis expiati, ad thronum Dei fidentius accedant, eiusque misericordiam consequantur, et gratiam in auxilio opportuno.

» Hoc Nos consilio indulgentiam ad instar Iubilaei catholico Orbi denunciamus. Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi ex illa ligandi, ac solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis ac singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui a die primo futuri mensis Iunii usque ad diem, quo oecumenica Synodus a Nobis indicta fuerit absoluta, S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris Basilicas, vel earum aliquam bis visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro omnium misere errantium conversione, pro sanctissimae fidei propagatione, et pro catholicae Ecclesiae pace, tranquillitate, ac triumpho devote oraverint, et praeter consueta quatuor anni tempora tribus diebus, etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria, et Sabbato ieiunaverint, et intra commemoratum temporis spatium peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter susceperint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique devotio suggeret, erogaverint, ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de illorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad illorum notitiam hae Nostrae Litterae pervenerint, designandas, vel earum aliquam praefiniti temporis spatio bis visitaverint, aliaque recensita opera devote peregerint, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam, sicut in anno Iubilaei visitantibus certas Ecclesias intra et extra Ur-

bem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus atque indulgemus, quae indulgentia animabus etiam, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari poterit.

» Concedimus etiam, ut navigantes, atque iter agentes quum primum ad sua se domicilia receperint, operibus suprascriptis peractis, et bis visitata Ecclesia cathedrali, vel maiori, vel propria parochiali loci ipsorum domicilii eamdem indulgentiam consequi possint, et valeant. Regularibus vero personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam saecularibus, vel regularibus, itemque in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu approbatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere possint cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, pariter concedimus atque indulgemus.

» Insuper omnibus et singulis Christifidelibus saecularibus et regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam saecularem, quam regularem ex actu approbatis a locorum Ordinariis (qua facultate uti possint etiam moniales, novitiae, aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus), qui eos ab excommunicationis, suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris a iure vel ab homine quavis de causa latis vel inflictis praeter infra exceptas, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intelligeretur concessa, in foro conscientiae, et hac vice tantum absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque etiam iurata, et Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis et obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de

Digitized by Google

praeiudicio tertii semper exceptis, quatenus ea vota sint perfecta et absoluta, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera dispensando commutare, iniuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus poenitentia salutari, aliisque eiusdem Confessarii arbitrio iniungendis.

» Concedimus insuper facultatem dispensandi super irregularitate ex violatione censurarum contracta, quatenus ad forum externum non sit deducta, vel de facili deducenda. Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu, vel publica, vel occulta; aut nota, aliaque incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV. praedecessore Nostro « *Sacramentum Poenitentiae* » quoad inhabilitatem absolvendi complicem, et quoad obligationem denunciationis, neque easdem praesentes iis, qui a Nobis, et ab Apostolica Sede, vel aliquo Praelato, seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus praefinitum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint nullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum iudicio Confessarii satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi indulgentias iubilaei, iniuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt.

» Quapropter in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium districte praecipimus, atque mandamus omnibus et quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium Litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa, ubi primum pro temporum ac locorum ratione satius in Domino censuerint per suas Ecclesias ac Dioeceses, Provincias, Civitates,

Digitized by Google

Oppida, Terras, et loca publicent, vel publicari faciant, populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam, seu Ecclesias visitandas pro praesenti iubilaeo designent.

» Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservetur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint, nec non regula de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praemissorum, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

» Praecipimus autem, a commemorato die primo Iunii usque ad diem, quo oecumenica Synodus finem habuerit, ab omnibus universi catholici orbis utriusque Cleri Sacerdotibus quotidie addi in Missa orationem de Spiritu Sancto, deque eodem Sancto Spiritu divinum, praeter consuetam Missam conventualem, Sacrificium fieri in omnibus huius Urbis Patriarchalibus, aliisque Basilicis et Collegialibus Ecclesiis, nec non in cunctis totius orbis Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis ab earum Canonicis, atque etiam in singulis cuiusque religiosae Familiae Ecclesiis Regularium, qui conventualem Missam celebrare tenentur, feria quaque quinta, qua festum duplex primae et secundae classis non agatur, quin tamen haec de Spiritu Sancto Missa ullam habeat applicationis obligationem.

Digitized by Google

» Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11 Aprilis anno 1869, Pontificatus Nostri anno vicesimotertio. »

N. Card. Paracciani Clarelli.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

Decretum. — Feria II. die 22 Martii 1869.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

La questione Religiosa di ieri e d' oggi, con quattro punti di riforma cattolica per G. B. Fiorioli della Lena. Padova, tipografia Crescini 1869.

Nuovo Diritto Pubblico europeo del Conte Terenzio Mamiani della Rovere, Napoli 1860.

Teorica della Religione e dello Stato, e sue speciali attinenze con Roma e le nazioni cattoliche per Terenzio Mamiani, Firenze 1868.

The Church's creed or the crown's creed? A letter to the most Rev. Archbishop Manning, by Edmund S. Ffoulkes B. D. author of *Christendom's divisions,* Latine vero: *Symbolum Ecclesiae*

Digitized by Google

an vero Principis? Epistola ad Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Manning per Edmundum Ffoulkes auctorem Operis cui titulus: *Divisiones Christianismi*, Londini, I. T. Hayes.

Elementi d'igiene del dottor Paolo Mantegazza, Professore dell'Università di Pavia, e membro dello Istituto, seconda edizione riveduta dall'Autore, Milano, Gaetano Brigola editore 1865.

L'Emancipatore cattolico: Giornale della società nazionale emancipatrice, e di mutuo soccorso del sacerdozio italiano. Napoli. *Praedicta Societas* (vulgo Emancipatrice) *damnata iampridem fuerat per Encyclicam Epistolam a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX* die 10 augusti 1863 *ad Episcopos Italiae datam.*

Di palo in frasca. Veglie filosofiche semiserie di un ex-religioso che ha gabbato S. Pietro. Ginevra 1868. — *Decr. S. Officii in Feria IV* die 27 Ianuarii 1869.

Regula Fidei Catholicae, et Collectio dogmatum credendorum: a P. Philippo Nerio Chrismann. Denuo revidit et edidit Phil. Jacob Spindler. Wirceburgi, 1854. *Decr. S. Officii uti supra.*

Auctor Operis cui titulus: L'Empire et le Clergé Mexicain par l'abbé Testory, Mexico 1865, *prohib. Decr.* 13 *Martii* 1865, *laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. *per me infrascriptum S. I. C. a secretis relatis,* Sanctitas Sua *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 24 *Martii* 1869.

Antoninus Card. De Luca Praefectus

Loco ✠ Sigilli

Fr. Angelus Vincentius Modena Ord. Praed.
S. Ind. Congr. a Secretis.

Die 25 *Martii* 1868 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, et Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloisium Serafini Apost. Curs.*

Philippus Ossani Mag. Curs.

Digitized by Google

EX CONSILIO SS. RITIBUS PRAEORDINANDIS PRAEPOSITO PRO CONCILIO OECUMENICO VATICANO.

DE VESTIBUS QUIBUS UTENTUR ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI LATINI IN CONCILIO VATICANO.

ELENCHUS

» Vestium et Sacrorum paramentorum, quae R̃mi Domini Archiepiscopi et Episcopi latini ritus Romam advenientes pro oecumenico Concilio Vaticano celebrando secum deferri curabunt.

» 1° Vestes Praelatitias ea forma, quae praescripta est in Caerimoniali Romano lib. 1 Cap. 1 pro Antistitibus ex Clero Saeculari §. 1; ex ordine vero Regulari promotis §. 3: et Biretum nigrum.

» 2° Cappam, de qua sermo est in memorato 1 lib. Caerem. Cap. 3 §. 3.

» 3° Amictum et tria pluvialia, unum coloris albi, alterum coloris rubri, tertium violacei, quae tamen non sint auro vel argento illita, aut acu picta, vulgo *ricamati*.

» 4° Mitram ex lino coloris albi.

»Aloisius Ferrari Proton. Apost. SS̃mi D. N.
et S. Sedis Caeremon. Praefectus.»

Digitized by Google

APPENDIX XIII.

DE DIE XI. APRILIS ANNO MDCCCLXIX., QUEM SOLEMNISSIMUM FECIT IN SUO VICARIO CHRISTUS DOMINUS IN ECCLESIA SUA.

Quamquam praeter nostrum institutum est de iis dicere, quae extra Romanam Apostolicam Curiam contingant, quaeque ad ecclesiastica iura et officia non pertineant; attamen videremur alicuius negligentiae nota digni si diem, quem solemnissimum praeter hominum memoriam omnigenis singularibusque modis celebrari conspeximus, silentio penitus praeteriremus.

Alii gesta factaque singula quae colligere poterunt memoriae prodent; nos autem eorum supponentes historiam quid cogitemus potius expromemus.

Quamvis non multis ante diebus catholicae ephemerides ubique referrent, in pluribus Orbis catholici partibus fideles in societates coire ut obsequia deferrent SSño Patri quo die Sacrum esset celebraturus post annum Eius Presbyteratus quinquagesimum: quamvis eiusmodi obsequii signa multiplicis generis esse annuntiarent; alia enim in ope pecuniaria colligenda consistebant, alia in fidelium nominibus scripto excipiendis et observantiae causa Sanctissimo Patri deferendis; alia in sponsionibus dandis assistendi Sacro, illudque cum Sacerdote offerendi pro Pontifice Summo vel ad sacram synaxim accedendi, et alia id genus; nihilominus haec quae probatissimae ephemerides vulgabant, obsecundabant, promovebant tunc cognita vere sunt, cum facta iam essent. Namque expectationem omnium adeo longe superarunt, ut merito affirmari possit, ea omnia quae facta quaeque gesta essent tunc cognita fuisse cum iam facta gestaque essent.

Duo Romae prae caeteris novimus vel vidimus, quorum unum admirationem crearet, cuiusmodi erat nobilium donorum divitiarumque affluentia; alterum vero lacrymas vel invitas ex oculis eliceret, cuiusmodi erat concursus humilium donorum quae proveniebant ex pauperibus oppidis atque urbibus Romae circumstantibus.

Illis diebus quodammodo existimasses, fideles omnes uno eodemque tempore veluti ex condicto decertasse, ut quisque alterum pro viribus in obsequio Beato Petro in Augustissimo Pontifice viventi deferendo vinceret.

Et ad humiliora dona quod attinet, inter ingentem civium et alienigenarum populum ad Apostolica Palatia confluentium, ut ea humilia dona, quae publice deferebantur, conspicerent, locus identidem dan-

Digitized by Google

dus erat curribus et iumentis novis donis onustis: et modo vidisses currum saccis frumenti repletum, rudibus quidem signis sed festivis ornatum, concomitantibus villicis, qui frumenta aut fruges in atrio Apostolicae Domus statis locis deponerent, atque inde, iis tamquam ad herum suum delatis, silentio regrederentur: modo vidisses currum vasis olei variique generis vini onustum; modo deferentem agnos, modo ducentem vitulos. Uno verbo, praeter plura opera artium, omnis generis primitiarum et rerum, quae ad frugalem vitam sunt necessariae ab infimis usque ad nobiliora repletum est atrium Apostolicae Domus, ita ut illi ipsi, qui potius curiositate moti accesserint, animo commoti redire debuerint tantam conspicientes cordium pietatem!

Sanctissimus Pater in huiusmodi observantiae et obsequii pientissima significatione, quibus nullam dederat causam, facile collacrimavit.

Quemadmodum autem excellentiora dona atque divitiae SSmo Patri undequaque affluenter delata, illud revocabat in mentem quod legimus evenisse tempore Apostolico: *afferebant pretia eorum quae vendebant et ponebant ante pedes Apostolorum;* ita humiliora dona in mentem revocabant pastores loquentes ad invicem *transeamus usque Bethlehem*.

Certi autem sumus, eos omnes qui publicum hoc factum tranquille considerabunt et qui plenam eiusdem cum suis adiunctis historiam lecturi erunt, quique vim nullam suo intellectui inferre velint, fateri debere, factum hoc intelligi non posse sine causa ex alto repetenda, quae una fidelium aliorumque animos, vitae conditione, moribus studiisque diversis, tanta efficacia uno eodemque tempore in variis dissitisque Orbis partibus in eandem rem eodem studio movere potest.

Namque si effectus proportione respondere suis causis debent, effectum quidem habes praeter hominum memoriam extraordinarium, causam autem huic effectui proportionatam ac sufficientem in humanis rebus frustra quaereres. Reperies quidem occasionem quamdam huius facti per se levissimam, quae etsi in aliis quoque Romanis Pontificibus data est, eius tamen ratio nulla est habita.

Similia quidem facta intra duorum annorum intervallum conspeximus, quae licet sine singulari divina providentia, quae Romam et Apostolicam Sedem iugiter adsistit, explicari rite non possint, attamen adeo graves occasiones aderant quae tamquam causae considerari potuissent; tales enim sunt centenaria solemnitas martyrii BB. Petri et Pauli· qua occasione Sanctissimus Pater Romam invitavit ca-

Digitized by Google

tholici Orbis Antistites; item cum Romanus Pontifex phalanges conspiceret hominum perditorum, qui Romam invadere conarentur, qua occasione vocem Apostolicam attollit: *Levate, Venerabiles Fratres, in circuitu oculos vestros et videbitis, ac una Nobiscum vehementer dolebitis abominationes pessimas, quibus nunc misera Italia praesertim funestatur:* ea enim magna quae inde contigerunt explanari inquam potuissent per insuetam solemnitatem, quam qui semel videret nunquam esset revisurus, atque per pietatis officia quibus fideles erga Vicarium Christi Domini divino iure tenentur.

At nihil harum rerum pari iure dici affirmarique potest in eo de quo agimus facto, quod tamen eadem, quae illis in occasionibus videramus, superavit.

Caeterum quemadmodum intelligi rite non possunt sine causa quae non sit praeter rerum naturam, idest sine actione satanica, ea omnia quae agunt inimici Dei quando hora tenebrarum est, qua furore abrepti prospere conveniunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius: ita laetissima fidelium de quibus agimus facta intelligi non possunt sine actione divina, quae eorumdem animos in unam eamdemque rem, uno eodemque tempore pulset atque excitet mirabili cum effectu. Et quemadmodum hora tenebrarum prosperi effectus characteres omnes praeseferunt iniquitatis, ita tempore lucis prosperi effectus praeseferunt characteres inenarrabilis laetitiae.

Nos autem utriusque effectuum generis testes sumus: primum namque genus oculis nostris Romae conspeximus initio Gloriosi SSmi Patris Pontificatus, quo tempore, quamquam in iuvenili versaremur aetate, attamen frequentes acclamationes et turbarum veluti furentium plausus sine animi horrore nec audire poteramus, quorum non quidem gloria, sed victima erat Pontifex: genus illi adversum leviter incipere vidimus, sensim et tranquille progredi, atque adeo succrescere usque ad praesentem mirabilium rerum de quibus loquimur statum, quarum Ipse est corona et gloria.

Quae cum ita sint ad cogitandum ducimur, dictam tenebrarum horam suum iam transiisse fastigium, vehementerque declinare: atque novam pro Ecclesia consurrexisse auroram, cuius non pignus dumtaxat hisce diebus habuimus, sed splendidam arrham. Neque singulari aliqua significatione destitui videtur (cum omnia portentosa fuerint), quod, nobilissima obsequii signa Petro deferentibus, accenserentur et Haereticus et Schismaticus; quin imo nec Iudaeus deesset: quae quidem omnia quodammodo praesentire faciunt promissum illud divinum: *erit unum Ovile et unus Pastor.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

MATRIMONII.

Die 17 Aprilis 1869.

Inter tot Parochorum millia, qui pastorale munus ab Ecclesia eisdem commissum tanta sedulitate, patientia ac charitate obeunt, mirum esse haud debet si nonnulli reperiantur, qui suo officio desint, eoque etiam abutentur: immo prodigium esset existimandum si secus contingeret. Quare stultissimos sese ostendunt illi omnes, qui ab uno alterove malum sumentes exemplum in universum Clericorum Parochorumque genus pertrahunt. Qui ita iudicant eadem iudicandi ratione redargui possent tamquam imbecilles, avari, latrones, adulteri, cum humanum genus, ad quod et ipsi saltem pertinent, talibus viris haud careat.

Compendium facti. Agnes ex honestis parentibus orta, tresdecim annos nata cum sola matre degebat, cum eius pater in longinquis regionibus versaretur.

Loci Parochus sub sua veluti tutela hanc familiolam habebat. Cum autem et ipse Parochus adolescentem haberet nepotem Antonium, qui studiorum curriculo vacabat, contigit, ut inter Agnetem et Antonium nonnulla apparere viderentur mutuae benevolentiae amorisque indicia.

Parochus sibi persuasit, nepotem suum, quem habitu clericali induerat, nuptias cum Agnete certo certius initurum si subito ea coniugii praeconia non abscinderentur: quod sic praestitit.

Aderat in eadem urbe Livius iuvenis bonae indolis, 24 annos natus, qui nomen dederat cuidam Ordini Regulari et tamquam laicus inter eiusdem Ordinis Oblatos vivebat; hic domui Agnetis non erat omnino extraneus, et aliquo dicebatur frui censu, idest domuncula et quodam praediolo. Parochus, qui debitor Livio erat cuiusdam pecuniae quantitatis, eidem suggessit nuptias

Digitized by Google

cum Agnete, quae cum congruam haberet dotem, congrue vivere in matrimonio potuissent.

Huic Parochi suggestioni etsi non restitisse Livius, tamen non sponte consensisse dicitur.

Ita voluntate Livii praedisposita, Parochus inconsulta etiam ratione has nuptias suggerere coepit matri puellae; etsi primae suggestioni non consensit mater, postea ex insistentia eiusdem Parochi adeo consensit, ut sibi persuaserit eiusmodi nuptias faustas felicesque futuras.

Parochus, ut validius scopum propositum obtineret, auxilio quoque usus est avunculi puellae, quem familiari consuetudine amicum habebat.

Animis itaque sic dispositis, mater primo praeconceptas nuptias suae puellae proposuit, quae, audita propositione, excanduit: secundo successit avunculus easdem proponens, ex quo turbata lacrymas effundens se nihil de his scire velle respondisse dicitur.

Cum autem mater spe paratae fortunae agitaretur, ulterius progressa dicitur ad minas ad vexationes et ad percussiones quoque, quin tamen e suo proposito puella permoveretur.

Cum haec communi consilio peragebant, omnia simul occulte disponebant ad matrimonii celebrationem quam citissime conficiendam: parata sunt documenta status liberi: omissae sunt in ecclesia denunciationes ex praescripto faciendae.

Interea puella arctissime custodiebatur, nec ei facultas erat cum alia quavis persona colloquendi: quin imo puellae postulanti ut colloqui posset atque consilia conferre cum suo Confessario viro probatissimo, Parochus et hoc praefracte insolenterque denegasse affirmatur.

Cum itaque res ita se haberent, die 1 Augusti 1848 sub vesperas admonita fuit Agnes de matrimonio eadem appropperante nocte contrahendo: hoc nuncio accepto infremuisse puella dicitur lacrymasque fudisse nec cibum nec somnum capere potuisse.

Secunda post mediam noctis hora ex avunculi monito Agnes a matre evocatur: abscedunt ad quoddam templum seu Oratorium quo pervenientes omnia parata erant. Aderat itaque Parochus, avunculus, puellae mater et praeterea quidam Titius dicti av-

vunculi vitricus, qui rerum omnium inscius e sommo fuerat excitus eadem ipsa nocte quodam doloso praetextu ut ad constitutum templum accederet.

Titius apud acta testatus est, se stupore comprehensum *fuisse cum conspexisset puellam adeo debilitatam et depressam ut misericordiam concitaret: se bene reminisci, parum abfuisse quin puellam e templo educeret: se abstinuisse nihilominus, tum ob loci reverentiam, tum ob Parochi admonitionem qui sibi verbis conquerenti silentium imperaverit: se item bene reminisci, dixisse postridie puellae, se excitatum sensiisse ad eam e templo educendam, atque sibi respondisse puellam, utinam id fecisses!*

Cum illa secum Titius cogitaret, Agnes per quam brevissimam sacramentalem confessionem penes Parochum explebat, et, quod ipsa ait, omnimodam renuentiam ad illud ineundum matrimonium repetiit, cui ille respondit: *puerilia haec esse; quod si id non faceret se poeniteret.*

Livius illa nocte saecularibus sese induerat vestibus. Advocantur ambo ad altare et accedunt, interrogantur ut moris est, adstantibus his omnibus quos memini: carentiam nuptialis annuli supplevit mater proprium e digito extrahens, illumque Parocho benedicendum tradidit. Livius in quodam statu facilitatis animi reperiebatur; Agnes vero ad misericordiam movebat, ac verbum affirmativum consensus *adeo tenui submissaque voce protulit,* ut teste Titio, *vix illud audivi.*

Quae consecuta sunt ab eodem Titio apud acta sic accepimus: *graviter conquestus sum cum vitrico meo, quod me ita decepit, eique statim significavi me nullimode eas tricas probasse, meque illud matrimonium celebratum existimare contra puellae voluntatem, quam ita iugulatam vidi: qui mihi respondit ut silerem, atque id nemini panderem... postea scivi puellam repugnantem et summopere afflictam, quae triginta post diebus mihi fassa est, se a Matre et Parocho fuisse coactam et deceptam, seque suffocare velle.* . . . . .

Haec omnia apprime consonant cum iurata depositione iudiciali tum matris, tum Livii, qui insuper addidit non solum submisse pronunciasse Agnetem verbum affirmativum consensus, sed id fecisse post iteratam a Parocho interrogationem, atque simul flevisse. . . . .

*

Digitized by Google

Quibus cohaeret confessio iudicialis puellae, qua descripsit summam animi confusionem et moerorem dum ad templum ducebatur, quae eo temporis momento adeo exterrita fuit, ut cordis laesionem passa fuerit a qua non amplius convaluit, qua factum quoque est, ut ipsa non amplius valuerit illud ingredi templum. *Cum autem* (sic ipsa prosequitur) *ad altare ducta fui in tali eram confusione, ut ego nec dicere possum, an testes prope essent vel procul, an mater adesset, an ego protulerim verba consensus, et vix notavi impositum mihi annulum fuisse... reminiscor autem, coeremonia confecta, me in annulum paulo plenius advertisse quem abhorrebam; illum subito e digito extraxi et in peram inieci quemque domi in medium proieci cubiculum.*

Praeter haec testimonia ex praesentibus celebrationi alia haberi non possunt, cum et Parochus et avunculus iamdiu e vita migraverint.

Livius eadem die etsi accessisse dicitur ad domum Agnetis, tamen ex ea statim discessit atque alio se contulit nec unquam Agnetem invisit, imo nec vidit unquam nisi aliqua vice fortuito.

Ad completam huius facti enarrationem spectant ea quae sequuntur: 1° Parochus timens fortasse, ne ex fraudibus aliquid triste sibi obveniret, interrogantibus, an matrimonium esset celebratum, negativam dabat responsionem: 2° matrimonium contra morem non adnotavit in regestis paroecialibus nisi anno 1848 pereunte, etsi alia postea celebrata suo loco adnotavit: 3° illis, quibus denegare non poterat celebrationis factum, respondebat sub maximo secreto, id clanculum factum fuisse, *quod vellet omnem amoris consuetudinem cum suo nepote abscindere.*

Non omisit postea puella liberationem quaerere a matrimoniali vinculo: denique quantum potuit studuit, ut eam gratiam a S. Sede obtineret, a qua responsionem accepit, proponendam esse causam prout de iure in ecclesiastica Curia; cum autem impar esset sustinendis impensis plures annos siluit: denique Episcopus processum incepit, quem Curia illa septem annorum spatio tandem aliquando conficere potuit.

Processus confectus est accurate iuxta Benedictinam Constitutionem *Dei miseratione.* Defuit tamen in viri examine Defensor matrimonii ex officio. Namque Livius in alia dioecesi B. degebat, eiusque examen fuit exceptum a Curia B. iuxta Instru-

Digitized by Google

ctionem S. Congregat. C. editam die 22 Augusti 1840, quam nos retulimus in *Vol. I. pag.* 439, in qua §. *Si alios,* haec iuxta dictam Constitutionem leguntur: *Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad Civitatem accedere nequeunt... vel ad partis instantiam, vel ea silente ad instantiam Defensoris matrimonii, erunt ab Episcopo illius dioecesis in qua morantur examinandi iuxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata S. M. Benedicti XIV. praescriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii et examini adsit.* In duplici autem examine quod Livius subivit praescriptus Defensor non adstitit.

Testes autem omnes quibus processus constat hi sunt: 1° examinati fuerunt duo ecclesiae inservientes: 2° Titius vitricus avunculi: 3° prolixum Agnetis examen exceptum: 4° mater Agnetis: 5° nepos Parochi iam defuncti. Transmissa postea sunt eiusmodi acta ad Curiam B., sub cuius iurisdictione Livius versabatur, et simul interrogatoria a Defensore matrimonii concinnata, in qua Curia Livius iuxta dicta interrogatoria fuit examinatus sine adsistentia tamen Defensoris matrimonii ut dixi.

Post haec ad examen septimae manus deventum est, examinati scilicet sunt septem testes inducti ex parte mulieris, qui omnes deposuerunt praesertim de continua absentia Livii statim ac celebratum fuerit matrimonium: nec non de optimis moribus tum Livii tum Agnetis eiusque familia.

Rogata est Curia B. ut examen institueret septimae manus; sed Livius nullos induxit testes, cum ea in urbe in qua ipse moraretur factum hoc penitus ignoraretur.

Pertractata dein causa in propria Curia episcopali, Defensor matrimonii deputatus, idest Canonicus Theologus, votum suum elucubravit pro validitate matrimonii: et contra, favore Agnetis alter scripsit ad ostendendam matrimonii nullitatem. Denique Vicarius Generalis, causa cognita, iudicium tulit: *constare de nullitate matrimonii initi die* 2 *Augusti* 1848 *inter etc.*

A qua sententia, iuxta proprium officium, Defensor matrimonii ad Sedem Apostolicam in secundo gradu appellavit. Cum autem postularent partes, ut causa oeconomice pertractaretur, eiusmodi preces fuerunt benigne exceptae, ac prout moris est, duo vota

Digitized by Google

sunt exquisita unum Theologi alterum Canonistae atque subsequutae animadversiones Defensoris matrimonii ex officio, qua ratione *oeconomice* pertractantur eiusmodi causae.

Disceptatio synoptica.

Duo Consultores in eamdem devenerunt nullitatis matrimonii sententiam: ex eorumdem votis potissima eruam argumenta.

Rationes adductae pro nullitate matrimonii. Animadversum itaque est, explorati iuris esse, maritale coniugium, quod origo est familiae, perpetuas obligationes secumferre vinculo amoris informatas: illudque a sacris canonibus considerari tamquam opus consilli et electionis: de qua re Alexander III. *cap.* 14, *de spons. et matr.* respondit: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut ubi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.*

Etsi autem in iure dicitur metus gravis, *qui cadere soleat in constantem virum,* quique metus gravis exigitur ad rescindendos vel irritos declarandos contractus, tamen cum metus in subiectiva animi affectione consistat, considerandam quoque esse qualitatem personae quae metum patiatur: quare et metum, quem *reverentialem* dicunt, Doctores admittere, parique aestimatione habere cum gravia concurrant adiuncta, considerata conditione personae; de qua re sic Engel *Comment. in tit. de spons. et matr.* §. 5, *n.* 4. « In hac quaestione omissis aliorum sententiis, » breviter statuo, quod reverentia superiori debita non indistincte » pro iniuncto metu allegari possit, alias nullus foret locus ef» ficaci contractui.... in praesentia parentum, si praetensione » reverentiae quaelibet cavillatio concederetur... Si autem praeter » reverentiam alia etiam adminicula concurrant, ex quibus col» ligi possit aliquem revera fuisse invitum; ut periculosae mi» nae, importunae persuasiones, et ut verbo dicam, si modesta » contradictio nihil iuvisset, tunc metus reverentialis etiam pro » iusto metu habendus erit.»

Digitized by Google

Item Pignatellius *Consul* 130 *t.* 9 *n.* 19; Clericatus *Decis.* 37 *de Matr. n.* 24. aliique.

Eo vel magis, quod, cum de matrimonio agitur, maius et perfectius voluntarium requiritur, quam in caeteris conctractibus; de qua re sic scripsit Pontius *de matrim. l.* 4 *c.* 14 *n.* 16 « maius et perfectius voluntarium requiritur, quam ad alios contractus civiles, id quod ex perpetuitate vinculi matrimonii colligit D. Thomas. Et quidem, cum alii contractus sint minoris momenti et natura sua dissolubiles humana auctoritate vel contrahentium consensu, mirum non est, si contrahuntur voluntate mixta.» Item Ursaia *discep. eccles. t.* 9 *p.* 1 *disc.* 38 *n.* 2, quam doctrinam communiter receptam dicit post S. Thomam in *add. ad* 3 *par. quaest.* 47 *art.* 3. Quae quidem sententia cohaeret cum allegato textu Alexandri III.

His principiis positis, cum metus in animo consistat, ut dictum est, atque difficile probari possit per illud selectum praescriptumque probationis genus quod aliis in causis exigi solet, hinc admitti eos testes et adminicula, quae alias non admitterentur: quare tamquam testes admitti domesticos, parentes, et confessionem iuratam eius, qui metum passus sit, tamquam adminiculum; praesertim si caeterae concurrant praesumptiones: item illos qui metum intulerint, quin reiici possint ex consueta ratione, quod audiendus non sit qui propriam alleget turpitudinem; de qua re sic S. Rota in *decis.* 373 *n.* 13 *et* 14 *part.* 8 *t.* 1 *Recent.* « Minus etiam facit, quod frater et soror, deponendo metum a semetipsis fuisse incussum, allegent propriam turpitudinem; quia *non propterea minus probant* pro Petro, qui meliores testes inducere non potuit ad probandum metum, quam illosmet, qui istum incusserunt et de facto proprio deponunt. »

Admisso itaque hoc genere probationis, consequi locum maximum his in iudiciis habere disquisitionem Iudicis et prudens eiusdem arbitrium; hinc cum caeteris Reiffenst. *lib.* 1 *Decr. tit.* 40 *n.* 79, scripsit: « Quisnam enim hic et nunc sit iustus metus ad irritandum actum sufficiens... et coniecturarum qualitas visque probandi, iudicis reliquitur disquisitioni et arbitrio. »

Cum haec certa explorataque sint, facile fuit utrique Consultori ex exposita rerum serie ostendere in praesenti themate, puellam fuisse coactam ad illud matrimonium ineundum, eam-

Digitized by Google

demque coactionem a tenera puella nec superari potuisse, quae ad nullum confugere poterat. Idque ostendebant ex studiosa rerum praeordinatione, ex adiunctis quae concomitata sunt et quae sunt consecuta. A quibus referendis abstinemus, cum Lectores nostri in enarrata rerum serie facile haec perspicient.

Animadversiones Defensoris matrimonii. Matrimonii Defensor praeter animadversiones factas super defectu adsistentiae vindicis matrimonii in examine Livii, de quo diximus, ad causae meritum quod spectat, studuit ostendere defuisse in praesenti themate dictitatam coactionem. Meminit, Livium non fuisse Agneti ignotum, cum eius domum ratione unius alteriusque officioli interdum adierit; imo duo testes septimae manus etsi ex propria scientia nihil scire fassi sunt an Livius amaret Agnetem, tamen testati sunt ex mulierculárum auditu, eumdem erga Agnetem aliquatenus mulierasse.

Asseruit autem, calumnias esse, quae in Parochum defunctum tum mater puellae, tum ipsa puella iactaverint: cum ipse matrimonium proposuerit in bonum tum Agnetis tum eius matris, illudque matrimonium non quidem Parochum sed Avunculum commendasse et inculcasse ob speratam felicitatem, nullamque causam coactionis adfuisse.

Cum autem deesse Defensor affirmaret coactionis causam, probationem incussi metus ex eo praesertim deprimere curavit, quod potissima probationis momenta eruerentur ex iudiciali confessione Agnetis et attestatione matris, easdem autem in consideratione non esse habendas, cum illa actrix in hac controversia esset; haec autem rea incussi metus.

Nec aliquo in pretio esse habenda quae unus enarravit testis de moestitia puellae in actu celebrationis; namque praeter quam quod unus testis fidem non faciat, naturale esse timidis inexpertisque puellis in actu celebrationis quodammodo trepidare.

Neque aliquid argui posse, ex eo quod occulte et quidem in templo alieno matrimonium celebratum esset; namque de huius ratione opportuno tempore Parochus amice interrogatus responderat, *ut evitarentur dicteria, cum sponsus esset Regularis.*

Redarguebat praeterea contradictione et mendacio depositiones tum Agnetis tum matris, cum non cohaererent in enarratione, an Livius facta celebratione concomitatus esset puellam domum

Digitized by Google

vel statim alio diverterit: hoc ipsae affirmarunt; cum e converso Livius affirmaverit, se cum matre aliisque duxisse Agnetem domum, in qua potionem quoque arabicam degustassent; postea vero advenisse eius Religiosum fratrem qui in aliam urbem ipsum abduxit.

Item nec eosdem cohaerere in affirmando, an Livius accesserit ad domum Agnetis, ut cum matre eam ad templum duceret, cum hoc affirmaverit Livius; contra vero tum Agnes tum mater, nec inter se omnino consonantes, una dixit Livium iam in templo stetisse, altera vero, postea eum supervenisse. In quibus depositionibus cum pugna quaedam appareret, concludebat Defensor, nec fidem caeteris earumdem depositionibus esse habendam.

Caeterum subiungebat, etsi ex adductis depositionibus ostendi metus sub aliqua ratione vellet, eumdem tamèn non sufficere ad declarandam nullitatem matrimonii, cum gravis non esset: inquiebat enim ad gravem metum haec requiri: 1° ut malum quod timetur sit grave in se et non in sola aestimatione metuentis: 2° ut prudens adsit timendi ratio, non autem levis et irrationabilis: 3° ut qui metum incutiat potens sit minas exequi: 4° ut is qui timet non possit ullo modo minitanti resistere aut vitare malum quod timet. Aliqua autem ex his conditionibus deficiente, metum dici levem, cum non cadat in constantem virum.

Affirmabat autem nullam ex his conditionibus verificari in casu; quod mater nullum malum Agneti minitata esset; nec ulla adfuerit mali species; proindeque quaevis ratio abesset timoris.

Nec obstare, quod dicatur mater alapam filiae dedisse: namque, si hoc malum grave aestimandum esset, omnes puellae, praesertim humilioris conditionis metum gravem continue paterentur.

Quod si frater Livii post matrimonii celebrationem ipsum Livium e domo Agnetis non abduxisset; et si Livius domunculam et praediolum possedisset, cum propria coniuge certissime adhuc cohabitasset.

His aliisque prolixe deductis propositum est resolvendum

Dubium.

« An sententia Curiae... sit confirmanda vel infirmanda in » casu. »

Digitized by Google

Resolutio. S. Congregatio Concilii causa discussa in comitiis habitis die 17 Aprilis 1869 respondere censuit: *Praevia sanatione defectus adsistentiae Defensoris ex officio examini viro, facto verbo cum SSmo, sententiam esse confirmandam.*

Ex quibus colliges:

I. Praesentiam Defensoris ex officio in singulis iudicialibus actis a Benedictina Constitutione praescriptam sub poena nullitatis actorum, extendi quoque debere ad acta iudicialia alteri Iudici commissa, sub cuius iurisdictione reperiatur persona examinanda.

II. Nec sufficere missa interrogatoria ab eo Defensore matrimonii concinnata, qui iudicio interest in quo actor agit.

III. Eiusmodi autem praescriptae formae defectum, si causae cognitioni non officere videatur, a S. Sede interdum sanari.

IV. Matrimonialem contractum, utpote irrescindibilem et gravissima secumferentem onera, maiori libertate frui debere, quam caeteri contractus.

V. Quare consensum sub gravi et directa pressione morali extortum, naturalem proportionem nullimode habere cum ligamine perpetuo, quod per matrimonium iure divino inducitur (1).

VI. Hinc ipso facto matrimonium sic contractum esse nullum; indigere tamen in foro externo Iudicis ministerio, non quidem ad matrimonium irritandum, sed ad illud irritum declarandum.

VII. In praesenti themate inexpertam maximeque invitam puellam undequaque fuisse circumventam atque adactam ad significandum consensum matrimonii coram Parocho erga virum quem positive nolebat.

VIII. Consideratis adiunctis, significationem dicti consensus talem videri, ut dici potius debeat, fuisse significationem consensus matris caeterorumque, quam puellae.

(1) Confer quae in simili causa adnotavimus in *Vol. II. pag. 19.*

Digitized by Google

COMPENSATIONIS EXPENSARUM ET SOLUTIONIS PENSIONIS.

Die 21 Martii 1868 et 27 Februarii 1869.

Compendium facti. Anno 1842 in italiae dioecesi N. oppidana paroecia S. Antonii collata est novo Parocho cum onere pensionis perpetuae scut. 20 solvendae alteri paroeciolae S. Mariae seu huius Parocho pro tempore.

Conditio adiecta est in Bullis Apostolicis, ut tunc haec pensio solvi deberet, quando cessaret altera pensio eiusdem quantitatis favore cuiusdam Presbyteri Livii, qua eadem paroecia S. Antonii iam gravabatur: attamen hac prima pensione perdurante, idem Parochus singulis annis solvere deberet dicto Parocho S. Mariae quamdam frumenti mensuram vulgo *rublum*.

Cum autem in more positum sit penes Apostolicam Datariam, ut illi quibus pensiones imponuntur, solvere debeant Datariae officialibus quamdam expensarum taxam, quam sibi deinde retinent in solvendis primis ratis portionibus pensionis: Parochus S. Antonii solvit pro reservatione pensionis impensas scut. 26 *quae compensandae forent a pro tempore existente Rectore enunciatae parochialis ecclesiae S. Mariae ac solvendae loco facto perceptioni eiusdem perpetuae prout de iure*.

Haec eveniebant ut dixi anno 1842. Anno autem 1857 (quo tempore Parochus S. Mariae non adhuc percipiebat dictam pensionem, sed tantum mensuram frumenti) aliam pensionem est consecutus scut. 20 cum clausula *donec enunciatae ecclesiae S. Mariae redditus augeantur,* gravantem aliam oppidanam paroeciam R. ex causa quam sum dicturus.

Prope paroeciolam S. Mariae quaedam paroecianorum portio adiacebat animarum quadringentarum, quarum cura pertinebat ad paroeciam S. Marci extantem intra urbem N. Eiusmodi paroecianorum separatio, cum maxime incommoda esset tum paroecianis illis, tum Parocho S. Marci, Episcopus servatis servandis dictam portionem seiunxit a paroecia S. Marci, eamdemque canonice univit paroeciolae S. Mariae. Sed cum Parocho S. Marci imponi non posset aliqua fructuum seu reddituum solutio paroe-

Digitized by Google

ciae S. Mariae ob eius reddituum paupertatem, vacante interim superius memorata paroecia R. curavit Episcopus, ut Benedictus novus Parochus R. assentiretur impositioni pensionis scut. 20 favore Parochi S. Mariae donec istius redditus augerentur. Quo Parochi consensu habito, certiorem de his omnibus fecit Apostolicam Datariam per quam Apostolicae Literae editae sunt his verbis: « *Volumus autem quod tam praefatus Benedictus, quam eius in paroecia successores... annuam summam viginti scutatorum... hodierno et pro tempore existenti* (Parocho S. Mariae)... *donec enunciatae ecclesiae S. Mariae redditus augeantur, quotannis solvere teneantur, cum hoc tamen, quod* (Parochus) *praefatus alia parochialia onera a te servatis servandis arbitrio tuo praefinienda etiamsi maiorem territorii parochialis extensionem respiciant perferre teneantur.* »

Res pacifice processerunt usque ad annum 1866, quo supervento obitu Presbyteri Livii, illico moveri coeptae sunt querimoniae et ad S. C. C. delatae.

Cum enim per mortem Livii locus factus esset solutioni pensionis perpetuae favore paroeciae S. Mariae, Parochus S. Antonii petiit compensationem expensarum scut. 26 prout de iure, sed novus Parochus S. Mariae (prior enim Parochus non amplius eam paroeciolam regebat) a S. C. C. declarari petiit, se non teneri ad eam expensarum refectionem: quod est unum quaestionis caput. Contendit praeterea sibi adhuc deberi pensionem gravantem paroeciam R. quam pensionem solvere recusabat Benedictus ob perceptionem alterius et perpetuae pensionis: quod est alterum quaestionis caput.

Servatis itaque de more servandis quaestiuncula haec in disceptationem deducta est.

Disceptatio synoptica.

Ea quae deduceret Parochus S. Mariae.— Quoad primum quaestionis caput Parochus S. Mariae contendit, se non teneri ad solutionem earum expensarum, tum quia eius antecessor per annos plures quam viginti perceperat rublum frumenti tritici quin unquam certior factus esset de memoratis expensis quandocumque solvendis, quas saltem ex parte ipse solvere debuisset: tum quia in suae nominationis literis quibus paroeciae S. Mariae suffectus

Digitized by Google

fuerat, ne verbum quidem excidisset de ulla vel minima expensarum compensatione: iniuria proinde, ait, hodie cogi ad sustinendum onus, quod ignotum hactenus extiterat, quodque ipse non susceperat quando paroeciam regendam assumpsit.

Quoad pensionem vero temporaneam quae a Benedicto solvebatur, contendit, eam non cessare per alterius pensionis perpetuae assecutionem, cum pensio illa temporanea percipienda a se esset propter nova onera paroecialia assumpta: quae quidem onera nec levia essent, cum paroeciani uniti suae paroeciae summa laborarent paupertate et pro tertia parte paroeciam adauxerint.

Quod si in impositione eius pensionis conditio apposita fuerit *donec redditus adaugerentur,* non posse in praesentia dici hanc conditionem fuisse impletam, cum illa pensio perpetua iamdiu praeexisteret, ita ut, dum solvebatur a Benedicto pensio temporanea, solveretur simul rublum frumenti tritici a Parocho S. Antonii.

Posita vero cessatione temporaneae pensionis scut. 20, cum simul cessaret e converso solutio frumenti tritici, redditus paroeciae per perceptionem perpetuae pensionis scut. 20, non modo adauctos non esse sed imminutos.

Aequitatem autem canonicam postulare, ut pro susceptis novis oneribus, quae perpetua sint, perpetuum pariter emolumentum constituatur; quod si ex indulgentia Parochi praedecessoris factum non fuerit, conditionem illam, quantum fieri posset, in eius favorem esse saltem intelligendam, cum emolumenta respondere debeant oneribus.

Ea quae in contrarium deducebant Parochi. — Quoad primam quaestionem paucis sese expediebat Parochus S. Antonii, inquiens, se nulla fuisse obstrictum obligatione certiorem faciendi Parochum S. Mariae de dicto expensarum debito, sive quod nondum dies compensationis advenerat, sive quod commonitione opus non erat, cum in comperto sit, in assumendis honoribus etiam coniuncta onera assumenda esse.

Ad alteram quod spectat quaestionem Parochus R. animadvertit: per mortem Sacerdotis Livii redditus S. Mariae auctos fuisse ob perceptionem perpetuae pensionis: se haec praevidentem dedisse consensum pro impositione temporaneae pensionis

Digitized by Google

in suscipienda paroecia R. conditionem adiectam *donec redditus augeantur*, genericam esse et nulli quantitati alligatam; quare quoties congruum augmentum obvenisset paroeciae S. Mariae conditionem esse impletam: congruum in praesentia eidem paroeciae abvenisse augmentum cum esset positum in aequali pensionis quantitate.

Animadvertit insuper in computatione scut. 20 pensionis perpetuae nec subtrahi posse scutata 6, quanti ipse Parochus S. Mariae aestimabat rublum frumenti tritici quod per assecutionem dictae pensionis amittebat: namque illud frumenti rublum obtinuerat quousque pensionis perpetuae perceptio suspensa maneret. Quod si, facta etiam subtractione scut. 6, scutata 14 censeri non possent congruum augmentum, id consequi, inquit, ut sua pensio temporanea perpetua evaderet, cum perquam difficile esset ut alii proventus eidem paroeciae essent obventuri.

Neque opponi posse praeexistentiam pensionis perpetuae, cum ea consisteret tantum in iure, non autem in redditibus: contra vero conditionem appositam in pensione, quam persolverat, non respexisse iura sed actuales paroeciae S. Mariae redditus.

Ex officio insuper nova animadversio facta est, in eo posita quod paroeciani adiecti paroeciolae S. Mariae non pertinuerant ad Parochum R. sed ad Parochum S. Marci cuius Parochus nominabatur a quodam equite commendatario Ordinis Hierosolymitani. Quare si onera nova paroeciae S. Mariae adiecta iustam mererentur mercedem non a Parocho R. rependendam esse videri.

His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda.

Dubia

« I. An sit locus compensationi expensarum favore Parochi » *(S. Antonii)* in casu.

» II. An et quomodo factus sit locus resolutioni pensionis » *(Parochi R.)* erga rectorem ecclesiae S. Mariae in casu. »

Responsio. — S. Congregatio Concilii quaestione cognita die 21 Martii 1868 respondere censuit:

Ad I. *Affirmative, ope retentionis ratae partis per quadriennium.*

Ad II. *Dilata; et scribatur Episcopo.*

Digitized by Google

Causae prosecutio. — Scriptum fuit Episcopo ex mandato S. Congregationis, ut accuratius dignosceretur quantitas reddituum quos Parochus S. Mariae perciperet ex paroecia; praesertim vero illi qui dicuntur incerta stolae nigrae, nec non quot essent redditus quos perciperet Parochus paroeciae R. atque etiam referret si quid aliud quod ad rem faceret reperisset in actis Curiae perquirendis. Episcopus plene satisfaciens mandatis inter caetera monuit, apud acta Curiae nihil reperiri quod ad rem faceret; atque perquiri posse indicabat acta Curiae transmissa ad Datariam Apostolicam anno 1857, in quibus si in expositione status activi et passivi paroeciae S. Mariae indicata reperiretur pensio gravans paroeciam S. Antonii favore Parochi S. Mariae, grave indicium esset, pensionem impositam Parocho R. in additionem alterius fuisse constitutam: secus vero non ita.

Perquisitis itaque Romae dictis actis, ne verbum quidem repertum est de dicta pensione.

Redditus autem paroeciae utriusque tenues admodum erant.

Novae animadversiones. — Parochus paroeciae R. per causidicum sua iura ulterius defendere studuit. Causidicus brevi quadam ratione repetiit et corroboravit auctoritatibus ea quae iam deduxerat Parochus; institit in conditione apposita pensioni, quae conditio verificata esset.

Caeterum, subiunxit, Canonistas docere pensionem esse servitutem impositam, ideirco pro extinctione et liberatione esse pronunciandum, De Luca *de Pens. disc.* 70 *n.* 8; eo vel magis, quod in praesentia ageretur de pensione imposita paroeciae: et notam esse Constitutionem Benedicti XIII. quae incipit *Quanta pastoribus* mense Septemb. editam an. 1724, qua voluit, et quantum fieri possit, commendavit ne ex Apostolica Auctoritate imponerentur pensiones paroeciis, ut singuli Parochi superextantes fructus impendere possent in miseras eorumdem paroeciarum personas.

Neque in praesenti themate quaestionem esse de paupertate, sed de iure: quod si agi vellet de paupertate paroeciarum, illud in praesentia locum habere: *Se Africa piange Italia non ne ride,* idest, *si Africa luget, Italia non ridet.*

Reproposita itaque quaestione quoad secundum dubium coram S. C. C. die 27 Februarii 1869, S. Congregatio respondit: *Affirmative in omnibus.*

Digitized by Google

Ex quibus colliges:

I. Etsi pensiones super ecclesiasticis Beneficiis legitime constitutae sine tergiversatione sunt solvendae; eas nihilominus per hoc non amittere suam naturam, quae gravamina sunt Beneficiorum et servitutes.

II. Quare pensiones impositas sub conditione, ut hae cessent donec redditus eius cui pensitantur, augeantur, adveniente congruo aliquo redditum augmento, eo ipso pensionem cessare.

III. Colliges insuper, a pensionibus imponendis super Beneficiis paroecialibus abstinendum esse quantum fieri possit (1).

ONERIS MISSARUM.

Die 17 Aprilis 1869.

Compendium facti. Antonius L. suo testamento anno 1715 legatum Missarum reliquit in Archipresbyterali ecclesia N. quo praescripsit Missam quotidianam, adsignata eleemosyna pro unaquaque obolorum decem, atque opportunos fundos ad id reliquit.

Tribus post annis, idest anno 1718, Sacerdos eiusdem familiae Antonii, qui id temporis pium legatum adimplebat, per S. Congregationem C. obtinuit reductionem Missarum ad annuas ducentas cum obolis viginti pro singulis, datisque simul Archipresbyterali sacrario scutatis annuis duobus et obolis nonaginta pro sacra supellectili.

Anno 1808 alter haeres eiusdem familiae L. supplicem libellum porrexit Rev. Fabricae S. Petri, quo enarravit, se annua ducentarum Missarum obligatione gravari, atque reductionem postulavit ea de causa, quod cum oboli decem pro singulis Missis a Testatore assignati essent, quisque tum Sacerdos quindecim obolos exquireret. His precibus relatis Pio VII. fel. rec., dictae Missae ducentae ad octoginta reductae sunt.

Tertio, anno 1865 alter ex eiusdem familia petiit a S. C. Episc. et Reg. novas Missarum reductiones, eiusque preces reiectae sunt.

(1) Confer causam quam deduxi in *Vol. II. pag. 222.*

Digitized by Google

Cum itaque haberetur quaedam Rescriptorum dissonantia, nec haeres unquam sacrario Archipresbyterali pensitaret scutata 2, 90; cumque modo novam reductionem haeres postularet, quod ea in dioecesi consueta eleemosyna Missarum evecta esset ad obolos 20, Episcopus suggessit Archipresbytero, ut S. Congregationi Concilii exponeret quibus in conditionibus versaretur legatum illud Missarum, ut inde quid agere deberet dignosceret.

Habitas ab Archipresbytero preces S. Congregatio de more remisit ad Episcopum pro informatione et voto, auditis omnibus quorum id interesset in scriptis, et transmissa copia seu exemplari utriusque dicti Rescripti cum precibus per extensum, atque ut Episcopus referret de annuo redditu et oneribus cappellaniae deque bono Oratoris iure. His omnibus plene satisfecit laudatus Episcopus.

Animadversiones haeredis. Haeres L. cuius preces novissime reiectae fuerant a S. C. Epis. et Reg., ait se intelligere haud posse, quamobrem modo, post longum temporis intervallum, fieret mentio de obolis viginti pro singulis Missis deque scutatis duobus et obolis nonaginta pro archipresbyterali sacrario, cum in precibus anno 1808 Rev. Fabricae S. Petri oblatis, nullum de illis verbum haberetur, sed tantum de decem ad quindecim usque obolos Missarum stipendium protrahendum postulatum esset: eo vel magis, quod praesenti tantum aetate, consuetudo ea in dioecesi coepta esset protrahendi dictum stipendium ad obolos viginti.

Nec posse redargui preces tum exhibitas tamquam falsitati innixas, cum Episcopus id temporis in sacra visitatione Rescriptum recognoverit statueritque Missas octoginta, praescripta eleemosyna obolorum quindecim pro singulis, ac praeterea nihil; et insuper subsequens observantia per annos quinquaginta id confirmaverit.

Primum Rescriptum, si nunc negari non posset, cum tamen elapsos fuisse diceret centum et quinquaginta annos, indecorum esse concludebat adversus quae gesta fuerant tot annorum intervallo nunc insurgere.

Addidit praeterea huius cappellaniae laicalis dotem iuxta primaevam fundationem consistere in annuis scut. 48, et obol. 90.

Quae regererет Archipresbyter. Hic Decretum protulit Episcopi anni 1718, quo in sacra visitatione recognovit ducentas Missas esse celebrandas cum stipendio obol. 20, atque praeterea scut. 2, 90

Digitized by Google

supellectilibus applicanda. Innuit idem Archipresbyter, anno 1808 Oratorem haeredem haud exposuisse in precibus, legatum iamdiu reductionem passum fuisse, quod si exposuisset, reductionem illam seu compositionem cum R. Fabrica certissime haud obtinuisset.

Adnotavit insuper, fundos cappellaniae, eos antiquitus non fuisse, quos in praesentia indicabat haeres, cum idem Archipresbyter testaretur, se audivisse ab anno 1832 antiquos cappellaniae fundos in alios fuisse conversos.

Caeterum admissa etiam veteri aestimatione fundorum, cum redditus imminuti haud essent, quod et haeres concedebat, iisdemque sustineri apprime posset onus ducentarum Missarum cum obol. 20, nec non emolumentum sacrario quotannis pensitandum, non opparere causam, cur Missae essent reducendae.

Dubium

« An et quomodo consulendum sit in casu. »

Responsio. S. Congregatio Concilii expensis precibus in comitiis habitis die 17 Aprilis 1869 respondere censuit: *Affirmative ac celebratis Missis triginta, oblatisque libris sex cerae albae elaboratae sacrario Ecclesiae, pro gratia absolutionis ac condonationis super praeteritis omissionibus: quo vero ad futurum, firmo onere persolvendi annua scutata duo et obolos nonaginta supradicto sacrario, servetur reductio ad annuas Missas biscentum iuxta Rescriptum anni* 1718, *facto verbo cum SSmo, et Episcopus curet, onus describi in tabella, nec non in tuto poni bona et iura pii legati.*

Ex quibus colliges:

I. Pia Missarum legata, quae haeredibus imponantur, iisdem fundis relictis, negligentiae et subversioni esse facile obnoxia.

II. Cum fundi seu bona ad piam causam sint relicta, ideoque Ecclesiae a Testatore obligata, officium esse Ordinarii eadem bona tutandi, cum vindex ipse sit tum ecclesiae iurium tum piarum voluntatum (1).

III. Colliges, primam reductionem, haerede postulante, obtentam, secum tulisse quidem imminutionem Missarum, non autem reddituum.

(1) Confer quae scripsi in *Vol. II. pag. 569 et seqq.*

Digitized by Google

IV. Secundum reductionis Resciptum subreptitium fuisse, ideoque nemini posse suffragari.

V. Colliges demum, longam observantiam, quae innitatur titulo ex sese nullo in detrimentum piae voluntatis contra apertam praestitutam legem, praescriptionis vim non habere.

MISSAE CONVENTUALIS.

Die 17 Aprilis 1869.

Compendium facti. Episcopus Dioecesis N. saeculo decimoquinto pereunte ad preces Cappellanorum in sua Cathedrali existentium unionem quamdam Beneficiorum fecit.

Namque considerans Episcopus, plures esse in eadem ecclesia cappellanias institutas, et propter exiguas et insufficientes earum dotes ab eadem ecclesia pro maiore temporis parte plures Cappellanos abscedere non sine gravi nocumento divini cultus; considerans e converso, quod si omnes fructus singularum cappellaniarum in unam Massam, idest cumulum, redigerentur et inter Cappellanos residentes et inservientes distribuerentur, numerusque cappellanorum ad duodecim tantum coarctaretur, prospectum fuisset dictis inconvenientibus: de consensu Capituli et cappellanorum ordinaria auctoritate unionem et supressionem illam fecit, atque sequentia onera Cappellanis iniunxit, idest, ut « Omnes » Cappellani praedicti singulis feriatis et festivis infra hebdo- » madam occurrentibus unam cantare et Sancta recitare, Do- » minicis vero diebus... ad decem Missas recitare tenerentur, ita » quod singulis festivis et feriatis septem perpetuo, et Dominicis » diebus...decem Missae per eosdem Cappellanos in eadem ecclesia » celebrarentur, deputarenturque per eos quatuor ex eis, qui » Missas huiusmodi infra hebdomadam decantare deberent, ad- » stringerenturque etiam diebus Dominicis praedictis de Diacono » et Subdiacono, qui in dicta ecclesia decantandae Missae deser- » viant providere... Et insuper quod omnes Cappellani in civi-

» tate (N.) pro tempore praesentes, legitimo cessante impedi» mento, Dominicis et festivis, aliis vero non festivis diebus » media pars eorum etiam sic praesentium et non impeditorum » horis canonicis et divinis officiis in praedicta ecclesia interesse » tenerentur... »

Pro firmiori autem huius dispositionis subsistentia, tum Episcopus, tum Capitulum, tum Cappellani Apostolicae Sedi supplicarunt, ut robur confirmationis adiiceret: quam quidem confirmationem per Literas in forma Brevis anno 1498 obtinuerunt.

Post haec, diuturnum silentium usque ad annum 1723, quo tempore Promotor fiscalis Curiae S. Congregationi Concilii exposuit: *diebus festivis Missam Conventualem a Canonicis celebrari duobus adsistentibus Beneficiariis, quin tamen ea applicaretur pro Fundatoribus et Benefactoribus; diebus autem ferialibus Missam Conventualem celebrari ab uno ex Beneficiatis absque ulla adsistentia; eamdemque neque pro Fundatoribus applicari:* ideoque sequentis dubii resolutionem postulavit: « An Canonici ecclesiae » cathedralis et parochialis *(Dioecesis N.)* sub poena suspensionis » a divinis ipso facto incurrenda debeant applicare Missam con» ventualem pro Benefactoribus diebus festivis, et Cappellani » diebus ferialibus, ut fuit ab hac S. Congregatione resolutum » in *Fulginatensi* 17 Decembris 1718 et illas adnotare in libro » retinendo pro adimplemento dictarum Missarum in casu. » Cui S. Congregatio affirmativum dedit responsum; quod Cardinalis Praefectus S. C. C., Secretario id temporis Lambertini, per has literas communicavit: *Relatis in S. Congregatione Concilii adiunctis precibus Promotoris fiscalis istius Curiae episcopalis, Emi Patres inhaerentes Resolutionibus alias hac de re editis et signanter in Fulginaten.* 17 *Decembris* 1718, *cuius exemplar introducitur, Amplitudini tuae committendum esse censuerunt, prout per praesentes committimus, ut tam Missam Conventualem, quam parochialem celebrari et applicari mandet cum facultate imponendi contravenientibus poenam suspensionis.*

Hoc Decretum die 24 Aprilis 1823 per Episcopum fuit iudicialiter notificatum et intimatum Capitulo et Beneficiatis pro eius omnimoda observatione sub poena suspensionis ipso facto incurrendae.

Verum, tam Canonici, quam Beneficiati aegro animo Resolutionem hanc exceperunt: imo Beneficiati protestasse dicuntur penes

Curiam episcopalem et ad S. C. C. confugisse. Hoc tamen certum exploratumque in facto est, quod anno 1730 idem Episcopus edicere coactus sit, « ut singulae Dignitates et Canonici applicare » debeant Missam Conventualem pro Benefactoribus et Funda- » toribus, et Missam parochialem pro populo omnibus diebus » Dominicis et festivis, et Beneficiati eamdem applicare debeant » singulis diebus feriatis ut supra pro Benefactoribus et Fun- » datoribus sub poena suspensionis incurrendae ipso facto. »

Tum Beneficiati acquieverunt, et, ne celebrans eleemosyna careret, exequi prosecuti sunt quoddam suum temporaneum decretum recipiendi eleemosynam obolorum decem pro singulis Missis ex communi massa.

Attamen, cum iidem querimonias saepe sepius de hac re moverent, denique anno 1868 libellum Sacrae Congregationi Concilii obtulerunt ut controversia prout de iure resolveretur. Servatis itaque de more servandis quaestio dirimenda proposita est sub dubitandi formula, quae in calce prostat.

Disceptatio synoptica.

Iura quae deducebant Beneficiati. Inter plura quae deducebant tum Beneficiati tum Canonici, haec praecipua exponimus. Beneficiati adversus Canonicos contendebant onus Missae conventualis ad tramites communis iuris ad Canonicos spectare argum. *ex cap. Cum creatura, de Celebr. Miss.* in quo Honorius III. universis ecclesiarum praesulibus scripsit: *Mandamus qualenus nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis quominus et pro anniversariis defunctorum et pro festo vel feria, secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis*. Et plures commemorabant auctoritates, quae de generico officio celebrandi Missam conventualem agunt quo tenentur ecclesiae collegiales et cathedrales.

His praenotatis, contendebant, Canonicos non potuisse reiicere onus Missae conventualis in Beneficiarios nisi ex particulari fundationis lege aut ex aliqua legitima conventione. Inquiebant autem in praesenti themate utrumque deesse; et frustra Canonicos confugere ad nuper expositas Literas in forma Brevis edicentes, ut *omnes Cappellani praedicti singulis feriatis et festivis infra hebdomadam occurrentibus unam cantare et sancta recitare...*

Digitized by Google

tenerentur: namque tum inusitatam dicendi formulam *unam cantare;* tum praescriptionem, *singulis feriatis et festivis infra hebdomadam diebus,* cum festis diebus ipsi nunquam, sed Canonici cantarent; tum ut *quatuor* dumtaxat deputarentur *ex eis, qui Missas huiusmodi decantare deberent,* cum onus Missae conventualis universo Beneficiatorum collegio imponendum fuisset, satis indicare, affirmabant, heic haud agi de Missa conventuali, sed potius de alia quavis Missa quae ex particulari institutione decantari a Cappellanis id temporis debuisset: eo vel magis, quod ex tenore Brevis, Missa illa *una* esset ex iis *septem* quae *singulis festivis et feriatis diebus* ex particulari profecto institutione celebrari debebat.

Excludère praeterea curabant onus Missae Conventualis, 1° quod inter onera Beneficiatis imposita nunquam illa fuit recensita: 2° quod Ordinarii in actu S. Visitationis pluries testati sunt de recto onerum implemento, licet Missae conventualis celebratio in libris indicata defuerit: 3° quod eiusmodi onus anno 1723 Episcopus primo Beneficiatis imposuerit non sine eorumdem protestationibus. Haec autem opportunis documentis ostendere curabant.

Nec ex vi alicuius contractus seu lègitimae conventionis Beneficiarios ad eiusmodi onus teneri arguebant praesertim ex eo, quod nullum emolumentum sibi fuerit unquam repensum; cum omnes redditus quos ipsi Beneficiarii perciperent certam causam haberent et peculiarium onerum satisfactionem: quod adeo verum esset, ut post Decretum anni 1723 ipsi nunquam applicaverint Missam pro Benefactoribus in genere, sed pro Benefactoribus in specie.

Frustra autem, inquiebant, Canonicos ad consuetudinem confugère; quae quidem si haberetur abroganda esset utpote iurium laesiva et omni ratione destituta: eo vel magis, quod illa introducta dicenda foret, reclamantibus undique Cappellanis.

Iura Canonicorum. Canonici per Defensorem animadvertebant, falsum esse, id quod tamquam generale principium asserebant Beneficiarii, onus Missae conventualis in Canonicos tantum incumbere. Namque cum haec Missa sit *praecipua Officii divini pars,* Can. *De his dist.* 12, Glossa in *Clem.* 1 *de Celeb. Missar.* eam incumbere universim in Dignitates, Canonicos, Mansionarios caeterorumque Clericorum ecclesiarum collegiatium et cathe-

Digitized by Google

dralium qui Beneficia choralia obtineant, quemadmodum tradit Benedictus XIV. in celebri Constitutione *Cum semper oblatas:* idque haberi penes S. C. C. passim et nominatim in *Maceraten. Missae conventualis* 31 Martii 1861 *per summaria precum,* in qua Beneficiarii aeque ac Canonici Missam Conventualem celebrare et applicare per turnum coacti sunt ea de causa, quod Beneficiarii ad tramites iuris non minus quam Canonici onus istud subire tenerentur.

Verum in praesenti themate non tantum ex communi iuris sanctione Beneficiarios ad eam teneri, sed etiam ex peculiari lege fundationis, vi contractus perpetuaque observantia. Et plane constare, inquiebant, ex Literis Apostolicis fundationis, contractum intercessisse inter Episcopum, Canonicos ipsosque Cappellanos Apostolica Auctoritate firmatum, quo statutum est, Missam conventualem, exceptis diebus Dominicis, ab iisdem Beneficiariis eam celebrari oportere et reapse perpetuo celebratam ab iisdem fuisse.

Nec ea verba, ut *omnes Cappellani... unam cantare,* intelligi aliter posse, quam de Missa conventuali, cum cantus eiusdem maxime conferret ad servandum augendumque divinum cultum, ob quem unio cappellaniarum facta fuerat: eamque Missam confundi non posse cum peculiaribus legatis satisfaciendis, cum solemnia anniversaria a Beneficiariis adimplenda quotidiana esse non possent, neque ratio suppeteret, ob quam illa Missa tantum distingueretur inter caeteras aequa proportione vi legatorum ab iisdem celebrandas.

Quod deputati fuerint quatuor Cappellani ex eis, qui eam cantare deberent, negotii nihil esse, cum nos non possimus de omnibus, quae a maioribus nostris tradita sunt, rationem reddere; cumque eadem difficultas maneret licet ea Missa conventualis non esset.

Quod si modo Canonici Missam conventualem cantarent non solum Dominicis diebus sed etiam festivis, id ostendere tantum, progressu temporis imminutum fuisse Beneficiatis dictum onus.

Praeterea onus eiusmodi mirifice confirmari inquiebant ex perpetua consuetudine, quae est optima legum interpres. Documentis enim adductis manifestum esse inquiebant, quod non modo a tempore editi Brevis, sed a remotissimis annis eiusmodi onus Cappellanos gravaverit. Ac multa documenta adducebant Canonici

Digitized by Google

quibus adversus Beneficiatos constantem consuetudinem de qua agimus ostendebant.

Falsum autem esse, eiusmodi onus Beneficiatis fuisse impositum anno 1723, cum tum ageretur non de Missae conventualis celebratione, sed de eius applicatione pro Benefactoribus in genere.

Hisce aliisque fuse deductis propositum est resolvendum

Dubium

« An et a quibus celebranda et applicanda sit Missa con» ventualis in casu. »

Resolutio. S. Congregatio Concilii, causa cognita in comitiis habitis die 17 Aprilis 1869, respondere censuit: *Affirmative per Beneficiatos.*

Ex quibus colliges:

I. Missam conventualem, quae originem ducit a vetustissima Ecclesiae disciplina, qua conventus fidelium habebantur ad publicas Missas, celebrandam esse in ecclesiis cathedralibus et collegiatis.

II. Eiusmodi officium ex se incumbere in solidum in omnes qui ad choralia officia tenentur, quae ad Missam conventualem diriguntur tamquam ad fastigium eorumdem divinorum officiorum.

III. Distributionem tamen huius officii pendere a legibus fundationum, a conventionibus legitime initis, praesertim vero a consuetudine, quae hac in re multum operatur.

IV. In praesenti themate, omnia aut fermé omnia Beneficiariorum petitioni obstitisse (1).

(1) Confer Causam huic ex parte affinem, quam deduxi in *Vol. III. pag. 363*, nec non causam expositam in *Vol. II. pag. 194*.

Digitized by Google

DE RETENTIONE PARTIS MANUALIS MISSARUM STIPENDII AD CAUSAM PIAM.

Die 19 Ianuarii 1869.

Supplices preces

Beatissime Pater. — «Franciscus Regis, Abbas et Procurator Generalis Ordinis Cisterciensium Reformatorum vulgo *de Trappa* nuncupatorum ad pedes S. V. humiliter provolutus supplicat pro solutione sequentis dubii.

» Quaeritur saepissime ab Oratore, an Sacerdos qui acceperit numerum Missarum celebrandarum cum eleemosyna viginti obolorum pro qualibet Missa, easque omnes nequit celebrare, possit tuta conscientia aliquas Missas sic acceptas retrocedere aliis Sacerdotibus celebrandas ipsis solvendo tantummodo obolos quindecim pro qualibet Missa, et alios vero quinque obolos in bonum et utilitatem ecclesiae, cuius Rector est, erogare.

» Nonnulli praesertim in Gallia sustinent hoc esse licitum, alii vero contrariam sententiam propugnant. Cum quaestio sit tanti momenti, opportunum Oratori visum est, eam ab Apostolica Auctoritate solvendam proponere.»

Rescriptum. — «Die 19 Ianuarii 1869. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. C. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhaerendo Resolutionibus alias in similibus editis, suprascripto dubio censuit respondendum: *Negative, ad formam* §. *V. ac XXII. ad septimum Decreti sa. me. Urbani VIII. confirmati et ampliati a sa. mem. Innocentii XII, quod vulgo audit, de celebratione Missarum; nempe* §. *V:* Ac similiter omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. §. *XXII. ad septimum:* Permittendum non esse, ut ecclesiae ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum, ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt pro Missarum celebratione, nisi cum ecclesia et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite pos-

Digitized by Google

sint, et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu, curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.»

F. Card. Caterini Praefectus

Petrus Archiep. Sard. Secr.

Ex quibus colliges:

I. Etsi causa impellens Urbaniani Decreti est remotio lucri damnabilis, non tamen damnabili remoto lucro, licere partem eleemosynae manualis Missarum proprio arbitrio subtrahere et in aliam piam causam convertere.

II. Praecisione enim facta a speciali Urbaniano Decreto, res ex universali ecclesiastica lege prohibita est, qua traditur, ea bona, quaecumque sint, quae in aliquam determinatam causam piam a fidelibus tradantur, neminem, auctoritate propria, in aliam quoque piam alienam causam quamvis utilius convertere posse (1).

(1) Decreta superius allegata non continent prohibitionem rei non prohibitae, sed rem iam prohibitam in generali ecclesiastica lege, nova peculiarique prohibitione confirmant. Generalis siquidem lex traditionalis est, ut res, quae Ecclesiae a fidelibus dantur, ipso actu quo dantur res ecclesiasticae evadant atque sub dispositionem veniant competentis auctoritatis, ita ut privati, quibus facultas a largiente facta non fuerit, non possint, de his pro arbitrio disponere. Item alia generalis lex traditionalis est, ut res a fidelibus oblatae ad aliquam determinatam piam causam non possint privata auctoritate in aliam piam causam etiam meliorem utilioremque converti. Harum legum generalium transgressio quoad elemosynas Missarum non statim patefacit suam inhonestatem, cum de rebus minimis agatur: sed cum sese ample protendit tum oculos percellit, atque inde opus est, ut per peculiaria Decreta abusus invalescentes coerceantur. Cum tempore Urbani VIII. abusus invalesceret retinendi sibi partem eleemosynae in proprium lucrum captandum, hic abusus per peculiare Decretum fuit coercitum, quem Benedictus XIV. nova sanctione confixit, de qua re iuxta doctrinam S. Alphonsi de Ligorio locuti sumus in *Vol. III. p. 555*.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

ORDINIS CARTHUSIANORUM

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVAE DEI

SOR. BEATRICI AB ORNACIEUX

MONIALI PROFESSAE ORDINIS CARTHUSIANI

BEATAE NUNCUPATAE

DECRETUM. « Quum Rm̃us Pater Fr. Iosephus Maria Rivara Sacerdos Professus et Postulator Generalis causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Carthusiani ex indubiis monumentis demonstrare adlaboraverit Servae Dei Beatrici ab Ornacieux Moniali eiusdem Ordinis in Oppido Parmeniae Dioeceseos Gratianopolitanae publicum et ecclesiasticum Cultum ab immemorabili tempore, nempe longe ante centenariam a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII. requisitam, fuisse tributum, eumque Cultum nunquam intermissum ad haec usque tempora perseverare, institeritque ut ab hac Sede Apostolica idem Cultus confirmaretur; Em̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Ioannes Baptista Pitra huius Causae Ponens, ad preces enunciati postulatoris, sequens dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum hodierna die ad Vaticanum habitis, nimirum – *An constet de Cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praedictae Servae Dei, seu de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII?* Em̃i vero et Rm̃i Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore voce et scripto sententiam suam proferente, rescribendum censuerunt – *Affirmative* seu *constare de casu excepto.* –

Digitized by Google

» Super quibus omnibus facta postmodum per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavitque Cultum publicum et ecclesiasticum ab immemorabili praestitum Beatae Beatrici ab Ornacieux Moniali Carthusianae. Die 15 Aprilis anno eodem.»

C. Epis. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

INFORMATIO.

Post plura documenta diligentissime collecta ad ostendendum cultum publicum ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum ancillae Dei Beatrici ab Ornacieux, informatio de more conscripta Romae est, eaque exhibita S. Congregationi cum animadversionibus R. P. D. Promotoris Fidei et cum responsionibus Oratoris ad animadversiones diluendas.

Referimus partem praecipuam informationis, omissa disceptatione, utpote quae tota versatur circa peculiarium factorum interpretationem, cum Promotor contenderet allegata facta nihil continere, quod ostenderet cultum publicum ecclesiasticum Beatrici fuisse exhibitum; contra vero Orator demonstraverit, facta et documenta exhibita secumferre signa praeclara publici ecclesiastici cultus.

Ad informationem autem quod attinet, haec clarus Orator exposuit.

« Beatrix ab Ornacieux, perillustri genere nata saeculo XIII. mundi illecebras fastidiens inter Carthusianas moniales cooptata est, in monasterio Parmeniae Dioeceseos Gratianopolitanae, quod per eam aetatem regulari observantia, et Sororum pietate maxime excellebat. Ibi magistram habuit in christiana ascesi matrem Margaritam a Duino (quae et ipsa Beatae nomine compellata fuit); et adeo in perfectionis studio profecit, ut miro atque incredibili amore erga Christum patientem incenderetur. Ut illius imaginem aliquo modo in se ipsa referret et vulnerum eius particeps fieret, acuto clavo manus confodit, neve plagis cicatrices obducerentur, septima quaque die, feria sexta, eas infixo ferro renovabat.

Digitized by Google

» Cum propter virtutes egregias permagni a sororibus aestimaretur, atque ageretur de nova domo constituenda in pago Eymen, Dioecesis Valentinae, Beatrix una cum duabus sociis Ludovica Alleman et Margarita de Sassenage eo missa est, ut novi Monialium coetus quasi nucleus et typus fierent. Neque exitus spem mittentium fefellit; nam tres sorores in novo coenobio suavem Christi odorem diffuderunt, et celebrem apud homines sanctimoniae famam etiam post obitum consecutae sunt, Beatrix praesertim, quae virtutibus eximiis non modo, sed et prodigiis vivens inclaruerat diemque supremum feliciter obiit die 13 Februarii anno 1305, testibus Usuardo, B. Petro Canisio, De Saussay, Arturo du Moustier et Bollandistis. Post earum obitum evenit, ut nova domus propter vicinitatem saecularium minus apta Sanctimonialibus videretur: quare hae discesserunt et Parmeniam reversae sunt. Cepit autem, non multo post, sanctimoniales foeminas flagrans desiderium sororum trium reliquias habendi, quarum corpora coemetrio Eymenii quiescebant, ac Vicarium rogarunt ut rem perficeret. Annuit ille, et non sine magnis difficultatibus obtinere potuit, ut sibi sacra illa pignora efferre liceret. Reditus impediebatur fluvii ac torrentis aquis, quae propter imbres praeter modum excreverant. Verum immisso iumento, quod monialium reliquias vehebat, depressae sunt aquae et fecerunt locum transeunti. Potitae sorores optimis reliquiis eas cum gaudio exceperunt et lapideo sepulchro ad pilam templi asservarunt.

» Ex eo tempore in opinione hominum Beatrix sancta habita et compellata fuit. Vetustissimus Biographus qui historiam vitae vernacula lingua exaravit Sanctam eam nuncupat, eiusque miracula enarrat.

» Praeter hoc insigne documentum testis supparis, cuius sinceritas a viris peritis rite deputatis recognita fuit, demonstrat cultum exhibitum servae Dei saeculo XIV. auctoritas Hermanni Greven, qui in Auctuario ad Usuardi Martyrologium ita nomen Beatricis inseruit: *Beatae memoriae Beatrix Virgo Ordinis Carthusiensis, quae tam ardenti amore ad Christi vulnera ferebatur, quod nisi vulnera cogitare, nihil nisi vulnera posset appetere.* Perdurasse autem cultum saeculo XV. et initiis saeculi XVI. antequam centenarium praescriptum ab Urbano VIII. inciperet,

demonstrant documenta Iconographica, quae vir clarus Antonius Bianchini hac occasione expendit; itemque Petri Dorlandi testimonium et Martyrologii Usuardiani editio, quae Coloniae confecta est anno 1521.

» Inter eos, qui, centenario Urbaniano vertente, cultum Beatrici exhibitum nos docuere, principem locum dabimus B. Petro Canisio, qui anno 1561, ut notat clarus eius Biographus P. Boero, correxit et multo auxit Martyrologium Germaniae quod vertit et publicavit in Germanicam linguam. Hoc typis vulgavit anno insequenti, mentionemque et elogium Servae Dei inibi complexus est illis iisdem verbis quae nuper retuli. Sustentant et communiunt Canisii testationem monumenta praeclara artis pictoricae, calcographicae et architectonicae. Prostat enim in veteri Brugensi coenobio sanctimonialium Carthusianarum picta Beatricis imago una cum icone S. Brunonis aliorumque quos fideles tamquam Sanctos colebant. Hanc tabulam ante exitum saeculi sextidecimi depictam fuisse periti viri docuerunt. Spectatur etiam in Florentina Carthusia alia effigies Ancillae Dei radiis circumfusa cum subiecta epigraphe. *B. Beatrix monialis Carthusiensis,* quae a Rutilio Manetto circa annum 1600 depicta fuit.

» Extat adhuc in fornice ecclesiae Brugensis Sororum Congregationis S. Vincentii a Paulo (quae ecclesia iam monasterium Carthusianarum virginum fuerat) extat, inquam, conscriptum nomen ancillae Dei hoc modo: *B. Beatrix:* sequuntur autem alia duo: *S. Ugo: S. Bruno.* Ante annum vero 1612 illum fornicem fuisse decoratum ex actis consecrationis templi evincitur. Ad eadem fere tempora referenda est Servae Dei imago calcographica a Malleryo caelata, quae in bibliotheca imperiali parisiensi asservatur: itemque effigies iuxta stylum Flandricae scholae depicta in Triptycho a parisiensi Perito recognita. Confirmat horum omnium testimonia, quoad aetatem, quae Urbani VIII. Decreta praecessit, clarus vir Georgius Garnefelt, qui catalogum Sanctorum Carthusiani Ordinis edidit anno 1618, qui inter eos Beatricem adnumerat, et propter peritiam et iudicium exquisitum quo suum confecit opus, mentionem honoris a Benedicto XIV. promeritus est. »

Haec quidem documentis munita commemoravit clarus Orator, quae pertingunt usque ad aetatem solemnium Decretorum

Digitized by Google

Urbani VIII., dein ad documenta posteriora devenit, ac demum ad testium depositiones de quibus sic scripsit.

« Allatis probationibus cumulum adiiciunt depositiones testium, qui auctoritate Illmi et Rmi Episcopi Gratianopolitani examinati sunt. Praeclara sunt et auditu periucunda, quae religiosi illi et ingenui fideles testati sunt. Referunt ii pias peregrinationes ad locum sepulchri Ancillae Dei susceptas, frequentem invisentium et orantium multitudinem, corollas et donaria oblata, tabellas et scipiones appensos, quorum acervo plaustrum onerari potuisset, lampades et cereos accensos, Beatae et Sanctae nomina passim Beatrici tributa, famam denique miraculorum.

» Quod vero mirabile dictu est, etiam eo tempore quo locus a schismaticis occupatus fuit, veneratio erga Dei famulam constanter perduravit. »

ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVAE DEI

ANNAE MARIAE TAIGI

TERTIARIAE ORDINIS SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

DECRETUM. « Instante Rmo Patre Fr. Andrea a Sancta Agnete Vicario Generali Ordinis Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, et Postulatore Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Annae Mariae Taigi praefatae, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Carolus Augustus De Reisach huius Causae Ponens sequens proposuit dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis « *An sententia lata a Iudice delegato ab Emo et Rmo Cardinali Urbis Vicario super Cultu nunquam exhibito praedictae Servae Dei, seu super obedientia Decretis sa. me. Urbani Papae VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum de quo,*

Digitized by Google

agitur? » Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam,* die 20 Martii 1869.

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPAE IX. per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacra Congregationis in omnibus ratum habere et confirmare dignata est die 15 Aprilis anno eodem. »

C. Epis. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

NEAPOLITANA seu ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

FR. IOANNIS BAPTISTAE A BURGUNDIA

SACERDOTIS PROFESSI ORD. MIN. S. FRANCISCI STRICT. OBSERV.

SACRI RECESSUS S. BONAVENTURAE DE URBE.

Decretum. « Decimoseptimo Kalendas Augusti Anni 1868, quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. benigne indulserit, ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Ioannis Baptistae a Burgundia Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci strictioris observantiae Sacri Recessus Sancti Bonaventurae de Urbe ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet eiusdem Servi Dei scripta non fuerint perquisita et examinata; Emus et Rmus Dominus Cardinalis Alexander Bernabò loco et vice subscripti Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationis Praefecti ac praedictae Causae Ponentis ad instantiam Reverendi

patris Fr. Iosephi a Roma Sacerdotis professi memorati Ordinis et huius Causae postulatoris, attentis Litteris postulatoriis plurium virorum ecclesiastica praesertim dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda Commissio introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*

» Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, et ad D. Secretarium cum SSmo iuxta mentem.* Die 20 Martii 1869.

» De praemissis autem a subscripto Secretario facta fideli relatione SSmo Domino Nostro PIO PAPAE IX. Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis de speciali gratia confirmare dignata est ac propria manu signare Commissionem Introductionis huius causae in Sacrorum Rituum Congregatione. Die 29 Aprilis anno eodem. »

C. Epis. Portuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

FIDEICOMMISSI ET LEGATI MISSARUM.

Die 12 Martii 1869.

Compendium facti. Pia testatrix anno 1754 particularem haeredem instituit nepotem suum B. cum obligatione celebrare faciendi in perpetuum quatuor Missas singulis hebdomadis; et sub caducitatis poena prohibuit eidem haeredi eiusdemque successoribus, ne quamlibet haereditatis partem alienarent. Haereditas consistebat in creditis illis publicis, quae tum appellabantur

Digitized by Google

Loca Montium, de quibus diximus in quo consisterent in *Vol. III. pag.* 374. Constituit itaque ut ea *omnia et singula Loca Montium perpetuo subiecta manerent oneri obligationis quatuor Missarum singulis hebdomadis cum prohibitione alienandi, ad securitatem perpetuam celebrationis earumdem Missarum*.

Verum successor Petrus B. anno 1790 haec Loca Montium quae aestimabantur scutatis 2736, Apostolica obtenta facultate, permutavit cum duobus olivetis cuiusdam Laurentii.

Anno 1799, nulla facultate habita, eadem oliveta restituit Laurentio, qui olivetorum pretium non solvit, sed huius loco sibi assumpsit quoddam onus pensitandi annuos census quos ante Petrus contraxerat ut se redimere posset a militari Napoleonico delectu: eidemque insuper Petro eiusque successoribus sese Laurentius solvere obligaverat scutata annua 80, donec fundum eisdem non daret qui hunc redditum tribueret: onus autem Missarum Petrum gravabat ad quarum securitatem inscripta fuit hypotheca super dictis duobus olivetis.

Missae diligenter celebratae fuerunt usque ad annum 1821; postea vero passim neglectae fuerunt. Namque Petrus prima vice anno 1825 obtinuit a R. Fabrica S. Petri absolutionem Missarum 624: anno sequenti Marcus Petri successor reductionem Missarum obtinuit ad triennium, demum anno 1832 obtinuit iterum per S. Poenitentiariam absolutionem praeteritarum omissionum sub conditione decem celebrandi Missas unica vice, atque simul reductionem Missarum ad annuas viginti *durante oratoris suaeque familiae indigentia*.

Verum nec eiusmodi S. Sedis indulgentia sufficiens fuit, ut haeredes propriae obligationi facerent satis.

Denique anno 1868 tres existentes haeredes quaedam pacta inierunt cum Laurentio, quibus duo dicta oliveta ab omni vinculo hypothecario, et Laurentius a quavis obligatione liberandus esset, soluta unica vice haeredibus vi pecuniae scutatorum 1500. Namque existimarunt eam haereditatem non aliud esse nisi fideicommissum, et ideo, post gallicas leges, quae vincula fideicommissaria etiam in Ditione Pontificia solverant, in eorum esse potestate haereditaria bona alienare, salvo manente Missarum legato.

Convenit itaque inter eos, ut Laurentius eam vim pecuniae daret, et haeredes pro pio legato constituerent scutata 150 subii-

Digitized by Google

cienda vinculo pro satisfactione Missarum, implorata simul nova perpetuaque reductione; cum Missarum eleemosyna ea in dioecesi aucta esset ab obolis 10 ad obolos 15.

Episcopus rogatus in ea opinione erat, ut ea pacta confirmarentur habita ratione gravis inopiae qua haeredes dicti laborabant, ita tamen, ut scutata 150 darent ecclesiae collegiatae N., qua datione, et haeredes in posterum ab obligatione pii legati liberarentur, et ecclesia N., ea pecunia investimento tradita, obligaretur ad celebrandas singulis annis Missas duodeviginti in satisfactionem piae voluntatis.

Antequam eiusmodi preces S. C. Epis. et Reg. proponerentur, habita ratione rerum quae aliquatenus implexae erant, ex officio nonnulla utrinque sunt animadversa; quae animadversiones apud S. C. Epis. et Reg. veniunt sub nomine *Consultationis*, et eae sunt quae sequuntur.

Disceptatio synoptica.

Ea quae suffragabantur precibus haeredum. Certum esse videri, observabatur, in testamentaria dispositione de qua agimus contineri verum fideicommissum, quod in eo consistit, *ut aliquis recto iure testamento haeres instituatur eiusque fidei committatur ut eam haereditatem alii restituat,* ceu tradidit Iustinianus Imperator *Instit. l.* 2 *tit.* 2 §. 2. In praesenti autem themate utrumque haberi et institutionem haeredis in Locis Montium, et prohibitionem alienandi quamvis etiam minimam partem; quam quidem prohibitionem implicite continere atque secumferre obligationem haereditatem successoribus restituendi, Peregrin. *de Fideicomm. art.* 18 §. 2, S. Rota *decis.* 118 *n.* 25 *coram Ansaldo,* et in *Romana Locorum Montium* 31 *Ianuarii* 1834 *coram De Avella n.* 3. Eo vel magis, quod, testatrix, in codicillo, agnatos et cognatos instituti haeredis substituerit, qua inducitur illud fideicommissi genus, quod Auctores graduale appellant, Voet *ad pand. l.* 36 *tit.* 1 *n.* 3.

Posita igitur fideicommissi ratione, consequi, illud fuisse comprehensum legibus gallicis, cum in lege 6 *Termidoro anno V. art.* 2 dispositum fuerit: *a promulgatione praesentis legis quodvis vinculum fideicommissarium solutum declaratur sub quocumque nomine nun-*

Digitized by Google

cupetur. Bona subiecta vinculo fideicommissario intelliguntur libera in persona actualis possessoris, quae de his disponere potest sicuti de quibusvis aliis bonis. Item in Codice Napoleonico *art.* 896, vetabatur *quaevis substitutio*, qua aliquis deberet *conservare et restituere haereditatem sive legatum sive donationem alteri.*

Animadversum quidem est, eiusmodi leges non potuisse vim suam exerere in Pontificia Ditione in qua gallicus dominatus et illegitimus erat et sacrilegus; attamen Pium VII. *Motu proprio* diei 6 Iulii 1816, abolitionem vinculi confirmasse in illis bonis, quae iam transiverant in potestatem aliorum possessorum. Cum itaque duo oliveta, quae, habita facultate, subrogata fuerant Locis Montium, in dominium Laurentii regressa essent ab anno 1799, videri eo ipso vinculum fideicommissarium fuisse solutum.

Nec obstare videri prohibitionem factam intuitu oneris perpetui Missarum, quasi vero substitutio facta esset in causam piam, idest in veram cappellaniam laicalem. Observabatur enim causam piam non partecipasse nec proprietatem nec usumfructum Locorum Montium, quorum alienatio ea tantum de causa prohibita fuerat, ut *in perpetuum manerent subiecta oneri Missarum... pro perpetua securitate celebrationis Missarum.* Cum itaque Loca Montium destinata haud esset tanquam dos piae causae, nec ullus Cappellanus designatus esset in possessionem dotis in onerum satisfactionem, videri testatricem, non voluisse veram cappellaniam laicalem, sed merum Missarum legatum, Pasqualig. *de leg. pro celebr. Miss. q.* 1640 *n.* 9, ideoque prohibitionem alienandi non aliud secumferre nisi vinculum hypothecarium in securitatem oneris adimplendi penes quemvis fundorum possessorem, ut his in adiunctis docent Tondut. *quaest. benef. t.* 2 *p.* 3 *qu.* 162 *n.* 5, Pasqualig. *de Sacrific. t.* 2 *q.* 1623.

Quod si vinculum fideicommissarium subsisteret adhuc, observabatur, supplicantes et in senectute, et gravi inopia versari cum familiis propriis alendis, ideoque commiseratione dignos videri, ut eorum preces exaudirentur, sanatione concessa pro contractibus iamdiu initis in bonis fideicommissariis; hisce enim in adiunctis iure permitti derogationem his vinculis sive ad alimenta procuranda, sive ad aes alienum ex necessitate a possessore contractum dimittendum, Cardinalis De Luca *de Fideicommissis disc.* 273 *n.* 12.

Digitized by Google

Quin imo, easdem supplicantium miserrimas conditiones suffragari reductioni pii legati, sive ex praesumpta voluntate testatricis, quae certe favore prosecuta fuisset descendentes ex praedilecta familia si eius angustias praevidisset, ut passim in similibus causis penes S. C. C. perpenditur; sive ex Ecclesiae benignitate, quae per has reductiones identidem succurrit indigentiis eorum, qui ad satisfacienda legata tenentur, ut apud S. C. C. videre est in *Albanen*. diei 24 Martii 1792, in *Mutinen*. 24 Martii 1821, in *Ravennaten*. 2 Augusti 1823 et alibi.

Eamdem indulgentiam eosdem haeredes promereri videri ob Missas hactenus neglectas, in qua concedenda duo considerari solere, ut pium legatum neglectum non fuerit ex culpa vel ex fraude, nec possit ob inopiam impleri.

EA QUAE PRECIBUS OBSTARE VIDEBANTUR. Animadversum tamen est, posse obstare voluntati supplicantium ea quae sequuntur. Substitutiones fideicommissarias argui non posse ex sola prohibitione alienandi, uti perpendit Card. De Luca *loc. cit. disc.* 101 *n.* 8. « Non sola prohibitio attenditur, sed ratio prohibitionis. » Verum rationem prohibitionis in praesenti themate fuisse *securitatem perpetuam celebrationis Missarum ut omnia et singula Loca Montium subiecta semper essent in perpetuum oneri et obligationi Missarum*. Quare videri, testatricem determinasse proprietatem directe in piam causam, eamque causam, idest cappellaniam, constituisse tamquam haeredem proprietariam et usumfructum suis descendentibus.

Haec videbantur confirmari posse ex eo quod testatrix, etsi facultatem fecit haeredi celebrare faciendi eas Missas a quovis et in quovis altari, voluit tamen, ut donec suus nepos filios Sacerdotes non haberet, eas Missas celebraret quidam presbyter Philippus: quam dispositionem secumferre videri quoddam iuspatronatus, quo alterum habebatur iudicium, testatricem constituisse laicalem cappellaniam cuius usumfructum agnati et cognati percipere deberent: quod idem est ac dicere, haeredes fuisse simul Cappellanos seu cappellaniae possessores, cuius Missas celebrabant per alios.

Hisce autem positis substitutio agnatorum locum habuisset in usumfructum dumtaxat: quod si lex gallica 7 *Fiorile anno* 7 prohibuerit etiam usufructum progressivum in plures generatio-

Digitized by Google

nes, id tamen coercebatur ad usumfructum causalem, ut pluries declaravit S. Rota; cum e converso ususfructus formalis in *art.* 899 *Codicis Napoleonici* declaratus ita est: «*non considerabitur tamquam substitutio, et valida erit dispositio, qua uni detur ususfructus, aliis vero nuda proprietas.*» *Et in art.* 112 *Codicis Pii VII.* post tractatum de abolitis fideicommissis legitur: *reservationes iurium patronatus activi et passivi non comprehenduntur in praecedentibus dispositionibus quae respiciunt substitutiones et fideicommissa:* quare sub profanis illis legibus dispositio de qua agimus nec comprehendi videbatur, nec comprehendi potuit.

Manente itaque integro utroque vinculo tum cappellaniae tum haeredum Cappellanorum, implorata derogatio in damnum cederet tum cappellaniae tum futurorum successorum, quas gratias in iurium aliorum detrimentum concedere Princeps non solet, cap. *Si quando de Rescrip.* 17, *Cod. de precib. Imper. offer.*

Facta praeterea quoque hypothesi, contineri sub dispositione de qua agimus simplex fideicommissum cum onere ligati Missarum, ita ut vinculum fideicommissarium solutum manserit ob gallicas leges, cum tamen testatrix voluerit, ut singula bona subiecta essent oneri Missarum, consequi observabatur, dicta oliveta ab hoc onere solvi non posse, transire quidem posse ad quoscumque extraneos manente tamen eo onere, Fargna *de Iure-patr. par.* 2 *can.* 27, *cas.* 20 *n.* 8, aliique. Quare nec Laurentium ius habere ad auferendum vinculum hypothecarium ab olivetis, neque expedire pio legato, ut idem vinculum transferatur in tenuem haereditatis partem.

Nec insuper aequam videri novam Missarum imploratam reductionem, tum quia ultima reductio concessa esset cum clausula: *durante oratoris eiusque familiae indigentia:* tum quia summa scutat. 150 investienda fructus sufficientes afferre posset pro integra legati satisfactione, si ex redditibus tot celebrarentur Missae quot possent, ut S. C. C. respondit in *Forolivien.* 11 Iunii 1825 ad dubium: « An et quomodo sit concedenda reductio Missarum » in casu: » cui responsum prodiit: *Affirmative ad tot Missas, quot redditus; tradito tamen fundo favore ecclesiae et Episcopus curet transcriptionem.*

Digitized by Google

Hisce animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An constet de abolitione substitutionis favore descen- » dentium B... sive potius derogari eidem debeat ac sanari alienatio anni 1799 in casu.

II. » An expediat oliveta solvere ab onere Missarum, ita u) » investienda sint ea de causa scutata 150 in favorem ecclesiae (N.) » in casu.

III. » An et quomodo annuendum sit imploratae absolutioni » et reductioni in casu. »

Resolutio. S. Congregatio Episcoporum et Regularium causa cognita die 12 Martii 1869 respondere censuit:

Ad I. *Affirmative ad primam partem: ad secundam provisum in prima.*

Ad II. *Affirmative in omnibus iuxta modum prescribendum in tertio.*

Ad III. *Quoad absolutionem affirmative iuxta modum: modus est, ut cura Episcopi desumantur ex summa persolvenda ab equite* (Laurentio) *scutata tria impendenda in celebrationem Missarum viginti pro unica vice tantum: quoad reductionem in futurum ad mentem: mens est, ut summa scutatorum* 150, *tradenda quamprimum ecclesiae collegiatae, Episcopi cura investiatur atque ex ea tot Missae quotannis celebrentur, quot ex redditu celebrari possunt iuxta taxam synodalem, atque ita suppresso omni iure nominationis quoad familiam* (B.), *facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Dari quaedam fideicommissa seu substitutiones haereditarias, ita cum causa pia commixtas, ut non statim iudicari possit, an proprietas ad causam piam pertineat, vel potius causa pia sit merum perpetuum pium legatum cum haereditate substituenda coniunctum.

II. Existente civili lege, quae substitutiones fideicommissarias solvat, multum interesse dignoscere, an proprietas ad causam piam pertineat vel secus.

III. Pertinente utiliter proprietate ad causam piam, civiles leges nullam vim iure exerere posse in praestitutas bonorum dispositiones.

Digitized by Google

IV. Quoties vero proprietas ad causam piam non pertineat, receptum esse, posse civiles leges disponere de eisdem substitutionibus fideicommissariis, sarto tamen tectoque manente pio legato, quod per civiles leges nullum pati potest detrimentum.

V. In praesenti themate causam piam fuisse potius quamdam cappellaniam laicalem a vocatis successoribus possidendam et usufruendam, quae tamen vix et ne vix quidem differebat a reali profano fideicommisso cum onere coniuncto praescriptas Missas celebrare faciendi (1).

VI. Eiusmodi fideicommissa, quodammodo obtecta sub velamine causae piae, subiici legibus civilibus de fideicommissis disponentibus, salva semper manente pii legati substautia (2).

VII. Colliges demum, fundos, qui fuerint a testatore perpetuo obligati alicui causae piae, in quoscumque transeant, iugiter oneri causae piae manere subiectos, nisi legitime solvantur.

EPISTOLA SANCTISSIMI PATRIS D. N.

VENERABILIBUS FRATRIBUS IOSEPHO PATRIARCHAE HIEROSOLYMITANO VINCENTIO EPISCOPO MAGIDANO EIUSDEM AUXILIARI ET CLERO SAECULARI HIEROSOLIM. ECCLESIAE.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres et dilecti Filii Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Non levi Nobis consolationi fuit, dum filialis animi officia ex catholico Orbe quinquagesimo anniversario die primi Nostri Sacrificii redeunte, Nobis persolvuntur, luculentas etiam Vestrae erga Nos pietatis significationes excipere. Agnovimus enim, dum Vestra studia intuemur, quo animo sitis erga Nos et hanc Apostolicam Sedem, et quam merito de istius Ecclesiae provectu

(1) Confer causam quam adduxi in *Vol. II. pag.* 329, et ea quae ibidem adnotavi *pag. 331.*

(2) Confer causam quam deduxi in *Vol. III. pag.* 529, *et seqq.* in qua traduntur generalia criteria, quae Romae praesenti aetate obtinent circa eiusmodi quaestiones: item causam quam adduxi in praesenti volumine *pag.* 276, in qua de casu agitur pia legata servandi, etsi ea non recognoscit civilis potestas.

Digitized by Google

confidamus, cum tales sint qui ad excolendi Dominici agri curam operamque vocantur. Quapropter non potuere Nobis non gratissima existere Vestrae gratulationis officia, et pariter fervida vota, quae hac occasione ad divinam clementiam pro Nobis, et pro Ecclesiae Sanctae causa offerre studuistis. Iam vero si Nostrae sollicitudini, quam Ecclesiae universae omnibusque eius filiis debemus, tribuendum esse ducitis, quod Ecclesia ista Deo auxiliante revixerit, Vestrum est, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, hanc vitam eius tueri, atque omni studio et ope curare, ut veteri excusso squalore uberibus Catholicae fidei fructibus efflorescat. Quo vero ex votis Nostris id plane contingat, non omittimus Deum Opt. Maximum adprecari ut vineam istam in sua misericordia respiciat, Vosque ad sui nominis gloriam augendam, in quo omnis gloria Nostra posita est, potenti virtute muniat ac roboret. Dum vero gratissimos Nostri animi sensus Vestrae in nos Pietati testari et confirmare gaudemus, coelestium omnium munerum auspicem, et paternae Nostrae erga Vos benevolentiae testem, Vobis, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu permamanter impertimus.»

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 17 Aprilis 1869. Pontificatus Nostri Anno XXIII.

PIUS PP. IX.

Digitized by Google

APPENDIX XIV.

Quaestio in Belgio agitata de ratione constituendi sacrum patrimonium in suscipiendis sacris ordinibus ex canonico iure requisitum, quae S. Congregationi Concilii proposita fuit die 24 Augusti anno 1850.

Inter graviores causas hisce ultimis annis motas circa nonnulla capita ecclesiasticae disciplinae et S. C. C. propositas, praeter eam quam retulimus in Appendice XII. sequens reperitur.

Brugen.

Tituli S. Ordinationis.

« Anno 1845 Episcopus Brugensis in Belgio supplicem porrexit libellum sa. me. Gregorio XVI. exponens, quod Concilii Tridentini sanctio, ne quis clericus ad Ordines Sacros promoveatur, nisi vel Beneficium ecclesiasticum, vel patrimonium seu pensionem vere possideat quod sibi ad vitam substentandam satis sit, in Belgio usque ad gallicas perturbationes integre custodita, difficilior servatu evasit postquam, suppressis iniuria temporum ecclesiis collegiatis ac Beneficiis simplicibus penitus extinctis, clerici ad Ordines sacros assumendi plerumque bonis patrimonialibus destituti pereriantur. Etenim si paucissimos excipias (tertiam ad summum circiter ordinandorum partem, patrimonio sufficienti provisos, caeteri omnes, vel patrimonium habent a parentibus cum assignatione omnium bonorum confectum, licet partem haereditatis quae caeteris filiis iure debentur, ipsis ita auferantur; aut ex privata charitate obtinent titulum ordinationis, qui tamen nihil habet roboris et utilitatis, ideo quia in forma privata, ut plurimum, praebetur ne taxa maior a fisco percipiatur, atque ita omni iuris civilis praesidio destituitur; vel si in forma authentica conficiatur, hoc in casu nec ullus clericorum deinceps titulum ordinationis ab aliquo benefactore reciperet, si una vice ad solvendos patrimonii fructus adigeretur. Unde non raro accidit, ut substentationem vitae, quam pro infirma valetudine, aliave causa ex munere habere iam nequeunt, clerici ab Episcopo ordinatore cum gravissimo mensae episcopalis onere percipere debeant.

» Cum igitur res ita se habeant, nec affulgeat spes melioris rerum conditionis, ideo praelaudatus Episcopus aliquam pro sua dioecesi provisionem necessario inducendam iudicans, nihil inconsulta Sede Apostolica statuendum arbitratus, supplex rogavit quatenus Sanctitas Sua – *benigne dispensare dignetur in lege Ecclesiae quae exigit ut ex clericis saecularibus nullus ad sacros Ordines promoveatur, nisi vel Beneficium, pensionem, vel patrimonium possideat*

quod ei ad honestam substentationem sufficiat; sed hac conditione, ut singuli ordinandi solvant semel ducentos francos, et insuper ut et hanc dispensationem pro pauperibus necessariam etiam extendere dignetur ad divites, tum propter uniformitatem, tum ut facilius scopus intentus obtineatur. » Hac novissima methodo sibi pollicebatur Episcopus fore, ut deinceps ex fructibus pecuniae, cura Episcopi investimento collocandae, substentationi clericorum, quatenus necessaria esset, provideretur.

» Datis ab hac S. Congregatione die 18 Augusti eiusdem anni Episcopo oratori litteris ea de causa, ut referret cur non magis expediat, ut singuli ordinandi ab Apostolica Sede dispensationem obtineant super integra taxa patrimonii sacri, cum conditione tamen, ut e Seminario non egrediantur, nisi de idoneo Beneficio, vel sufficienti titulo, vel saltem aliquo munere ecclesiastico sint provisi; supradictus Antistes, mandatis obtemperans, renunciavit eam esse dioecesis Brugensis praxim, ut e Seminario clerici non egrediantur, nisi aliquo munere ecclesiastico sint provisi, vel officio instruendae iuventutis fungi debeant; postea vero, plures ex ipsis, cum ex munere emolumenta exigua percipiant, nec patrimonium habeant unde substententur, nec pensionem aliquam a gubernio accipiant, ideo, cum ob infirmitatem, aliave de causa munus exercere amplius nequeunt, tunc ad mensam episcopalem confugium habere unde substententur: ea in conditione versari tum vicarios Parochorum cooperatores, tum clericos munus professoris in scholis publicis exercentes, tum clericos interdum gravi morbo laborantes, antequam ad sacerdotium promoveantur. Propterea Episcopus iterum Sanctissimo supplicavit pro dispensatione patrimonii sacri, nec non pro novissimae propositae methodi approbatione.

» Ex relatione autem Nuntii Apostolici, cui, ut singulorum Belgii Episcoporum sententiam de re hac exquireret, demandatum fuit, deprehenditur, Episcopos Gandavensem, Tornacensem, et Leodiensem Brugensi adstipulari, ea de causa, ut maximae ipsorum animi anxietati, circa huiusce tituli in suis dioecesibus frequentissimi validitatem, finis imponatur; eosdemque desiderare, ut scilicet vel Sanctitas Sua in praedicta praxi tuto procedi posse rescribere dignetur, vel in id assentiri velit quod Episcopi Brugensis petitione continetur, quodque perutile, imo necessarium, nec scandali, sive admirationis in ordinandis, aut in illorum consanguineis periculum praeseferret.

» Episcopo vero Leodiensi id unum placuit, ut scilicet unicuique clerico libertas daretur vel Tridentina, vel nova utendi constabilienda disciplina, et insuper ut, hoc a singulorum ordinandorum solutionibus commune conficiendum aerarium, auctoritate civilis potestatis fulciretur, quo eius securitas firma maneret.

Digitized by Google

» Mechliniensis autem Eminentissimus Antistes aperte significavit, nihil esse in sua dioecesi innovandum, ex eo, quod iamdudum lege dioecesana statutum esset; atque insuper gravissima scandala, ac maximam in ordinandis et eorum parentibus admirationem, si nova esset invehenda praxis, dubio procul suboriri possent.

» Namurcensis Episcopus, licet patrimonii sacri constitutionem in sua dioecesi privata scriptura confectam, omni prorsus iuris civilis praesidio destitui fateatur : attamen a nova quoad hoc introducenda disciplina se maxime abhorrere sensit, tum quia incommodis quae ex hodierna patrimonii constituendi ratione necessario profluunt, facile occurri inquit habito ad Sanctam Sedem recursu pro dispensatione a patrimonii titulo exigendo obtinenda; quam quidem dispensationem nullo unquam in casu sibi fuisse denegatam testabatur : neque haec praxis quidquam inconveniens praeseferret, cum in dioecesi Namurcensi et in Belgio generatim, ad maiores Ordines non promoveantur nisi ii clerici, quos ecclesiae necessitas et utilitas strictius expostulare videatur: hinc fieri, ut dispensatio pro iis tantum clericis urgeatur, de quibus indubia prorsus spes sit fore, ut statim ac sacerdotio aucti, aliquod officium cui honesta pensio a gubernio assignata reperitur, consequantur. Tum ex ea potentissima ratione quod huiusmodi constituendum commune aerarium non satis tutum esse videretur, eiusque conservatio et administratio innumeris propemodum obnoxia esset difficultatibus. Tum quia fructuum inde forte provenientium divisio querelis, murmurationibus, dissidiis et accusationibus, ipso Episcopo minime excepto, viam aperire posset latissimam; ac propterea invehendam disciplinam, tanquam minime necessariam, imo et periculis plenam, pro sua dioecesi penitus reiiciendam esse putavit.

» Post haec, causa plures annos, nemine instante, tamdiu siluit donec nuperrimi Episcopi oratoris successor, hodiernus Brugensis Antistes, relationem status ecclesiae de more mittens, inter caetera, Pontificium Oraculum postulavit circa « *institutionem novae formae tituli clericalis quam ob rerum et temporum circumstantias inducere coactus sum, ne clerici sine titulo reali ad Ordines sacros, ut pridem factum est, deinceps promoverentur. Porro coetera omnia quae a venerando meo praedecessore instituta sunt, aut a me recenter decreta sunt, iudicio Apostolicae Sedis plene et integre subiicio.* » Insuper supplicem porrexit libellum idem Antistes, quo haec quaesivit : « *utrum approbata illa forma tituli clericalis, qui quasi—patrimonialis merito appellatur, seu appellari potest, Notario Brugensi liceat ordinandos omnes, nisi ad titulum patrimonii proprie, vel paupertatis vere vocentur, vocari ad titulum quasi—patrimonialem.* » Et quatenus Apostolica Sedes eam ti-

tuli formam, nec non modum eum appellandi in ordinatione subdiaconi probaverit, quaerit insuper « *utrum haec tituli denominatio inseri possit in futura aliqua Pontificalis Romani ex. gr. in editione quae nunc Mechliniae in typographia Hanicquiana praeparatur.* »

Post eiusmodi rerum expositionem ex officio quaedam dissertatio facta est, quam fere integram heic damus: in ea enim delevimus praesertim nomen Van-Espen, qui bis vel ter fuerat citatus. Nolumus enim in nostris ephemeridibus sine ulla necessitata haereticorum nomina; praesertim vero nomen illius, qui si quid bene recteque dixit in re canonica ex nostratibus desumpsit; seu nihil novi dixit, quod catholici Canonistae iamdiu non dixerant: id autem quod de suo adiunxit aut suspectum aut infectum ideis iansenianis aut adulteratum cum de documentis agitur frequentissime reperitur. Itaque ita ex officio disserebatur.

« Ecclesiam maximopere abhorrere a mendicitate clericorum compertum habetur ex notissima Concilii Tridentini dispositione *Cap. 2 sess. 21 de reform.* « *Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere; compertumque sit complures plerisque locis ad sacros Ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt se Beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere, statuit S. Synodus ne quis deinceps clericus saecularis ...... ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possideat; .... Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam substentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui, aut remitti nullatenus possint, donec Beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habent, unde vivere possint; antiquorum canonum poenas super his innovando.* »

» Haec salutaris Concilii Tridentini dispositio ubique servata fuit, specialiter in Belgio, sicuti patet ex decreto Concilii II. provincialis Mechliniensis. Cum tamen temporis lapsu animadversum esset, nonnullos Episcopos ab hac norma deflexisse, passim quoscumque ad patrimonii titulum pro sacro ministerio admittentes, ideo Innocentius XI. Litteras encyclicas ad singulos Episcopos per Sacram Congregationem mitti iussit die 13 Maii anno 1679, ut decretum Concilii Tridentini plenius observaretur. « *Deindeque per hasce circulares litteras Episcopis omnibus Sanctissimus Tridentini decretum in memoriam reduci mandavit, quatenus*

omnes illud sancte custodiant, sciantque non aliter ordinandum ad titulum patrimonii vel pensionis, nisi quum Ecclesiae necessitas, vel commoditas ita exigat: qua in re prudens Episcopi timoratumque iudicium versari debebit. »

» Ex his infertur Beneficium ecclesiasticum esse titulum ordinationis verum ac praecipuum: patrimonium vero aut pensionem per viam dispensationis admitti, sicuti videre est in *Suanen. 28 Iulii 1838*. §. *Iam vero*, et ex communi Doctorum. Fagnanus *ad cap. Episcopus tit. de praebendis* colligit, Concilium Tridentinum sustulisse dispositionem capitis *Tuis eod. tit.* in quantum ibi concedebatur indifferenter ordinari ad titulum patrimonii vel Beneficii.

» Circa canonicam patrimonii constitutionem nemo est qui nesciat, patrimonium sacrum ex bonis certis, stabilibus et frugiferis conficiendum esse, neque probari tanquam legitimum ordinationis titulum eum proventum, qui ingenio ac virtute ordinandorum facile comparari posse videatur, sicuti declaravit sacra haec Congregatio *in Siguntina Sacrorum Ordinum anno 1589, mense Octobris* ad quartum dubium sic propositum: *Si quis tantum habeat, quod ex industria vel honesto labore lucratur, puta quod sit musicus, magister grammaticae, pictor, scriptor, aut alterius licitae professionis idque sit sufficiens ad substentationem vitae, poterit ne promoveri?* S. Congr. respondit « *Negative* » *lib. 11. decret. pag. 53.* Nec in bonis mobilibus ac se moventibus patrimonium sistere oportere declaratur in *Monopolitana 18 Novembris 1769*. §. *Patrimonium* et explicatur apud Rigant. *ad regul. 24 cancellar.* §. *5 num. 119 et seqq.* Unde communiter tradunt Doctores patrimonium fundari super rebus immobilibus, aut talibus quae immobilibus aequiparantur, sicuti totidem verbis dicit Engel. *colleg. iur. canon. tit. 14 lib. 1 de aetate et qualit: praeficiend.* § 21.

» Inter legitimos tamen ordinationis titulos admissa etiam quandoque reperiuntur tum demandatum Cappellani munus, tum census perpetui, tum etiam patrimonia a privatis benefactoribus confecta, ob hanc rationem, quia, cum plurimum conferat ad Ecclesiae utilitatem si ea ministris ecclesiasticis abundet, ideo omni facilitate et indulgentia excipiendi sunt clerici qui sufficientem et legitimum substentationis titulum praebent, prout dicitur in *Institutione* 26 Benedicti XIV. allatis verbis Pallavicini *in histor. C. Trid. lib. 17 cap. 9*. Etenim, ut de singulis aliqua proferamus, demandatum Cappellani munus, etsi inter bona mobilia referatur, attamen ad susceptionem sacrorum Ordinum satis esse potest, dummodo integram taxam patrimonii sacri exaequet, et qui habent ius nominandi, fidem suam cum Episcopi auctoritate praestiterint, eum qui nominatus fuerit in eo munere mansurum donec vita fungatur, ac postremo non desit aliquis qui se alimenta

Digitized by Google

praebiturum spondeat, si casus contingat, quo sic ordinatus legitime impeditus Missas celebrare nequeat. De Beneficio seu cappellania perpetua, ad cuius titulum quis intendit ad sacros Ordines promoveri, alias iam dubitatum est penes S. Congregationem, an ab iis detrahenda sint onera Missarum adiecta, quando Beneficiatus non tenetur eas per se ipsum celebrare; vel potius, oneribus Missarum non detractis, sive illae celebrandae sint per se ipsum, sive possint celebrari per alium, habenda sit ratio omnium fructuum pro constituenda summa a synodali Constitutione vel regionis more requisita. Verum articulo formiter discusso primum in Congregatione diei 8 Augusti 1722, praeeuntibus animadversionibus erudite more suo a Benedicti XIV. tunc Secretarii munus agente exaratis, quin demum determinatum ederetur responsum, die 17 Iulii 1723 satius iudicatum fuit: « *Esse relinquendum arbitrio et conscientiae Ordinariorum.* » Censibus autem perpetuis patrimonium constitui posse, dummodo fiant sub eis conditionibus, quae a S. Pio V. in suo Decreto praescriptae sunt; et si in alios census vertantur, sive in frugiferis certisque fundis collocentur, quando debitores iis censibus dissolvi cupiant, per decreta Sacrarum Congregationum provisum reperitur, ut videre est in Monacell. *formul. legal. tit. 13 t. 2 n. 17 et 21.*

» Quoad patrimonia quae a benefactoribus ex christiana charitate et pietate, favore ordinandorum conficiuntur, Sacra haec Congregatio censuit « *posse aliquem ad sacros Ordines promoveri ad titulum bonorum quae ei donentur, si tamen Episcopus iudicaverit, eum assumendum pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum, donationesque huiusmodi vere et absque ulla fraude, et in forma valida fiant de tot bonis, quae promovendo sufficiant ad vitam honeste sustentandam, quaeque deinceps alienari non possint sine licentia Episcopi, donec ille Beneficium ecclesiasticum sufficiens adipiscatur, vel aliunde habeat unde vivere possit:* » ita legitur in Resolutione anni 1573 *lib. 1 Decret. pag. 151,* cui consonat altera Resolutio quae prodiit die 15 Aprilis anni 1598, et habetur *lib. 9 Decret. pag. 50.* Neque illicitum esse atque a praxi alienum pactum in patrimonio conventum de illo reddendo cum ordinatus habuerit Beneficium sufficiens, vel alias unde vivere posset, et eo in casu suspensionem non incurri tradit Barbosa *alleg. 19. n. 57* et Garzia *de Benef. part. 2 can. 15 num. 169.*

» Nec satis esse obligationem personalem solvendi clerico totum id quod pro congrua illius sustentatione sufficiens erit, ut advertitur in citata *Suanen.* §. *Demum et* §. *Quin imo;* ea nempe ratione, quia obligatio ista personalis non est res immobilis et pacifice possessa, et per illam haberet quidem ordinandus ius ad rem, sed non ius in re, sicuti recte perpenditur apud Rigantium *loco*

Digitized by Google

supra cit. num. 122, ubi refert ea de re Resolutionem *S. C. diei 8 Iunii 1704.* Cum enim Imperator clerico Florentino concessisset diploma seu titulum mensae pro sua honesta sustentatione, quousque provideretur de sufficienti Beneficio, et in dubium revocatum fuisset, *An licite et valide ordinari posset ad titulum dictae mensae?* prodiit responsum, *negative.* Similia habentur apud citatum Engel qui §. 17 tradit titulum ordinationis constitui non posse super sola obligatione personali, quia mortua persona concedentis, clerico deperiret forsitan titulus; quod accidisse non raro in Germania idem auctor lamentatur, unde clerici, non habentes aliunde quomodo vivant, miseram plerumque et scandalosam vitam agere videntur.

» Ad futurae haereditatis paternae titulum aliquem ordinari non licere tradit saepe laudatus Engel §. 23, et licet filius cogere possit patrem ad patrimonium sibi constituendum, ut sacris Ordinibus valeat insigniri, sicuti habetur apud S. C. in *Bononien. 18 Aug. 1827.* §. *Hinc,* et concordant Barbosa *de offic. et potestate Episcopi alleg. 19 n. 63,* Cardinal. De Luca *de dot. dis. 162 num. 10 et disc. 32 num. 8,* Sanchez *de Matrim. lib. 4 disp. 26 num. 7;* attamen non permittendum, tanquam aequitati et rationi minime consentaneum, quod parens omnia sua bona filio pro suscipiendis ordinibus assignet cum detrimento ceterorum liberorum, qui ad partes haereditatis ius suum habent, ut videre est in citata *Institutione* 26 Benedicti XIV. *num. 14.*

» Ibidem sane clarissimus Auctor aperte significat, patrimonia ficta iudicari, quae ex bonis ad alium vel integre aut magna ex parte spectantibus conficiuntur, ita ut ordinatus fructus annuos percipere nequeat; vel in quibus expressa vel tacita conventio intercedit, ut fundi possessio semper ad eum pertineat, qui sola ratione patrimonii eumdem fundum contulit, sive ut ordinatus nullos fructus, aut illorum tantum partem ex eo fundo desumat, licet publicae tabulae contrarium exprimant; quod est fraudem in re gravissima obiicere, et menti sacrorum canonum adversari.

» Proinde contra clericos, qui sacram ordinationem conficto falso titulo suscipiunt, sanctio canonica gravissimas paenas iure statuit. Ordinatus autem ad titulum patrimonii, ex simili ficta donatione procedentis, non manet securus in conscientia, imo revera esset tanquam ordinatus sine titulo, et incurreret poenam suspensionis positam contra ordinatum sine titulo per Constitutionem Sixti V. contra clericos male promotos. Ita post alios Barbosa *Alleg. 19 num. 57.* Sed cum Clemens VIII. Sixtinam Constitutionem moderans, eam ad terminos a Concilio Tridentino decretos revocaverit, investigandum esset, an Concilium Tridentinum, quum antiquorum canonum poenas innovaret, etiam poe-

Digitized by Google

nam suspensionis contra illos, qui titulo fictitii patrimonii ordinantur, iterum statuerit. Sacra autem haec Congregatio, postquam rem diligenter expenderit, censuit poenam suspensionis ipso facto incurri ab eo, qui ordinatorem in fraudem adduxerit, quod sic die 27 Novembris anno 1610 declaratum fuit ac decretum: *S. C. Concilii proposito suprascripto dubio, omnium sententiis, censuit, hoc casu poenam suspensionis ante Concilium non esse correctam, et hodie a Tridentino Concilio esse innovatam, et propterea huiusmodi clericum, qui adhibito dolo confictoque titulo ordinatorem decepit, esse ipso iure suspensum, carereque ordinum exercitio*, ceu videre est apud Fagnanum in cap. *Cum secundum, de Praebendis. num. 63 et seqq.* et in citata Institutione 26 Benedicti XIV. *n. 16*, et consonant deducta in *Lunen. Sarzanen. S. Ordinationis 29 Maii 1824* §. *Nec.*

»Idem traditur a Reiffenstuel *lib. 1, tit. 9, n. 197*, ubi dicit, quod, antiqua iura poenam suspensionis imponentia ordinato sine titulo, inpraesentiarum manent incorrecta, quando ordinatus fuit in culpa decipiendo Episcopum ac fingendo titulum quem non habet, et praeter Resolutionem Sacrae Congr. 27 Novembris 1610, id ipsum patere dicit ex Constitutione Urbani VIII., quae incipit *Secretis*, in qua Pontifex innovavit atque ampliavit dispositionem Clementis IV. quae habetur *cap. I. de Temporibus ordinationum, et qualitate ordinandorum in 6,* additis nonnullis poenis; et aperte significat, promotos contra formam in eadem Constitutione *Secretis* praescriptam, perpetuae suspensionis poenam, absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendae, incurrere eo ipso. Et demum statuit: *insuper promotos huiusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis, scienter se ad ordines huiusmodi promoveri fecerint, non solum praedictis, verum etiam maioribus arbitrio Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis poenis... subiectos esse volumus* ut videre est apud ipsum Reiffenstuel *loc. citat.*

»Nec eo in casu ordinatorem teneri alimenta clerico subministrare tradit Fagnanus in cap. *Cum secundum, n. 62 de Praebendis,* Pirrhing *ibidem, n. 111* et Reiffenstuel *loco supr. citat. numer. 191;* ea nempe ratione, quia rem quae culpa caret, in damnum vocari non convenit, *Cap. 2 de Constitution.* Quod si Episcopus quempiam ordinaverit, sub pacto, seu promissione, quod ordinatus super alimentatione sua non inquietet eumdem, tunc ordinator a collatione ordinum per triennium, ordinatus vero ab ordine sic suscepto perpetue est suspensus, donec per Sedem Apostolicam mereatur dispensari. Ita habetur statutum in cap. *Si quis ordinavit, 45 de Simonia.* Quin imo tales notantur de simonia, unde et citatum caput, *Si quis ordinavit,* ponitur sub Rubrica de simonia. Huius rei rationem tradit idem Reiffenstuel

Digitized by Google

loco citat. num. 195; quia taliter ordinatus remittit ordinatori ius, caeteroquin sibi competens, respectu alimentationis temporalis, ut ab eo ordinetur; atqui simonia non solum contrahitur dando, sed etiam remittendo ius temporale pro spirituali, arg. Cap. *Super eo 7 de transact. et cap. Veniens. de testibus*.

» Re quidem vera, Episcopus scienter conferens cuipiam Ordinem sacrum non habenti competentem titulum sustentationis, praeter peccatum, quod tam scienter ordinans, quam ordinatus sine titulo committit agendo contra iustam prohibitionem Ecclesiae in materia gravi, tenetur insuper ordinans taliter ordinato providere de necessariis alimentis, donec Beneficium ecclesiasticum consequatur. Ita communis, et patet ex cap. *Episcopus, et cap. Cum secundum. de Praebendis*. Unde communiter tradunt Doctores, per illas canonicas sanctiones correctos esse canones antiquos quibus ordinatio sine titulo facta irrita habebatur, sicuti disponitur in canon. *Sanctorum. dist. 70,* et rursus in canone *Neminem. ead. dist. 70* (1). Igitur iure novo incumbit quidem ordinatori onus subministrandi alimenta clerico quem ad Sacros Ordines sine certo titulo promoverit, sed ordinatus bona fide iure non punitur ea suspensionis poena, quam antiqui canones *in iniuriam ordinantium* induxerunt, et solus Ordinarius per impositionem oneris ordinatum sustentandi punitur: quod recte dispositum fuisse, cum non debeat aliquis alterius odio praegravari iuxta regulam iuris 22 in 6° cum similibus, tradunt Garzias *part. 2 de benefic. cap. 5 num. 20 et seqq.* Fagnanus *in cap. Cum secundum. num. 68 et 69,* Barbosa *parte 2 de offic. et potest. Episc. alleg. 20 num. 27 et 33,* Reiffenstuel *lib. 1 tit. 9 num. 197,* Engel *colleg. iur. canon. lib. 1 tit. 11 num. 15*.

» Iam vero satis superque patet, ecclesiasticis sanctionibus et doctrinis ss. canonum valde adversari eam praxim, quam in dioecesi Brugensi irrepsisse Episcopus supra lamentatur. Et sane, eodem Antistite teste, patrimonium plerumque in forma authentica non conficitur, nec praesidio iuris roboratur; nec ordinatus annuos fructus patrimonii percipere potest, neque revera ab eo habet unde sustentetur; nec, pro temporum iniuria, fundus pro titulo ordinationis assignatus prohibetur alienari sine licentia Episcopi ut in alios frugiferos certosque fundos convertatur; et in-

(1) Ordinatio absolute facta, idest sine titulo seu sine ecclesia Clerico ordinando assignata in qua ministrare et ex qua substentari deberet, a Concilio Chalcedonensi, ex quo hi canones decerpti sunt, dicta est irrita: non quasi ordinatio intrinsece irrita esset, sed irrita haberetur coram externo Ecclesiae ordine, ita ut qui sic ordinaretur omnibus iuribus et officiis ordinatorum esset destitutus: quod iuxta praesentem rationem loquendi diceremus potius, sic ordinatum perpetuo manere suspensum. De qua re videri etiam possent quae adduxi in *Vol. III. p. 507*.

Digitized by Google

terdum fit, ut patrimonium constituatur cum assignatione omnium bonorum paternae haereditatis, cum iniuria ceterorum liberorum. Quae omnia canonicis sanctionibus et Doctorum placitis minime consentanea esse praenotatum est. Unde ulterius patet, quod clerici, qui tali in conditione versantur, ut neque Beneficium ecclesiasticum, neque patrimonium rite constitutum possideant, ad maiores Ordines promoveri non possint, nisi accedente necessitate vel commoditate ecclesiae, et praevia Sedis Apostolicae venia.

» Relaxandum quidem rigorem legum canonicarum quandoque esse, si aliqua urgeat necessitas, vel publica occurrat utilitas, monet ipsum Concilium Tridentinum *Sess. 25 c. 18 de Reform.*, et conciliare decretum non promovendi ad sacros Ordines clericos sine congruo sustentationis titulo, unam esse ex illis sanctionibus, quibus, Sedes Apostolica, causa cognita et re perpensa, pluries dispensare censuit, ceu probant exempla. Praetermisso quidem exemplo ecclesiae metropolitanae Florentinae, in qua usque adhuc, sicuti annotatum reperitur in causa *Sanctae Crucis de la Sierra 8 Iulii 1719*, viget privilegium ab Eugenio IV. concessum, ut clerici, qui eidem inservierunt spatio decem annorum, Ordinibus sacris initiari subinde valeant, licet nec Beneficium, nec patrimonium obtineant, Sixtum V. indulsisse Patriarchae Venetiarum ordinare Presbyteros titulo *Servitii ecclesiae* testantur Campanil. *diversor. iur. canonic. rubr. 8 cap. 4 num. 44*, et Garzias *de Benefic. part. 2 cap. 15 num. 96*. Quod quidem Breve Sixti V. in Bullario Romano inveniri non potuit, sed refertur apud citatum Campanil., qui insuper testatur eiusdem verba exscripta reperiri in Synodo Veneta a Laurentio Priolo Venetiarum Patriarcha anno 1592 coacta, ibique legitur « Relatum si- » quidem Nobis nuper fuit, in ista » civitate Venetiarum, nobilium et » populi frequentia celeberrima, per- » pauca esse Beneficia, sub quorum » titulo multi pauperes clerici, pa- » trimonii sufficientis titulo carentes » iuxta constitutionem nostram pos- » sint promoveri. Nos igitur singu- » larium Ecclesiarum id exponen- » tium necessitatibus, utilitatibusque » providere desiderantes, fraternitati » tuae, ut omnes, et singulos dictae » civitatis clericos, qui vita, moribus » aetate, natalium legitimitate, et » aliis qualitatibus a iure requisitis, » per te idonei reperti fuerint, etiam » si titulo Beneficii ecclesiastici, vel » pensionis annuae non sint provisi, » aut patrimonialia, aliaque bona » non possideant, dummodo alicui » ecclesiae dictae civitatis de con- » sensu eiusdem ecclesiae Rectoris » fuerint adscripti, ex quarum ser- » vitio et eleemosynis a piis christi- » fidelibus elargiendis aliquid ad su- » stentationem victus habere possint, » et ab eadem ecclesia, cui adscripti » fuerint, nullo unquam tempore » amoveri, vel ipsi ab ea recedere

» possint et debeant, nisi de illis de » competenti Beneficio, aut pensione » super fructibus ecclesiasticis as- » signanda provisum fuerit; vel ita » eorum exigentibus demeritis, ab » ipsa ecclesia amovendi veniant, » ad quatuor minores, nec non » sacros, etiam Presbyteratus Or- » dines, debitis temporibus servatis- » que Concilii Tridentini decretis, » promovere libere, et licite valeas, » licentiam, Apostolica Auctoritate, » tenore praesentium concedimus et » facultatem. » Idem Pontifex, per Breve diei 1 Septembris 1586, quod incipit, *Cum ex antiquo*: concessit alumnis Collegii Graecorum de Urbe, qui deputandi sunt ad officium diaconi et subdiaconi Cappellae Pontificiae, ut ad sacros Ordines promoveri possent sine aliquo Beneficii, aut patrimonii titulo, sed tantummodo dicti Collegii titulo, sicuti videre est in *tom. 5 part. I. Bullar. rom. pag. 160* §. *3*.

» Alumnis pariter Collegii Anglici de Urbe concessit Gregorius XIII. ut sine aliquo Beneficio, vel patrimonii titulo ad sacros Ordines promoveri possent, *constit. 81 tom. 4 part. 3 Bullar. Roman. pag. 359*. §. 12, ubi habetur « postremo cum eosdem » scholares huius Collegii alumnos » post longos studiorum, vel coepto- » rum, vel consummatorum, labores, » sacerdotali militiae pro temporis » vel loci necessitate adscribere con- » ducat, ut ministeriis, et functioni- » bus sacris assuescant, dictaeque » ecclesiae SSmae Trinitatis officia » praestent, seu ut operarii mittan- » tur, eisdem alumnis, ut de licentia » Protectoris, ac dicti Collegii Re- » ctoris consensu, ac examine prae- » cedente...sine aliquo Beneficio, vel » patrimonii titulo... ad omnes etiam » sacros et Presbyteratus Ordines pro- » moveri... libere et licite valeant in- » dulgemus. » Idipsum concessit idem Summus Pontifex Gregorius XIII. alumnis Collegiorum in Germania superiori ab ipso institutorum, sicuti videre est in *tom. 5 part. I. Bullar. Roman. pag. 204*. Quod etiam communicavit Clemens VIII. Alumnis Collegii Scotorum de Urbe, constitutione quae incipit: *In supremis tom. 5 part. 2 Bullar. rom pag. 319*.

» Quibus Germaniae Collegiis a se restitutis eamdem facultatem rursus contulit Urbanus VIII.; scilicet Collegio Fuldensi, quod Pontifex restituit cum dote 1800 scutatorum aureorum quotannis a Camera Apostolica persolvendorum; et habetur in *tom. 6 Bullar. Rom. part.* 1. §. 157; Collegio Viennensi in Austria, a Gregorio XIII. quoque instituto, ab Urbano VIII. restituto cum assignatione scutatorum 1280 aureorum a Camera Apostolica persolvendorum, constit. *Quoniam divinae bonitati, tom. 6 Bullar. part. I. p. 56*; necnon Alumnis Collegii Illyrici in urbe Lauretana institutis et sumptibus Almae Domus alendis, ut videre est in constitutione, quae incipit, *Zelus Domus Dei*, diei 1 *Iun. 1627, Bull. Roman. tom. 6 part. 1. p. 46*; ac demum Collegio Pragensi, quod

pariter a Gregorio XIII., assignata dote institutum, postea Urbanus VIII. restituit, confirmata eadem 1530 thaler. dote. Idem demum privilegium de suscipiendis Ordinibus sacris sine Beneficii aut patrimonii titulo, contulit saepe laudatus Pontifex Urbanus VIII. alumnis Collegii de Propaganda Fide.

» Quaenam vero fuerit sacrae huius Congregationis praxis in themate dispensationum super titulo sacrae ordinationis, nunc inspiciendum. De praxi antiqua perpauca dicere fas est, scilicet id unum quod testatur Campanil. *diversor. Iur. canonic. rubr. 8 cap. 4 num. 6*, et Garzias *de Benefic. part. 2 cap. 3 num. 97*; nempe, Sacram Congregationem quandoque permisisse ob penuriam sacerdotum, ut clerici Beneficio aliquo vel patrimonio destituti sacros Ordines reciperent, ad simplicem sponsionem alicuius, qui promitteret, se necessaria ordinandis subministraturum, id est, cum simplici obligatione personali: *ille autem* (verba sunt Campanil. loco citat.) *qui Beneficium non retinet, neve patrimonium, aut donationem, attamen ordinari potest quum penuria sacerdotum existit, si tamen, qui spondeat ei necessaria subministrare adsit, ut Sacra Congregatio Concilii interpretata est, cuius declarationis testis est Moder. de Beorgn. benefic. lib. 2. quaest. 6. num. 11.*

» Resolutiones potius subsequentes, ex quibus mens et praxis S. C. manifestius apparet, plurimae proferri possunt. Cum enim Episcopus *Sanctae Crucis de la Sierra* in Indiis Occidentalibus anno 1719 supplicaverit pro facultate initiandi sacris Ordinibus eius regionis incolas, licet titulum Beneficii, aut patrimonii non haberent, et nullum, ipsius Antistitis testimonio, adesset periculum quod promoti mendicare viderentur, proposito dubio – *An Episcopo Sanctae Crucis de la Sierra sit indulgendum, ut promovere valeat ad sacros Ordines in Civitate Sancti Laurentii della Boranca, eos quos ipse necessarios iudicaverit, licet nec Beneficium, nec pensionem, nec patrimonium obtineant.* – Sacra Congregatio die 8 Iulii 1719, respondit – *Pro gratia, dummodo non excedat numerum duodenarium.* - Rursus in *Zacynthien. et Cephalonien.* Cum Sacra Congregatio ob sacerdotum penuriam indulsisset antecessori Episcopo facultatem promovendi ad sacros Ordines quatuor clericos titulo *servitii ecclesiae,* et successor Episcopus instaret pro renovatione indulti, quia praecedenter ordinatis provisum iam fuerat de Beneficiis, relata instantia *per summaria precum*, rescriptum fuit die 23 Iulii 1749 – *Pro gratia iuxta formam praecedentis indulti.— Lib. 79 decret. pag. 246.* Ac iterum in *Æmolien. die 9 Iulii 1737.* Supplicante Episcopo pro facultate ordinandi ad titulum servitii ecclesiae cathedralis binos clericos in ea inservientes, habita ratione penuriae sacerdotum, rescriptum pariter fuit: – *Pro gratia arbitrio Episcopi* – ut videre est in *Lib. 107. decret. p. 286.*

Digitized by Google

» In *Valentina* anno 1761, Episcopus postulavit renovationem indulti quod a Summo Pontifice Benedicto XIV. ab anno 1748 obtinuerat. Cum enim amplissima dioecesis magna paroeciarum copia abundaret, nec facile invenirentur cooperatores parochorum ad formam *Cap. 8 Session. 6, Cap. 6 Sess. 21, et Cap. 18 Sess. 24* Concilii Tridentini ; ideo Episcopus rogavit ut sibi facultas indulgeretur initiandi sacris Ordinibus *titulo Sufficientiae* digniores ex oppositoribus concurrentibus ad Beneficia curata, fere omnibus in S. Theologia doctoribus, qui parati invenirentur ad partes coadiutorum huiusmodi suscipiendas, et si quibus congrua deesset, eam levius foret Antistiti sua pecunia largiri, quam assiduis affici angoribus ob ministrorum penuriam in promovenda animarum salute. Ex Audientia autem Sanctissimi diei 1 Novembris 1748 rescriptum prodiit, quo – *Sanctissimus benigne annuit pro facultate admittendi ad sacros Ordines, et sic per consequens ad Presbyteratum, ad titulum sufficientiae viginti quatuor ex magis idoneis oppositoribus ad Beneficia curata, attenta informatione Archiepiscopi Oratoris super necessitate, et attenta etiam informatione Nuntii Apostolici etc.*

» Postquam vero Archiepiscopus praefinitum Presbyterorum numerum vigore impetratae facultatis ordinaverit, novas obtulit preces, quibus, necessitate urgente, postulabat prioris indulti renovationem, ac licet Nuntius Apostolicus Hispaniarum petitis annuendum censuerit, *negativum* tamen tulit responsum. Iterum supplicavit Archiepiscopus, maxime quod, urgens necessitas ecclesiarum parochialium et inopia sacerdotum ex praecedenti indulto Benedicti XIV. comprobata, adhuc vigeret teste ipso Nuntio Apostolico; ac demum verendum non esse aiebat de mendicitate ordinandorum, quia, si reliqua omnia deessent, illorum sustentationi satis consultum remaneret ex obligatione, quae de iure imminet ordinanti eiusque successoribus alendi ordinatos sine titulo, donec aliunde provideantur iuxta censuram textus in cap. *Cum secundum 16 de Praebendis;* quin ratio habenda sit de praeiudicio inde successoribus resultante, cum ex debito pastoralis sollicitudinis teneantur Episcopi indigentiae populi et curae animarum providere de sufficienti ministrorum numero, illisque alimenta praestare de bonis Ecclesiae: proposito autem S. Congregationi dubio: *An sit concedendum Archiepiscopo Valentino novum indultum promovendi ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines, clericos magis idoneos ex oppositoribus ad Curata, titulo Sufficientiae, ad instar praecedentis indulti concess. a sa. me. Benedicto XIV., ita ut sit recedendum a decisis in casu etc.* Sacra Congregatio die 17 Ianuarii 1761 censuit – *Affirmative pro vigintiquatuor Presbyteris, ad formam praecedentis indulti, facto verbo cum SSmo* – sicuti videre est *in Thesauro Resolutionum tom. 30 pag. 10.*

Digitized by Google

» Quaenam vero sit novissima hisce in casibus praxis eiusdem S. C., potissimum quoad dioeceses Regni Belgorum, ostendunt plura, nostra praesertim aetate, elargita indulta, per Sacram Congregationem inter supplices libellos relata. Inter quae indulta sufficiat memorare indultum triginta et uni ex alumnis Seminarii Namurcensis concessum die 4 Septembris 1837, qui, quum exposuissent, sibi haud licere ad sacros promoveri Ordines ob deficientiam integri tituli patrimonialis, instarentque pro opportuna dispensatione sub spe obtinendi officii ecclesiastici ubi e Seminario egrederentur, S. Congregatio – *attentis peculiaribus circumstantiis, praesertim ecclesiae necessitate, dummodo absit periculum quod oratores cum Ordinis dedecore mendicare teneantur, pro gratia dispensationis ab integritate patrimonii sacri, et habilitationis arbitrio et conscientiae Episcopi* indulsit, *qui curet oratoribus providere antequam e Seminario egrediantur de aliquo Beneficio, vel saltem munere ecclesiastico.* – Quam rescribendi normam aliis etiam in casibus servatam conspicimus et pro diversis quoque dioecesibus, ceu videre est in *Meliten.* die 27 Novembris dicti anni inter supplices libellos pariter relata.

» His positis, videant EE. VV., an et quomodo sit annuendum precibus Episcopi Brugensis; an sit habenda ratio illa uniformitatis, quam satis esse autumat Antistes ut indultum de promovendis clericis ad sacros Ordines sine titulo, etiam extendere velit ad eos clericos, qui patrimonium ecclesiasticum sibi constituere possunt; seu potius firmanda sanctio Tridentina pro iis casibus quibus servari queat: quia ut dicit Benedictus XIV., in tractatu *de Synodo lib. 12 Cap. 5 numer: 14* ita fert Sedis Apostolicae institutum et consuetudo, ut in peculiaribus quidem casibus, si graves causae ita suadeant, dispensationes a legibus generalibus aliquando concedere non recuset: ipsas tamen leges pro ceteris casibus in suo robore subsistere velit, cum Romanus Pontifex sacrorum Canonum, atque constitutionum a Praedecessoribus suis editarum, quoad licet, custodem se ac vindicem praebeat.

» Videant etiam, an expediat indultum concedere pro clericis promovendis perpetuo duraturum, siculi expostulare videtur Episcopus Orator; quod an unquam concessum fuerit in actis Sacrae huius Congregationis reperire non licuit; nec Episcopo Felitrano *indefinite* permittere ordinationes titulo *Mensae cathedralis* Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium voluisse, refert Pignatelli, illi rescribendo ex Oraculo Papae, ut recurreret in casibus particularibus, si quando opus esset parochialium, vel aliarum ecclesiarum indigentiae occurrere, sicuti habetur apud dictum Auctorem, *tom. 5. consult. 77. n. 35:* seu potius annuendum pro facultate admittendi clericos sine titulo ad sacros Ordines pro aliquo certo et

determinato casuum numero, sicut fert Sacrae huius Congregationis praxis.

» Insuper erit sapientiae EE. VV. iudicare de eo quod proponit Nuntius Apostolicus Belgii in sua informatione, qui, pro negotio facilius expediendo, ne res quidquam detrimenti ex dilatione experiatur, veniam facultatis de promovendis clericis sine titulo, singulis vicibus concedendae Nuntio Apostolico in Belgio pro tempore residenti a SSmo D. Nostro permitti posse arbitratur.

» Agitur in secunda dubii parte utrum approbanda sit nova, quam invehendam censuit Episcopus disciplinam, qua singuli ordinandi summam ducentorum *francorum* semel solvere deberent, ut deinceps, ex fructibus pecuniae cura Episcopi collocandae, provideretur sustentationi clericorum, qui pro aegritudine aut debilitate munus ecclesiasticum iam exercere nequeunt. Asserit saepelaudatus Brugensis Antistes, eam unicam occurrere viam, ut miserrimae conditioni complurium ecclesiasticorum, qui sine sufficienti, vel etiam sine vero et frugifero patrimonio ad Ordines sacros assumpti non habent unde sustententur, cum iam non suppetant vires ministerii vel officii exercendi, sicut quotidie de Vicariis parochiarum cooperatoribus, nec non de professoribus in schola publica muneri instruendae iuventuti adlaborantibus accidere videtur.

» Hac solummodo opportuna provisione succurri posse ait gravissimis oneribus mensae Episcopalis, quae clericis sine titulo ordinatis de congrua sustentatione providere tenetur; et praesumi potest saepius quod oneri impar, prohibere nequit quominus afflicto non addatur afflictio, et clericis aegrotantibus desit opportunum alimentationi subsidium. Addi potest insuper id, quod maximi habendum est, scilicet quod viri ecclesiastici alacriori pede ministeriis sacris incumberent; nec de futura sua conditione cum anxietatibus cogitarent, ne cavaritiae periculo succumbere (sicuti hodie accidere potest) si semel per institutionem novae propositae disciplinae de convenienti toto vitae suae tempore subsidio certiores facti essent.

» Nec nova methodus quidquam difficultatis praeseferre videtur, cum nec ullus forsan ordinandus extiterit qui modicam summam, vel ex parentibus, vel ex piis benefactorum largitionibus, sibi procurare nequeat. Neque periculum scandali, sive admirationis in ordinandis aut in illorum consanguineis exoriri posse testantur Episcopi Gandavensis, Tornacensis et Leodiensis, qui novae methodo sese subscribere significarunt, et quod ita conficeretur commune aerarium, quo clericis esurientibus succurratur, apertissime comprobarunt.

» Contra vero propositam disciplinam inutilem fore, imo et implicatissimis difficultatibus obnoxiam ex animadvertionibus ceterorum Belgii Antistitum deprehenditur. Cum

Digitized by Google

enim in Belgio generatim, ad maiores Ordines non assumantur, nisi ii clerici, quos ecclesiae necessitas aut utilitas exposcere videatur, et de quibus indubia spes est, ut statim ac sacerdotio initiati sunt, aliquod officium consequantur cui honesta pensio a publico aerario assignatur, hinc fit, ut nonnisi perraro accidere possit, ut viri ecclesiastici non habeant unde sustententur, et de eo quod raro occurrit, legem statui non debere, nec introduci novissimam disciplinam quae praxi universae Ecclesiae valde adversatur.

» Gravissima autem scandala ac admirationem in ordinandis et eorum consanguineis suboriri posse ex nova introducenda methodo, asserunt plurimi eiusdem regionis Antistites, ceu reperitur in informatione Emi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis ad Eminentissimum Sacrae huius Congregationis Praefectum « *Si ordinandi* (ita ille) *deinceps loco tituli patrimonialis aut pensionis semel solvere cogerentur ducentos francos ad annuos census applicandos, facile evenire posset, ut hac in dioecesi mea tam ordinandis quam eorum propinquis displiceret, et Ecclesiae hostes inde occasionem sumerent calumniandi clerum* »; et forsan non effugere apud imperitum vulgus aliquam simoniae speciem eam summae solutionem pro acquirendo iure quodam ad sustentationem futuram de qua ordinati, maiori sane ex parte, statuto casu haud eveniente, subsidium nullum accipere deberent.

» Nec satis tutum videretur huiusmodi constituendum commune aerarium, cum spes non adsit fore, ut praesidio potestatis civilis muniretur, et ideo nec difficile posset accidere, ut deperirent census ex solutionibus singulorum ordinandorum constituti: ac eo in casu qualibus oneribus obnoxiam fore mensam episcopalem, et qualibus murmurationibus et querelis locus praeberetur, satis praevideri potest. Nec etiam ambigendum quin administratio communis aerarii, innumeris obnoxia esset difficultatibus, et insuper, utilium, inde provenientium, divisio querelis, dissidiis et accusationibus, ipso Episcopo minime excepto, viam aperire posset, sicuti in historiis accidisse legimus, antequam de divisione bonorum ac reddituum sapientissime ab Ecclesia provideretur; de quo mentio *est in Verulana, Divisionis massae capitularis* die 29 Martii 1817.

» Obstat proinde etiam illa inveterata Ecclesiae universae praxis, qua, licet patrimonium sacrum confici debeat ab iis ordinandis qui nec Beneficium ecclesiasticum nec pensionem pacifice possident; qua, licet etiam alienatio bonorum in titulum ordinationis assignatorum ipsis prorsus prohibeatur, donec Beneficium congruum assecuti fuerint: attamen nec minima bonorum patrimonialium pars ad ecclesiam transire debeat, atque eorundem bonorum plenum dominium clericis omnimode debeatur; et ideo distractio, atque

Digitized by Google

consumptio eorum arbitrio relinquitur, *ex Cap. 9 et 12 de testamentis.* Moriente vero clerico sine testamento, haec bona transire debere ad cognatos proximos ab intestato, nec ad ecclesiam deferri, nisi deficientibus omnino vel ex testamento, vel ab intestato haeredibus clare dispositum est in *Cap. 4 de testamentis, et Cap. 1 de success. ab intestat.* Cui profecto disciplinae minus consentanea videri posset novissima methodus, qua singuli ordinandi medicam quidem, sed plerisque familiis forsan gravem patrimonialium bonorum partem perdere tenerentur, ad commune aerarium transituram, de cuius fructibus nec ullum forsan subsidium semel ordinati percipere deberent, cum pro non interrupta valetudine ecclesiasticis ministeriis ac muneribus sedulo incumberent.

» Nec valeret exemplum e praxi Ordinum religiosorum desumptum, cum aliter de Ordinibus regularium, aliter vero de clericis saecularibus disposuerit ecclesiastica disciplina. Etenim, dum regularibus omnia communia, nihilque proprium statuit canonica sanctio, voluit e contra ut ecclesiasticis viris, reditus certi et determinati assignarentur, quibus tamquam rebus propriis absque ulla Episcopi auctoritate uterentur, sicuti habet Gonzalez *ad cap. 3 de Praebendis et dignitatibus num. 8.* Hinc Parochis Beneficia, Canonicis Praebendae distinctae plerumque sunt attributae: nec quandoque probari a S. C. quod massa communis statuatur iis in Capitulis, ubi existit Praebendarum distinctio, eruere licet ex *Vasionen. 22 Novembris 1738, Alatrina 15 Decembris 1826*, quemadmodum contra faciliter divisionem massae communis in Praebendas admitti constat ex *Firmana 11 Iulii 1801;* maxime vero ex *Verulana super cit.*

» Quin imo (1) nec prioribus saeculis extitisse plenam bonorum communionem probatur ex *cap. Dilectissimis 12 quaest. 1,* nec non ex Extravaganti *Cum inter de verb. signif.;* et insuper ex eo quod ipsis canonibus Apostolorum statuatur, Episcopum communitati praeesse debere et rebus communibus uti posse, si tamen indigeret, unde tacite innuitur aliquid habere potuisse in patrimonio, Cap. *Praecipimus §. Cum ergo 12 Quaest. 1.* Idem apparet ex Canone *Sint manifestae 12 quaes. 1, et can. Illi autem,* nec non *can. si privatum* sicuti notat Gonzalez *loco sup. cit.* et licet Gregorius qui creditur VIII. *cap. 9 de Vita et honestate clericorum,* rescribens Episcopis statuat. « *ut facultatibus ecclesiarum vestrarum, atque proventibus, et expensis etiam diligenter inspectis, certum in eis valeatis imponere numerum clericorum, et statuere, ut bona eorum veniant in communione, et eis una domo vescantur etc.* » nihilominus agi in hoc textu de regularibus, seu

(1) Haec, quae sequuntur, vix et ne vix quidem ad praesentem causam facere videntur: attamen ea omittere non censuimus.

Digitized by Google

de ecclesia Canonicorum regularium iam constructa, et in regularem erecta, notant Glossa et Loterius *lib. 1 de re Benefic. cap. 14 num. 44.*

» Hinc concludendum videtur, constitutionem communis aerarii favore clericorum saecularium universae adversari praxi multis abhinc saeculis inveteratae, et disciplinae generali cleri saecularis repugnare.

» Nec deesse iuris remedia favore clerici aegrotantis vel debilitati, evincitur ex ipso Decretalium titulo. Clericum aegrotantem integre percipere fructus sui Beneficii, aperte ibi statuitur, et insuper probatur ex cap. *Praecepta 55 distinct. ex capite 1, 2, 3, 4, 5 Quaest. 1 caus. 7, ex cap. Significatum 11 de Praebendis, ex c. unic. de clericis non residentibus in 6°, Cap. Grandi de Suppl. neglig. praelatorum, cap. Gonsaldus 17 quaest. 2, cap. Licet de censibus* et aliis passim. Ratio est ea quam tradit Pontifex *cap.* 1. *de Clerico aegrotante* scilicet, ne addatur *flagellatis afflictio:* altera autem, ne, si privarentur clerici suis Beneficiis, nullus de caetero qui Ecclesiae militet poterit inveniri.

» Rectorem vero animarum ab officio amoveri pro aegritudine non debere, sicut in dioecesi Brugensi ex ipsa Episcopi relatione factum esse constare videtur, sed illi dandum esse coadiutorem, deducitur *ex cap. 3, 4, 5, 6, eod. tit. de Clerico aegrotante vel debilitato;* ita ut habitus curae maneat penes coadiutum, exercitium vero penes coadiutorem, sicuti totidem verbis ait Fagnan. *in cap. 3 eod. titul. num. 4.,* qui addit, eum textum loqui de Rectoribus ecclesiarum et curam animarum habentibus, quorum appellatione ex proprietate vocabuli veniunt inferiores curati, *cap. final. de Praebend. cap. Ex transmissa de Decimis.* Et licet coadiutor vivere debeat de ecclesiae proventibus *cap. unic. eod. tit. in 6°,* et inde congruam accipere portionem ab Ordinario taxandam, attamen, quatenus redditus ecclesiae non sufficiunt coadiutori et Rectori aegrotanti, tunc proventus primo et principaliter esse debere in dispositione Rectoris, et consequenter illius necessitati prius esse consulendum; coadiutori autem providendum ab Episcopo vel a parochianis, tradit cum aliis Fagnan. *eod. cap. 3 de Clerico aegrotan. num. 12.*

» Nec aliter dicendum de rectoribus parochiarum ad nutum amovibilibus prout ipsamet suadet aequitatis ratio; quod insuper asserendum de ceteris clericis officium aliquod exercentibus, testatur supra laudatus Fagnan. *in cap. Consultationibus eod tit. n. 40,* ubi indiscriminatim, ait, quod *omnia iura clamant, inhabilem ad officium exercendum propter morbum perpetuum et incurabilem, non posse ab officio seu Beneficio prius habito amoveri, sed tantummodo dandum esse illi coadiutorem.* Nec fortasse frequentiores essent casus quos lamentatur et quibus occurrere satagit Episcopus orator, novissima proposita methodo,

Digitized by Google

nisi ecclesiastici viri infirmitate correpti, ab officio seu munere amoveri viderentur.

» Ceterum lugenda quidem est conditio Episcoporum illis in regionibus versantium, quum, expoliata ecclesia a laicali potestate, innumeris pene ordinationum titulis atque proventibus ecclesiasticis, iam media ipsis desint, quibus clericis patrimonio proprio destitutis, vel muneri ecclesiastico imparibus, providere valeant. Nec ambigendum illud fore aequitati maxime congruum, si clericis ordinandis, quatenus pro iniuria temporum aliter fieri nequeat, aliquis saltem titulus sustentationis assignaretur, eodem prorsus modo quo Canonicis et Parochis retribuitur pensio alienatis bonis subrogata; ceu in Germania in praxi esse testatur Phillips auctor operis iuris canonici idiomate germanico nuperrime evulgati, *tom. I. pag. 634 edit. Ratisbonen. ann. 1845.*

» Superest ut pauca dicamus de alio quod quaerit Brugensis Episcopus, quatenus EE.VV. placuerit propitium de novissima proposita methodo ferre iudicium, scilicet utrum, approbata illa forma tituli clericalis, qui quasi patrimonialis appellandus foret, haec tituli denominatio inseri possit in aliqua futura Pontificalis Romani editione: super quo brevius notandum, quod, licet Apostolica Sedes aliquando indulserit ut clerici ad Sacros Ordines promoverentur titulis quibusdam subsidiariis, ex. gr. ad titulum *Missionis*, *Servitii ecclesiae*, *Collegii*, *Sufficentiae*, ut supra iam adnotatum habetur; et quamvis etiam nonnulli ex dictis titulis perpetuo concessi reperiantur; attamen nec unquam eam insimul indulsisse, ut tituli illi subsidiarii insererentur in Pontificali Romano. Neque id mirum; cum de peculiaribus indultis et de casibus particularibus in lege generali mentionem facere non deceat, uti monet vel ipse Ulpianus *In Leg. 8 ff. de legib.*

» His pro munere adnotatis, erit EE. VV. sequentia resolvere:

DUBIA

I. » An sit concedendum Episcopo oratori indultum promovendi clericos ad s. Ordines absque legitimo ac sufficienti ordinationis titulo, ita ut sit approbanda institutio novae tituli ordinationis formae in casu.

» Et quatenus affirmative.

II. » An permittenda sit insertio eiusdem novae formae tituli in futura aliqua editione Pontificalis Romani in casu ».

Responsio. S. Congregatio Concilii die 24 Augusti 1850 causa discussa respondere censuit.

Ad I. *Negative; et providebitur in casibus particularibus.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Digitized by Google

Qua ratione postea fuerit provisum, patet ex sequenti Rescripto dato ad instantiam eiusdem Antistitis Brugensis : quod et referunt novae Gallicae ephemerides, quibus titulus *L'Écho de Rome* (1) *fasc. 8.* de hac quaestione agentes, his verbis: « *Die 14 Maii 1860 SS. Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. Congregationis Concilii, suprascriptis Episcopi oratoris precibus annuens, facultates necessarias et opportunas eidem Episcopo benigne impertitus est, ut cum aliis centum clericis a titulo S. Ordinationis, ut ad sacros Ordines usque ad Presbyteratum inclusive licite promoveri possint, pro suo arbitrio et conscientia dispensare valeat; ita tamen, ut eos Episcopus orator curet de aliquo Beneficio vel ecclesiastico officio providere, aut saltem, meliori quo potuerit modo, ad mentem S. Concilii Tridentini eorum sustentationi consulere, ne cum Ordinis dedecore mendicare teneantur.* »

In eiusmodi conditionibus plures saltem diaeceses illius praeclarae nationis cuiusmodi est Belgium versantur, in quo disciplina et ecclesiastica scientia floret: in iisdem conditionibus versatur magna pars catholici orbis, maxime vero Gallia, prout laudatae ephemerides caterique Gallici Scriptores de hac re agentes testantur. Experientia docente, duo gravia mala sunt, tum nimia Clericorum paupertas, qua externam suam dignitatem deperdunt, atque saepius segnes et inertes propemodum evadunt ad officia ecclesiastica gerenda; tum nimia rédituum affluentia, qua, si magna virtute non praestent, vitae commoditatem et mollitiem fovent: quid inde ex utroque malo consequatur, plane intelligitur.

Caeterum generali quadam ratione dici posse videtur, quod si Clerici in propriis seminariis instituerentur, prouti institui deberent, ita ut cum optimis moribus et pietate scientiam ecclesiasticarum rerum haurirent, aut saltem eiusdem scientiae amorem, difficile admodum esset, ut hi sub charitate vigilantis Episcopi, mendicare coram christiano populo cogantur. Contra vero si Clerici in Seminariis ecclesiasticam culturam, ut par est, non habent, saepissime continget, ut tales evadant, ut nec Episcopi iis uti possint, nec proprio ingenio et cura idonei unquam fiant, ad eam aestimationem coram fidelibus sibi comparandam, quae necessaria est ad gerenda ecclesiastica officia.

Multo magis indiget populus Presbyteris, quam Presbyteri indigeant congrua substentatione. Inter utramque indigentiam hoc intercedit discrimen, ut indigentia congruae substentationis ex se seipsam prodit: indigentia vero Presbyterorum, qua christianus populus laborat, non semper ab eo dignoscitur, nisi zelus Presbyteri eam patefaciat per exercitia pietatis aut per verba doctrinae.

(1) *Écho de Rome,* révue de travaux du concile, de diverses académies et congrégations romaines, publication bi-mensuelle. Varsailles, chez le Directeur, rue d'Anjou, 84.

Digitized by Google

APPENDIX XV.

DE NOVA PRECUM CORONA, APOSTOLICA NUNCUPATA, ET INDULGENTIIS AUCTA LUCRIFACIENDIS AB OMNIBUS FIDELIBUS QUI EAS PRECES RECITENT.

Religiosae Sorores Visitationis B. M. V. civitatis Genomanensis in Gallia quoddam sibi pium exercitium constituerunt ad misericordiam divinam citius concitandam, ut ipsae inter caetera exponebant, pro s. Matris ecclesiae exultatione atque Regnantis R. Pontificis. Eiusmodi pium exercitium consistit in quadam precum Corona, quam Apostolicam appellant, in augustissimae Trinitatis honorem et triginta trium annorum, quibus Verbum caro factum inter homines in humani generis redemptionem conversari dignatus est.

Materialem formam huius Coronae si quaeras, consistit in numismate coniuncto duobus globulis maiusculis et triginta tribus minusculis cum tribus aliis maiusculis adiectis. Hoc pium instrumentum inservit ad sequentes recitandas preces, hoc ordine: in numismate recitatur evangelica Servatoris oratio: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei det ei vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* In primo maiusculo globulo recitatur *Pater noster etc.* in secundo: *Laudes et gratiae sint omni momento sanctissimo ac divinissimo Sacramento — In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti; ora pro nobis Patrem cuius Filium Iesum de Spiritu Sancto conceptum peperisti.*

In singulis triginta tribus globulis minusculis haec aspiratio recitatur: *Cor Iesu sacratissimum da mihi animas.* Quam aspirationem dictae Sorores acceperunt a quadam Biographia R. P. Grollier, qui inter Oblatos vixit Mariae V. Immaculatae, quique laboribus confectus in sacris Missionibus decessit die 4 Iunii 1864 annos natus 37; de eo namque dicitur, ab infantia nihil vehementius concupiisse, quam animarum salutem, et iugiter ad Christum Dominum aspirasse hac prece: *Domine Iesu da mihi animas*; atque divinum Magistrum exaudivisse eius preces, cum permiserit ut ipse moreretur circumdatus silvaticis gentibus quas ipse ad fidem converterat.

In caeteris tribus maiusculis globulis recitatur *Gloria Patri etc.* in honorem SSmae Trinitatis. Denique: Oremus: *Deus qui omnes homines vis salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, mitte, quaesumus, operarios in messem tuam, et da eis cum omni fiducia loqui verbum tuum, ut sermo tuus currat et clarificetur, et omnes gentes cognoscant te solum Deum ve-*

Digitized by Google

rum, et quem misisti Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Piae Sorores, haec SSmo Patri exponentes, eidem supplicarunt, ut eiusmodi Corona Apostolica indulgentiis ditaretur.

His precibus SSmus D. N. in audientia diei 28 Iunii 1866 relatis benigne annuens Indulgentias concessit, mandans ut Apostolicae Literae expedirentur in forma Brevis, quae sunt sequentis tenoris:

PIUS PAPA IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

« Exponendum Nobis curaverunt dilectae in Christo filiae Religiosae Sorores Visitationis B. M. V. Civitatis Cenomanensis pium quoddam precum exercitium vulgo *Couronne Apostolique* nuncupatum inter se fuisse introductum. Huiusmodi precum, quae latina lingua scriptae sunt, exemplar nobis exhibitum probatumque fuit, illudque in nostra Secretaria Brevium asservari iussimus. Praedicti exercitii vero praecipuus finis est, ut honor SSmae Trinitati debitus reddatur, et annorum quibus Verbum Incarnatum inter homines est conversatus memoria in omnium fidelium animis fixa permaneat; sed et Misericordia divina et peccatorum Conversio obtineatur. Quo vero memoratum exercitium sibi et aliis etiam qui illud exercere consueverunt seu intendunt in maius bonum ac spirituale animarum commodum cedat, humiles preces eaedem dilectae in Christo filiae nobis admoverunt, ut supernorum munerum thesauros de Benignitate Apostolica reserare dignaremur.

» Nos, quibus vel maxime cordi est ea fidelibus subsidia suppeditare quibus aeternae saluti consulere possint, piis huiusmodi precibus annuere ac ut infra indulgere voluimus.

» Quare de Omnipotentis Dei Misericordia ac BB. Petri et Pauli Apost. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Religiosis Sororibus memoratis nunc et pro tempore existentibus, nec non aliis Fidelibus, qui quoties saltem Corde contrito praefatum pium exercitium vulgo *La Couronne Apostolique* nuncup. devote peregerint, toties tercentum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Iisdem fidelibus vero qui quotidie per mensem integrum illud absolverint atque vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, quamlibet Ecclesiam seu Oratorium publicum devote visitaverint ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam semel in singulis mensibus per unumquemque e dictis Fidelibus lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domi-

Digitized by Google

no concedimus. Praeterea omnibus et singulis Fidelibus supra memoratis item vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui in Dominica SSmae Trinitatis, in Feria V. in Coena Domini, et in Feria VI. post Octavam solemnitatis SSmi Corporis Christi immediate subsequenti a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, quamlibet Ecclesiam aut Oratorium publicum devote visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, quo die praefatorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino impertimur; quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam Animabus Christifidelium quae Deo in Charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

» Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die x. Iulii MDCCCLXVI. Pontificatus nostri anno vicesimo primo. »

Harum Literarum et precum exemplar authenticum exhibitum fuit in Secretaria S. C. Indulgentiarum in ea asservandum iuxta Decretum diei 14 Aprilis 1856.

Domin. Sarra Pro-Substitutus.

QUAESITUM IURIDICUM

Dum praesens fasciculus sub praelo ferme erat, nonnulli nostri amici quaesitum proposuerunt; quod cum utile Lectoribus nostris esse possit, heic cum nostra opinione exponemus.

In Literis Apostolicis pro Iubilaeo nuper indicto legitur: « Praecipimus autem, » a commemorato die primo Iunii . . . de Spiritu Sancto divinum, praeter consue- » tam Missam conventualem, Sacrificium fieri in omnibus huius Urbis Patriarcha- » libus aliisque Basilicis et Collegialibus ecclesiis, nec non in cunctis totius Or- » bis Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis ab earum Canonicis . . . feria quaque » quinta etc. » *Vid. p. 505. in fascic. antecedente.*

Quaeritur: an, per verba: *ab earum Canonicis:* celebratio huius praescripti Sacrificii ad solos Canonicos pertineat, vel etiam ad Beneficiarios iuxta methodum in singulis ecclesiis vigentem pro Missis conventualibus.

Respondendum videtur: negative ad primam partem; affirmative ad secundam. Ratio est, quod verba *ab earum Canonicis,* non sunt *taxativa:* alia enim solemniorique ratione fuissent expressa, si de onere Canonicis exclusive imponendo ageretur: sed sunt *demonstrativa* dumtaxat obiter indicata ad ostendendum universum chorale collegium, cuius pars essentialis sunt Canonici. His positis nihil in methodo vigente pro celebratione innovatur. Ad rem faciunt, quae superius adnotavimus in exposita causa *pag. 536.*

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM ET FUNERUM.

Die 16 Februarii 1867 et 29 Maii 1869.

Compendium facti. Hanc causam, quae iterum redit, exposuimus in *vol. III. pag.* 127 *et seqq.* quam Lectores nostri recolere possunt, eiusque facti substantiam in quo consisteret, sic exposuimus: Ineunte nostro saeculo post horridas illas belli clades, quae Galliam universam vastaverant, rebus dein compositis, pacta inita sunt inter Apostolicam Sedem et Gallicum Gubernium circa religionis cultum. In articulo IX. huius Concordati legitur: *Episcopi in sua quisque dioecesi novas paroecias circumscribunt.*

Episcopus N. suam civitatem in tres regiones distinxit, et tribus adsignatis templis, cuique regioni Parochum praefecit. Non est praetereundum inter haec tria templa comprehendi ipsum cathedrale templum, in quo tertius Parochus curam animarum exercet.

Paroeciis in civitate tali modo constitutis, Episcopus animum convertit ad statuta condenda pro suo cathedrali Capitulo.

Inter capitularia statuta haec reperiuntur: Art. I. *Capitulum ecclesiae cathedralis constat octo Canonicis et duobus Vicariis Generalibus Episcopi:* Art. IV. *Parochus B.* (idest Parochus cui adsignatum fuit cathedrale templum) *et Rector Seminarii locum obtinent inter Canonicos, quando choro intersunt:* denique Art. XV. *Exequiae, Baptismi, matrimonia, officia et praedicationes ordinariae fiunt a Parocho vel eius Vicariis.*

Canonicis insuper titularibus alii accensentur Canonici honorarii, qui, ex loci consuetudine, eodem modo eodemque ritu in possessionem admittuntur, quo Canonici titulares, et auxilio veniunt iisdem titularibus Canonicis eorumque vices gerunt, praesertim diebus Dominicis et festis.

Digitized by Google

Pluribus abhinc annis gravis dissensio orta est inter Capitulum et Parochum B. circa sacramenta moribundis Canonicis administranda et exequias; Capitulo affirmante sui esse hisce muneribus fungi, Parocho vero illa sibimet vindicante.

Cum controversia haec componi non posset, denique proposita fuit S. C. C. cui haec dubia fuerunt proposita:

I. « An et cui ius competat administrandi ultima sacramenta » Canonicis titularibus et honorariis in paroecia (B.) habitanti» bus in casu.

II. » An et cui ius competat levandi corpus Canonici in pa» roecia (B.) habitantis et ad ecclesiam cathedralem et inde ad » publicum coemeterium ducendi in casu.

» Et quatenus affirmative favore Capituli.

III. » An Parochus (B.) in funeribus Canonicorum in sua paroe» cia decedentium intervenire possit cum stola et pluviali in casu. »

S. Congregatio Concilii, habita ratione ostensae consuetudinis quoad Canonicos titulares, die 16 Februarii 1867 respondit:

Ad I. *Affirmative favore Capituli quoad Canonicos titulares; quoad Canonicos honorarios coadiuventur probationes.*

Ad II. *Affirmative in omnibus favore Capituli ut in primo.*

Ad III. *Negative.*

Cum itaque S. Congregatio mandaverit, ut, ad Canonicos honorarios quod attinet, coadiuvarentur probationes, partes contendentes novas cumularunt probationes ad consuetudinem sive diluendam sive confirmandam quoad dictos Canonicos.

Eiusmodi probationes consistunt in multiplicibus peculiaribus factis utrinque adductis, a quibus referendis abstinemus: quod autem dicere non omittimus illud est, quod probationes, quae in praeterita causae propositione militaverant favore Canonicorum titularium, fere omnes militabant quoque favore Canonicorum honorariorum. Quae quidem consuetudo in universa fere Gallia locum habere quoque dicitur.

Causa itaque reproposita sub iisdem dubitandi formulis, die 29 Maii 1869 S. C. respondere censuit:

Ad I. et II. *Affirmative quoad Canonicos honorarios tantum qui in civitate Episcopali morantur et chorum frequentant.*

Ad III. *Negative, quoad Canonicos comprehensos in superioribus resolutionibus.*

Digitized by Google

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Etsi in controversiis nihil vulgatius invocari solet a contendentibus, quam consuetudo: nihilominus consuetudinem in iudicium deductam difficilis esse probationis.

II. Consuetudinem (quae irrationabilis non appareat) rite ostensam, per actus scilicet constanter iteratos per longum temporis intervallum nec clam, nec precario, nec per vim, tanti roboris esse, ut et vim praescribendi habeat adversus personarum iura et derogandi legibus quoque generalibus; maxime in materia funerum, in qua consuetudo semper magnam vim habuit (1).

III. Canonicos honorarios (quos instituère possunt Episcopi cum consensu Capituli vel e converso Capitula cum consensu Episcopi ad augendum cultum et ecclesiarum decorem) hoc solo titulo non posse ea iura sibi vindicare, quae, ex aliquo facto in praeiudicium alterius, Canonicis titularibus pertinère certo constet.

IV. Quare Canonicos honorarios ea iura tantum sibi vindicare posse, quae legitime ostendant, sive explicite sive implicite, sibi esse concessa, aut acquisita.

VOCIS IN CAPITULO ET STALLI IN CHORO

Die 17 Decembris 1836.

Aetate nostra, cum a Guberniis civilibus bona ecclesiastica sacrilege compilentur, atque proinde sanctissimae Ecclesiae institutiones aut cohibeantur aut eliminentur, Sacrorum Antistites, ut ea meliori qua possint ratione divino cultui consulant, Canonicos honorarios in suis ecclesiis facile constituunt.

(1) Dixi *vim praescribendi,* id eruitur ex ipsa Resolutione S. C. C. in praesenti themate, cum Canonici praescripserint adversus Parochi iura: dixi *vim derogandi legibus generalibus,* id eruitur ex generalibus iuris principiis, sed etiam in praesenti quaestione ex aliqua non spernenda ratione, videlicet ex eo, quod haec consuetudo, quae in peculiari facto de quo agimus iuridice recognita est, ex documentis adductis videtur esse consuetudo, quae in universa fere Gallia vigeat. Hoc in casu consuetudo derogasset in Gallia legi ecclesiasticae ex qua haec Parochorum iura derivant, et aliam induxisset legem.

Digitized by Google

Quomodo autem honorarii Canonici constituantur, quaenam honoris iura ad eos pertineant, iam exposuimus in *Vol. III. pag.* 138. Sed cum de re agatur, quae nostra praesertim aetate locum frequenter habeat, expedit heic causam adiicere quae de Canonicis honorariis ventilata fuit an. 1836 in S. C. C.

Compendium facti. Dum solemnem dioecesis suae visitationem expleret Episcopus N. ut res sacra decentius in sua cathedrali ecclesia celebraretur, quatuor instituit Canonicos honorarios petiitque a Capitulo ut in fratres reciperentur.

Praesulis votum lubenti animo excepit Capitulum, quibusdam tamen conditionibus adiectis, quae sunt huiusmodi: « Capitulum » in fratres recipit eos Canonicos honorarios, dummodo tamen » iure suffragii sive activi sive passivi in Capitulo non gaudeant, » neque locum in eodem habeant, et nullo sub obtentu Capitulo » interveniant quando cogetur ad negotia pertractanda quae ad » ipsum pertineant; neque in choro praecedentiam ullam habeant » ante Canonicos sive primae sive secundae erectionis; sed quatuor tantum ultima subsellia in choro possideant, quin unquam » ascendere possint; et denique in pontificalibus functionibus » semper praeferantur Canonici primae et secundae erectionis. »

At cum paullo post habita fuerint capitularia comitia ad novos Canonicos aggregandos coram ipso Antistite, idem Antistes protestatus est: « se haud acceptare eas conditiones capitulares: » se velle Canonicis honorariis concedere eos omnes honores, » praecedentias et iura, nulla facta reservatione, quae Canonicis » supranumerariis in fratres receptis competunt: se tamen nolle » in praesentia declarare quaenam essent eiusmodi iura, quae » valida experienda fuissent: et in hoc se interponere suam auctoritatem tanquam Apostolicum Delegatum cum in actu sacrae » Visitationis adhuc reperiretur. » Post haec eis possessio solemniter tributa est, sicuti caeteris concedebatur Canonicis, atque omnes acquieverunt.

Die 1 Ianuarii anno 1833 adscriptus est Capitularium albo, tamquam Substitutus seu Coadiutor Canonici titularis N., Presbyter G., et Praepositus Capituli contendit, ut ille stallum in choro haberet ante Canonicos honorarios: ac praeterea comitia capitularia convocavit pro distribuendis capitularibus muneribus, quin vocaret Canonicos supranumerarios. Hinc dissidiorum origo.

Digitized by Google

Nam, cum hi iura sua laesa esse existimaverint, querelas hac de re admoverunt apud Episcopum sua deducentes rationum momenta: cumque et sua deduxerit Capitulum, Episcopus die 28 Martii 1833 Decretum fecit quod ita se habet:

« Quatuor Canonici supranumerarii et honorarii quos elegi- » mus... cum proprio gradu cohonestati fuerint ob decorem prae- » sertim Pontificalium, quae per annum celebrabuntur; cum no- » bis constet in potestate nostra esse id facere iuxta sacros Ca- » nones et S. Sedis Decreta hac de re saepe emissa; volumus, ut » in adsistentia ad altare et Cathedram episcopalem et ipsi il- » lum habeant locum ad quos pertinere possit tamquam Capituli » membra. Item declaramus, eos praecedere debere cuivis Coa- » diutori vel alteri qui Canonici vices suppleat: atque ideo nulla » reddimus quaecumque capitularia Decreta de hac re facta quae » huic nostro Decreto opponatur . . . atque statuimus, ut dicti » Canonici supranumerarii et honorarii iure suffragii gaudeant » in Capitulo quemadmodum alter quivis Canonicus titularis, » exceptis dumtaxat rebus pecuniariis eiusdem Capituli. »

Huic Decreto parere visi sunt Capitulares: nam Canonici supranumerarii promiscue post illud pontificalibus Sacris inservierunt, et Canonicum G. Substitutum seu Coadiutorem subsellio praecesserunt: sed tamen nunquam in Capitulum convocati sunt, et huius rei causam Canonici titulares adducebant, quod *motivum non adesset cur convocarentur*. At vero die 21 Augusti eiusdem anni, cum inter Canonicos titulares cooptatus fuerit quidam Canonicus M. antea supranumerarius, Capitulum habitum est, convocatis pariter Canonicis tantum praebendatis: quod aegro animo ferentibus Canonicis supranumerariis, vetus controversia reviviscere visa est, quae deniquo coram S. C. C. proposita fuit.

Servatis de more servandis, Episcopus retulit: « Canonicos » antiquiores nullo peculiari privilegio gaudere, neque eorumdem » numerum fixum determinatumque esse: Canonicos honorarios » (qui hoc nomine compellati sunt in primo erectionis Decreto, » sed tamen sunt vero sensu supranumerarii, cum ita dicantur » in patentibus literis et ita recepti fuerunt in Fratres a Capi- » tulo) Praebendam non habere; sed tamen omnibus gaudere » privilegiis et honoribus, quae antiquioribus Canonicis compe- » tunt, quae privilegia per Decretum iam impertivi. »

Digitized by Google

Disceptatio synoptica.

Ea quae pro canonicis honorariis militabant. — Canonici supranumerarii contendebant, Episcopum posse addere Capitulo supranumerarios cum Capituli eiusdem consensu, ut exploratum habetur penes S. C. C. ex quadam causa *Fulginaten.* die 26 Februarii 1639, nec non ex *Eystecten.* 1 Decembris 1731: et eosdem Canonicos ab Episcopo institutos « habere stallum in choro » et vocem in Capitulo, aliosque Canonicos post eorum institu- » tionem provisos praecedere atque honoribus et praeeminentiis » frui debere, quibus Canonici antiquiores potiuntur » explicite legi in *Senogallien.* 25 Februarii 1657. Ex quibus inferebant, se frui debere omnibus et singulis privilegiis, ut caeteri titulares Canonici.

Animadvertebant praeterea, se realem canoniam adeptos esse, cum fuerint *capitulariter recepti in fratres:* canoniam enim provenire *ex electione et receptione alicuius in fratrem, seu in Canonicum*, Innocentius in *cap. Cum M. Ferrariensis, de Constit.* Porro canoniam esse ius spirituale, per quod aliquis habet subsellium in choro et locum sive vocem in Capitulo, quae sunt propriae et particulares praerogativae canoniae.

Neque obstare, Canonicos supranumerarios Praebenda carere: nam canoniam augere quidem numerum Canonicorum, non Praebendarum, cum sola salarii perceptio Decurionem non faciat. Glossa *in cap. Cum M. Ferrariensis* 9, *de Constit. Cap. Relatum* 9 *et cap. Dilectus Filius* 34, *de Praebendis.*

Ad conditiones demum a Capitulo appositas dum in fratres recepit Canonicos supranumerarios, praeterquamquod Capitulum visum est renunciasse illis conditionibus, cum aliquatenus facto suo acquieverit Episcopi Decreto, insuper animadverterunt, potuisse quidem Capitulum eas expromere conditiones; sed ad Episcopum pertinuisse de earum iustitia decernere: Episcopum autem in themate eas reiiciendas merito omnino esse existimasse. Et sane in quadam *Alatrina Canonicatus,* diei 8 Februarii 1727, cum in novo recipiendo Canonico, quem instituendum mandaverat suo testamento pia quaedam mulier, inter alias conditiones, duas etiam apposuisset Capitulum illud, quibus constituebatur: *quod novus Canonicus semper stare debeat in ultimo stallo;*

Digitized by Google

nec non *ut perpetuo careat voce activa et passiva in Capitulis*, proposito coram S. C. C. dubio: « An et quomodo in Cathedrali » Alatrina sit erigendus Canonicatus ordinatus ab Innocentia de » Comitibus in casu:» responsum prodiit *affirmative iuxta conditiones praescribendas ab Emo Praefecto*. Scilicet, ut postea Emus Praefectus declaravit: *Canonicatum erigendum esse cum omnibus iuribus, honoribus, praerogativis et oneribus ad instar aliorum Canonicorum, cum hoc tamen, quod novus Canonicus in negotiis tangentibus interesse* (idest commodum, iura, utilitatem) *tantum Canonicorum antiquorum, non habeat vocem activam nec passivam in Capitulo etc.*

Iura Capituli. — Contra vero Capitulum duplici ex capite sua iura propugnabat tum ex pacto, quo inter fratres recepti fuerant Canonici supranumerarii, tum ex ipsa Canonicatus indole et natura.

Ad primum caput quod attinet, inquiebat, nullam admittere dubitationem verba, quibus Episcopo Capitulum consensum dederat. Capituli autem consensum in Canonicorum huiusmodi creatione omnino requiri, id affirmantibus et ipsis adversariis iuxta *Fulginaten.* 26 Februarii 1639: cum itaque eiusmodi consensus datus quidem fuerit, sed sub conditione, concludebat, conditiones appositas esse servandas.

Quin imo, adiiciebat, liberum omnino esse Capitulo in ipsa novi Canonici receptione leges et conditiones imponere, quemadmodum tradunt Abbas in *cap. Cum M. Ferrariensis n.* 29, *de Constit.* Fagnanus in *cap. Dilectus* 1, *de Praebendis n.* 21, De Luca *de Canonicis disc.* 6 *n.* 3 *et disc.* 37 *n.* 2, aliique et S. C. C. in *Civit. Castellanae* die 16 Iulii 1836 servandam dixit conditionem a Capitulo appositam in acceptatione novi Canonici etsi praebendati.

Ad naturam vero Canonici honorarii quod attinet, animadvertebat, Canonicatum honorarium seu supranumerarium appellari a Ceccoperio, *Lucubrat. canon. l.* 1 *tit.* 14 *n.* 7, « nomen sine re » et nomenclaturam vacuam ac inanem praeferens: » eiusmodi autem Canonicos supranumerarios inductos dici, ut instituerentur in minoribus officiis ecclesiae ac inservirent antiquioribus Canonicis, Fagnanus in *cap. Dilectus* 1, *de Praebend. n.* 9. Eosdem autem illa tantum iura et honores obtinere posse, quae in illo-

rum Canonicatuum erectione concessa condonataque fuerint, docere tum Abb. *loc. cit.* tum Fagnan. *loc. cit. n.* 21, 24, tum De Luca *disc. cit.* 37 *n.* 2.

Demum, animadvertebat, honorarios Canonicos in praesenti themate, cum nulla potirentur Praebenda, nullimode posse capitularibus interesse comitiis, utpote qui canonia destituerentur, quae ita cohaeret cum Praebenda, ut una sine altera stare nequeat, Fagnanus in *cit. cap. n.* 17. Nec ad rem facere allegatam ex adverso *Alatrinam*, ex eo praesertim, quod in ea ageretur de Canonico praebendato, non vero honorario ut in praesentia.

Quaerebant praeterea Canonici, quid esset censendum de possessione data Canonico M. in casu, quo sustineretur Episcopi Decretum, quid de fructibus ab eodem Canonico bona fide inde perceptis: haec tamen ad nostram quaestionem non pertinent.

Dubia

I. « An et quomodo Decretum Episcopi (N.) diei 26 Martii 1833 » servandum sit in casu.

II. » An sustineatur Capitulum coactum et possessio data » novo Canonico M. die 21 Augusti 1833 in casu.

III. » An et quomodo sit providendum in casu. »

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii die 17 Decembris causa discussa respondere censuit:

Ad I. *Negative in omnibus.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Provisum in secundo.*

Ex quibus colliges:

I. Canonicos honorarios constitui posse ab Episcopo cum consensu Capituli.

II. Canonicos honorarios, praeter ius interveniendi choro caeterisque sacris functionibus, praeter honoris insignia quae Canonicis titularibus, sine alicuius iuris laesione, sint communia, non posse sibi tribuere alia canoniae iura, quae in receptione non fuerint eisdem a Capitulo concessa, etiamsi ab Episcopo concedi velint et obsistente Capitulo concedantur.

Digitized by Google

III. Quoddam intercedere reale discrimen inter Canonicos supranumerarios dictos, et honorarios (1).

IV. In praesenti themate discrimen hoc potius nominis fuisse quam rei.

(1) De Canonicis honorariis apud veteres Canonistas eo sensu acceptis, ut nostra aetate intelligimus, qui fruuntur quodam honoris iure sine veris obligationibus, vix quidem reperitur aliqua mentio. Et si qui Canonistae de his aliquam faciant mentionem eos quodammodo irridere videntur, cum Canonicatum honorificum appellent *nomen vacuum, dignitatem ventosam* et alia id genus. Nemo autem eos auctores reprehendet, qui ita loquuntur: nam eo tempore scripserunt, quo Ecclesia non cogebatur ad eiusmodi vagas mutabilesque institutiones; quique conceptum institutionum Ecclesiae habebant ad normam iuris, gravitatem videlicet firmitatemque praeseferentem: ad normam enim iuris honor seu dignitas intime connexa intelligitur cum officio perpetuo in Ecclesia rite constituto, et officium intelligitur cum re ecclesiastica coniunctum ex quo graves obligationes derivant. Sed aetate qua vivimus cogitur Ecclesia per aliam viam aliquo modo obtinere, quod per consuetam non possit; ita ut quod antea erat extraordinarium, evadat quodammodo ordinarium.

Pertractant tamen veteres auctores de Canonicis supranumerariis, qui cum nostris Canonicis honorariis etsi quamdam habent relationem, multum quidem differunt. Etenim Canonici, qui supra praestitutum ecclesiarum singularum numerum interdum recipiebantur, duplicis generis in iure esse videntur: alii ita recipiebantur in fratres, ut ad iura et officia simul canonicalia quod attinet, aequales essent caeteris Canonicis; atque nihil aliud eis deesset, nisi possessio Praebendae: quam quidem si non actu, verissima tamen spe possidebant, cum canonia cum Praebenda intime quodammodo consociata intelligeretur. Unde haec vigebant principia: *Non est congruum, ut Praebenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus,* ut respondit Alexander III. *in Cap. Relatum de Praebendis.* Item: *Videtur indignum, ut receptus in Canonicum Praebendae beneficio defraudetur*, ut respondit Innocentius III. *in cap. Dilectus eod. tit.*

Alterius generis erant Canonici supranumerarii, qui non admittebantur ad omnia canoniae iura, sed quoddam veluti tyrocinium exercere videbantur inter Canonicos, donec, vacante aliqua canonicali Praebenda, eam consequerentur ex eadem aequitate iuris.

Dixi ex aequitate iuris: namque in utroque casu verum ius ad consequendam Praebendam primo vacaturam non habebant, et illud aequitatis ius consequebantur potius cum Praebenda aliqua vacaverit, quae conferri eisdem posset. Obstabat enim constitutio Concilii Lateranensis, quae legitur in *Cap. Nulla de Concessione Praebendae: « Nulla Ecclesiastica ministeria seu etiam Beneficia vel ecclesiae tribuantur alicui seu promittantur antequam vacent. Ne desiderare quis mortem proximi videatur in cuius locum et Beneficium se crediderit successurum »*.

Confer etiam aliam causam, quam adduxi pag. 316, nec non quae scripsi pag. 189.

Digitized by Google

ELECTIONIS CANONICI POENITENTIARII

Die 27 Februarii et 29 Maii 1869.

Compendium facti. Vacante Sede Metropolitana N. in ditione Sardiniae, Canonicatus Poenitentiarius die 5 Feb. 1866 vacavit. Vicarius Capitularis concursum indixit his verbis: « Prae » oculis habitis Apostolicis Constitutionibus Pauli IV. quae in» cipit, *Creditam Nobis*, ac Leonis X. quorum una incipit, *Cum* » *dudum*, alia vero, *In supremae*, nec non Gregorii XV., quae » incipit, *Supremae dispositionis*, quas Apostolicas Constitutiones » ad hoc Sardiniae Regnum extendi voluit Clemens PP. XIV. » sua speciali Constitutione diei 29 Nov. 1769; quo, voto con» sultivo Capitulo reservato, ad Ordinarium dioecesis magis idonei » iudicium pertinere decrevit, has edictales literas expediri man» davimus, quarum serie omnes et singulos ad praedictum Ca» nonicatum . . . desiderantes concurrere, convocamus, requiri» mus et monemus, ut intra dies sexaginta a die affictionis prae» sentium computandas . . . in hac civitate et in nostra archie» piscopali Curia compareant, dent sua nomina . . . nam eo tem» pore elapso . . . coram Nobis et admodum Reverendo Capitulo » huius metropolitanae ecclesiae, ad formam Apostolicarum Con» stitutionum, acta concursus incipient, et magis idoneum eli» gemus et sic electum ad Sedem Apostolicam ob provisionem » obtinendam ad mentem praedictarum Bullarum remittemus.»

Instante tempore examinis, idem Vicarius per epistolam Capitulo patefecit, se optare cum eo consilia conferre circa dies praefiniendos, horam et locum, actusque peragendos et difficultates diluendas quae consurgere possent.

Capitulum respondit Vicario, se nullo modo posse eius agendi rationem adprobare, tum quia absque ulla Capituli notitia edictales literas concursus expedivisset, tum quia falso et iniuria in illis asseruisset Capitulo votum dumtaxat consultivum in electione Poenitentiarii. Quaesivit autem ut verba illa: *qua voto consultivo Capitulo reservato ad Ordinarium dioecesis magis idonei iudicium pertinere decrevit,* in literis edictalibus sine ullo effectu esse declararentur, ne Capituli iura laesa manerent: atque voluit, ut Vicarius recognosceret ius Capituli definitive eligendi

Digitized by Google

inter concurrentes eum, quem Capitulum magis idoneum iudicasset post examen habitum iuxta Bullas Leonis X. et Gregorii XV.

Vicarius Capitularis rescribens, et suam agendi rationem probam prudentemque ostendens, a proposito non recessit. Quamdam praeterea conciliationis viam proposuit qua sartis tectisque manentibus iuribus utriusque partis, actus concursus fierent, ita ut, cum ad Apostolicam Sedem *pro provisione* electi scriberetur, exponerentur simul rationes utrinque adducendae, et si Vicarius et Capitulum in unum eumdemque eligendum non convenirent, tum S. Sedes eum admitteret qui electus esset ab ea parte quae iure elegisset.

Sed Capitulum de his haud contentum, supplicem libellum SSmo Patri porrexit postulans, ut declarare dignaretur; *an tempore vacationis Sedis Archiepiscopalis iudicium definitivum de maiore idoneitate inter concurrentes exclusive Vicario Capitulari pertineret, aut potius eiusmodi iudicium comulative emittendum esset a Vicario et Capitulo iuxta dictas Constitutiones Leonis X. et Gregorii XV.*

Eiusmodi libellus remissus est de more Vicario Capitulari pro informatione et voto, qui hactenus indicata confirmavit.

Hisce notitiis habitis de more subsecutum est Decretum Illmi et Rmi Secretarii S. Congregationis Conc. quo mandatum est, ut causa pertractaretur *in folio*, simulque notificaretur Vicario Capitulari, ut moneret tum Procuratorem Fiscalem Curiae, tum Capitulum, ut, quatenus vellent, deducerent ulteriora iura in scriptis et de resultantibus S. Congregationem ipse Vicarius certiorem redderet. Cum nihil novi fuerit deductum quod antea non deduxerint, causa coram S. C. proposita est die 27 Februarii 1869: dilata tamen tum fuit his verbis: *Dilata ad primam post proximam* (1).

Disceptatio Synoptica.

Conveniebant itaque disceptantes partes in eo quod Praebendae Poenitentiariae *nova provisio* iuxta allegatas Literas Apostolicas hac vice facienda esset a Sancta Sede: cum de casu age-

(1) Quid intelligatur per hanc clausulam dixi in *Vol. III. pag. 424 in adnot.*

Digitized by Google

retur, quod si non adesset peculiare dictarum Literarum privilegium collatio ipsa ad Sanctam Sedem pertineret, de qua re sic Regula II. Cancellariae: *Item reservavit...Dignitates et Beneficia omnia ad collationem praesentationem electionem et quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum (non tamen ad collationem cum alio vel aliis . . .), quae post illorum obitum . . . quomodocumque vacaverint et vacabunt in futurum*. (Confer etiam Constitutionem S. Pii V. *Sanctissimus . . . cupiens*). Pariter ex Regula IX., in qua R. Pontifex sibi reservat *omnia Beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata et ubicumque existentia in singulis Ianuarii, Februarii, Aprilis, Maii, Iulii, Augusti, Octobris et Novembris mensibus . . . ad collationem, provisionem, praesentationem . . . quorumcumque collatorum . . . quomodolibet pertinentia.*

Quaestio itaque tota versabatur circa ius eligendi, iuxta allegatas Constitutiones, magis idoneum inter concurrentes, an scilicet in praesenti themate hoc ius haberetur, et utrum competeret tantum Vicario Capitulari vel Vicario cum Capitulo cumulative.

Iura Capituli.—Capitulum sua iura deducens innitebatur Constitutioni Clementis XIV. quae incipit: *Nuper pro parte,* qua, rogante Carolo Emmanuele rege, ad totam Sardiniam extendit et ampliavit Constitutiones omnes superius commemoratas, quas ediderunt Sixtus IV. Leo X. et Gregorius XV. pro Hispaniarum regno. In dicta enim Constitutione *Nuper,* legitur : « *Praebendas theologales et poenitentiarias . . . ecclesiarum regni Sardiniae sub statutis et ordinationibus contentis in memoratis literis Sixti IV. et Gregorii XV. comprehensas esse decernimus et declaramus, et quatenus opus sit eadem statuta et ordinationes ad praedictos Canonicatus theologales et poenitentiarios extendimus et ampliamus, eosdemque propterea Canonicatus, quotiescumque eos vacare contigerit, praevio concursu per edictorum affixionem, prout in praefatis literis praescribitur, coram Ordinariis locorum et respective ecclesiarum Capitulis habendo, perpetuis futuris temporibus conferri debere pari auctoritate et tenore statuimus et mandamus; ita tamen, ut ad Episcopos privative pertineat inter oppositores iudicium maioris idoneitatis proferre, solo iudicio consultivo Ca-*

Digitized by Google

pitulis reservato.» Quoad Apostolicas reservationes vero additum est in eadem Constitutione: *Volumus autem quod si Canonicatus huiusmodi in mense Apostolico vacaverint, vel alias ratione personae, vel loci generaliter vel specialiter Sedi Apostolicae reservati vel affecti fuerint, electi ab Ordinariis locorum infra sex menses a die electionis novam desuper a Sede praedictam provisionem impetrare, et literas Apostolicas expedire teneantur . . . in reliquis vero dispositionem Sixti IV., Leonis X. Gregorii XV. servandam esse iubemus.* Eiusmodi vero speciales Apostolicae literae amplissimis clausulis derogatoriis fuerunt communitae.

Contendebant itaque Canonici, eiusmodi ius, quod per Apostolicas literas tributum est Episcopis, vacante sede episcopali, reverti in universum Capitulum: et non quidem per quamdam transmissionem, sed per ius nativum quod reviviosceret; cum iuxta veterem ecclesiae disciplinam Beneficia ab Episcopo una cum Capitulo collata essent.

Neque oggeri posse dispositionem Tridentinam *sess.* 24 *c.* 16 *de Ref.* qua Capitulum, sede vacante, tenetur Vicarium constituere, in quem tota transfertur Capituli iurisdictio, neque ea iurisdictio Vicario imminui coarctarique a Capitulo possit: namque respondebant Canonici, ea quae sunt concessa Episcopis peculiari ratione dignitatis episcopalis non transferri in Capitulum: proindeque nec Capitulum posse haec iura, quorum haeres non est, transfundere in Vicarium. Nemo enim plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habeat.

Sede itaque vacante, cum reviviscat peculiare propriumque Capituli ius eligendi ad Canonicatus; contra vero Vicarius Capitularis illud sibi tamquam Vicarius vindicare non possit, judicium maioris idoneitatis Poenitentiarii eligendi per concursum ad Capitulum exclusive pertinere.

Quod (non recte quidem) confirmare curabant Canonici ex quodam laicali regio Decreto Victorii Emmanuelis I. qui haec praescripsisse dicitur die 12 Novembris 1817: « Suffragium de- » cisivum, quod a Clemente XIV. tributum fuit soli Episcopo » intelligi debet transfusum in integrum Capitulum habito tan- » quam unico suffragio Vicarii Capitularis. » Quod quidem Decretum consuetudinem universalem in Sardinia induxisse inquiebant cum nullus adversus illud reclamaverit.

Digitized by Google

Alteram pariter difficultatem diluere curabant Canonici depromptam ex verbis, *Electi ab Ordinariis,* quae leguntur in citata Constitutione Clementis XIV. Contendebant enim sub nomine *Ordinarii* in praesenti themate indicari ordinarios Collatores Beneficiorum, non vero Vicarium Capitularem.

Iura vicarii capitularis. —E converso Vicarius Capitularis in primis animadvertit, se non praemonuisse Capitulares de indictione concursus, tum quia neque Archiepiscopus in more habuerit, tum quia nullo ad hoc legis vinculo adstringeretur. Animadvertit insuper quoad caetera, post Constitutionem Clementis, electionem ad Canonicatus, ad Episcopos ita pertinere, ut non sit amplius simultanea cum Capitulo: proindeque, sede vacante, hoc ius in Capitulo reviviscere non posse.

Neque obstare allegatum regium Decretum, cum authentica legis interpretatio eius tantum auctoritatis sit, a qua lex ipsa edita fuerit: cumque autem lex isthaec ecclesiastica sit, nihili faciendam esse laicae potestatis interpretationem: ideoque si in Sardinia, consuetudo a Capitulo asserta vigeret, eam appellandam esse potius corruptelam.

Institit autem potiori ratione Vicarius in eo, quod verbum *Episcopos* in Constitutione Clementis expressum, non modo significaret dignitatem tantum episcopalem, sed etiam episcopale officium, cum iuxta communem Canonistarum interpretationem, quando agitur de actibus iurisdictionis, nomine Episcoporum veniant Ordinarii locorum et sub Ordinariorum intellectione Vicarios capitulares comprehendi dummodo non agatur de potestate, quae Episcopis tributa fuerit *tamquam Sedis Apostolicae delegatis*. Id in Constitutione quoque indicatum esse, cum in ea legatur: *Electi ab Ordinariis locorum intra sex menses novam provisionem a Sede Apostolica impetrare teneantur:* sub quibus verbis Vicarium quoque Capitularem comprehendi debere.

Animadvertit, praeterea dictam Constitutionem ea de causa fuisse editam, ut tollerentur abusus quidam irrepentes in aliquo Capitulo, praesertim ob non accuratam notitiam qualitatum eligendorum: earum vero latere non posse Ordinarium ob multiplices relationes quas cum suo Clero habet.

Haec quidem ex partium deductionibus. Ex officio autem nonnulla adiungebantur ex communi iure deprompta, inter quae

Digitized by Google

illud praecipuum erat, quod receptum compertumque sit, sede vacante, Praebendae Poenitentiariae collationem ad S. Sedem exclusive spectare, ceu iuxta authenticas Resolutiones communiter tradunt Doctores, ut videre est apud Ferraris, *Biblioth. can. n.* 55. *et seq.* ubi scripsit: « Poenitentiaria vacans, sede episco-
» pali vacante, non potest provideri a Capitulo, quamvis colla-
» tio Praebendarum sit communis Episcopo et Capitulo, vel etiam
» solius Capituli; sic decisum fuisse a S. C. C. referunt Garcias
» *de Benef. par.* 5 *c.* 4 *n.* 145, Alois. Ricci in *praxi fori eccles.*
» *resol.* 477, *n.* 4. Immo poenitentiariae vacantis, sede vacante,
» electio et collatio pertinet ad Papam, etiam seclusa reserva-
» tione, et non est reservanda futuro Episcopo; sic decisum fuisse
» a S. C. C. in una Ianuensi refert Garcias in *addit. ad dictum*
» *can.* 4 *n.* 150 etc. » Item Fagnan. *in cap. Quia, de Magistris*, Riganti ad reg. II. *Canc. n.* 322.

Quibus consonat Constitutio, *Pastoralis officii,* Benedicti XIII. lata pro Italia Insulisque adiacentibus, in qua etiam in casu, quo Praebenda Poenitentiaria vacaverit, sede episcopali plena, et aliunde reservata S. Sedi maneret, constitutum est: « *quotiescumque Praebendae* (idest theologalis vel poenitentiariae) *collatio ad S. Sedem spectabit, Episcopus acta concursus ad Romanum Pontificem transmittere teneatur, ut ipse vacantem Praebendam illi assignare atque conferre possit, quem caeteris digniorem atque magis idoneum in Domino iudicabit.*

Praetermissa tamen non est animadversio, Clementinam Constitutionem, cum posterior sit Constitutione Benedictina, et clausula *sublata Decretoque irritanti* munitam, derogasse eidem Benedictinae: attamen perpendendum esse, utrum Constitutio Clementis XIV. vires suas exerat sede episcopali vacante.

Hisce aliisque deductis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo competat iudicium maioris idoneitatis in
» concursu ad Praebendam poenitentiariam in casu.»

Resolutio.— S. Congregatio Concilii causa discussa in comitiis habitis die 29 Maii 1869 respondere censuit: *Attenta vacatione Sedis Archiepiscopalis, spectare ad S. Sedem.*

Digitized by Google

Ex quibus colliges:

I. Etsi peculiare ius viget in Sardiniae ditione in collationibus Praebendae poenitentiariae sede episcopali plena, in casu quo reservationis lex vigeat, idem tamen peculiare ius non vigere sede episcopali vacante.

II. Praesentem quaestionem duplicem fuisse, quarum primam esse, utrum sub verbis Constitutioni Clementinae additis: *Volumus autem etc.* comprehensa fuerit vacatio Praebendae poenitentiariae sede vacante.

III. S. Congregationem iudicasse non comprehendi: ideoque subintrare ius commune, quo vacante sede collatio ad S. Sedem pertinet (1).

IV. Colliges demum, Decreta laicalia de re ecclesiastica disponentia, quibus suprema ecclesiastica auctoritas non accesserit, nullam vim habere.

(1) Verbis illis Constitutionis diligenter inspectis: *Volumus autem, quod si Canonicatus huiusmodi in mense Apostolico vacaverint, vel alias ratione personae vel loci generaliter vel specialiter Sedi Apostolicae reservati, vel affecti fuerint, electi ab Ordinariis locorum infra sex menses a die electionis novam desuper a Sede praedicta provisionem impetrare et literas Apostolicas expedire teneantur:* non obscure apparet, agi de illis omnibus reservationibus, quae contingere possunt sede plena: nec ullum fit verbum, quod indicare possit reservationes quae contingant sede episcopali vacante: quare tum Vicarius tum Capitulum non admodum considerantes primam quaestionem in falso supposito disputabant.

Digitized by Google

Die 29 Maii 1869.

Summaria precum. Livius octo et viginti annos natus ecclesiasticae militiae nomen dare et ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus ordines ascendere cupiens, obstare sibi existimavit quemdam auditus defectum, quo a teneris annis laboravit: ad cautelam itaque preces ad Sanctam Sedem convertit. Ordinarius rogatus de oratoris studiis, et an surditas talis esset, ut Missae inservientis vocem audire nequiret, vel aliquod admirationis periculum in populo esset pertimescendum, respondit: « Orator literarum ac Philosophiae curriculum regulariter » peregit, et iam duobus ab hinc fere annis studet theologiae » morali et dogmaticae non sine plus quam mediocri profectu, » quoniam ingenio haud ordinario et ad studium singulari propen» sione est praeditus. Surditas autem eius talis est, ut difficul» ter vocem Missae inservientis audire possit. Attamen neque » ex hoc neque ex alio quovis capite periculum admirationis in » populo videtur esse pertimescendum. »

In aliis literis idem Ordinarius retulit: « Orator fere semper » habuit magistrum privatum, qui cum eo usus est voce, quae » ab ipso perciperetur; quamvis adire posset etiam scholas pu» blicas, tum quia magistri in docendo, ut plurimum adhibent » vocem altiorem ea, quam adhibere solent homines inter se » familiariter alloquentes, tum quia ipse facilius percipit vocem » alloquentis se in conspectu. Quare surditas eius dicenda est » gravis non absolute sed respective ad Missae inservientem, » qui plerumque respondet voce submissa, et est vel a latere » vel a tergo celebrantis, quique propterea debebit cum eo tan» tummodo elevare paulisper vocem, quod fieri potest absque » ulla admiratione. »

Animadversiones ex officio. Animadversum est, hominem surdum irregularem esse iuxta *can.* 78. *Apost.* in quo legitur « *Surdus autem aut coecus Episcopus non fiat, non ut pollutus, sed ne ecclesiastica munera impediantur*. In praesentia autem non de surdo agi sed de surdastro, de quo etsi Comitolus *lib*. 6. *q*. 65.

Digitized by Google

de Censur. et irregular. demonstrare conatur surdastrum irregularem esse, tum quia est corpore vitiatus, tum quia divina officia et ecclesiastica sacramenta rite celebrare nequit; tamen contra singularem huius auctoris opinionem omnes fere doctores aliter sentire. Ugulinus *de Irreg. c.* 47, Maiolus *de Irreg. l.* 1. *c.* 25, qui inter irregulares hominem omnino surdum recensentes, surdastrum tamen penitus excipiunt. Fermosinus *de Corpore vitiatis q.* 3, difficulter audientem probabilius irregularem haud esse affirmat, eo quod hic aurium defectus nonnisi in omnino surdo irregularitatem inducit, et hanc reddit rationem: « surdastritatem non esse de genere eorum vitiorum, quae a sacris ordinibus arcent, cum ad divina celebranda officia non reddat absolute inhabilem neque indecorum ministrum » item S. Alphonsus *theol. moral.* 7 *c.* 5. *n.* 405, caeterique communiter.

Sed e contrario animadversum est, surdastrum ea fere ratione videri se habere ad hominem surdum, quemadmodum coecutiens se habet ad coecum. Iam vero S. Congregationem nuperrime non dispensasse cum coecutiente, (vid. pag. 428).

Agi praeterea in praesenti themate non de promoto cum quo facilius S. Sedes dispensat, sed de promovendo.

Nihilominus quoad causas dispensationis consideratum est, pro oratore militare praeclarum Ordinarii testimonium quod superius retuli; militare Sacerdotum penuriam, quae undique lugetur. Denique abesse admirationis periculum, cum orator Missae inservientem audire posset. Eo vel magis quod non deessent huius dispensationis exempla in duriori casu, ut contigit in quadam causa *Treviren.* die 27 Ianuarii 1855 per summaria precum proposita: in illa enim non tantum de surdastro agebatur, sed de eo, qui ita surditate laborabat, ut ministros sibi respondentes audire nequiret; neque de promoto res erat sed de promovendo. Nihilominus a S. C. C. rescriptum est: *Pro gratia dispensationis super enunciato defectu et habilitationis ad suscipiendum, servatis servandis, primam clericalem tonsuram nec non minores et sacros ordines, usque ad Presbyteratum inclusive, facto verbo cum Sanctissimo.*

Rescriptum. S. Congregatio Concilii perpensis precibus in comitiis habitis die 29 Maii 1869 respondere censuit: *Pro gratia, ad cautelam, dispensationis super enunciato defectu et habilitatio-*

Digitized by Google

nis ad suscipiendum, servatis servandis, primam clericalem tonsuram et minores et sacros ordines usque ad Presbyteratum inclusive, facto verbo cum Sanctissimo.

Ex quibus colliges:

I. Universalem Ecclesiae legem, quae arcet a sacris ordinibus suscipiendis corpore vitiatos, non aliam habere causam, quam expeditum exercitium ecclesiastici ministerii eiusdemque decorem (1).

II. Quare non omnes, qui aliquo corporis vitio seu incommodo laborant censendos esse irregulares, nisi eiusmodi vitium incommodumque tale sit, quod exercitium ministerii ordini adnexi aut impeditum reddat aut periculo exponat, vel dedecus, admirationemque inducat, aut scandalum in populo creet.

III. Hinc surdastrum, ex communi auctorum sententia, irregularem non censeri: nihilominus dispensationem ad cautelam petitam, S. Congregationem ad cautelam concessisse, quin tamen dispensationem eiusmodi extenderet indefinite, ex quo fortasse comprehendi posset quoque Episcopatus.

(1) In canonibus qui sub nomine Apostolorum veniunt in *can.* 77 iuxta editionem accuratissimam Emi Cardinalis Pitra legitur: *Si quis sit vel oculo orbatus, vel oblaesus femore, dignus tamen sit Episcopatu, fiat. Non enim eum corporis damnum inquinat, sed animae vitium.* Usu tamen invaluit, ut qui oculo sinistro orbaretur, qui dicitur *oculus canonis*, ob difficultatem legendi Canonem irregularis haberetur.

Atque in subsequenti canone, quem supra retuli, in quo leguntur verba, *non ut pollutus*, idem Cardinalis in eo eruditissimo opere, ex coniecturis non spernendis, censet legendum esse: *non ut laesus*.

Nec aliter in Decretalibus reperitur; legitur enim *in cap. 1. de Corp. vitiatis* responsum Alexandri III. his verbis: *De Presbytero Campaniae, qui duellum sponte obtulit et oblatum suscepit, et in eo partem digiti amisit, respondemus, quod cum ipse non perdiderit tantum de digito quin sine scandalo possit solemniter celebrare, satis potes post peractam poenitentiam cum eo misericorditer agere et permittere ipsum in suo ordine ministrare, licet eius excessus gravis admodum extitisset.* Et responsum quoddam Innocentii III. *in cap. 7. eod. tit.* sic legitur: *Thomas monachus proposuit, quod cum in annis puerilibus esset constitutus, quaedam barra* (idest virga) *ferrea super dexterae suae pollicem fortuitu casu cadens ungulam avulsit ab eo. Quocirca mandamus, quatenus si ad frangendum eucharistiam sit in pollice ipso potens, et aliud canonicum non absistat, propter deformitatem huiusmodi non dimittas, quin eum ad ordinem promoveas Sacerdotis.*

Irregularis quidem iuxta sacros canones habetur et eunuchus, qui se sponte absciderit; attamen removetur ab altare non tamquam corpore vitiatus, sed tamquam sui homicida, ut expresse legitur in *Canonicis Apost.* 22, 23, 24, et ex can. 1 Concilii Nicaeni eruitur.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

RENUNCIATIONIS.

Die 30 Aprilis 1869.

Compendium facti. Livius Parochus unam paroeciarum, quas Galli *Cantonales* appellant, octo annos laude regebat atque venerationem paroecianorum sibi comparaverat.

Accidit, ut Magistratus civilis inquisitionem instituerit adversus quamdam mulierem, parasitationis insimulatam, et in hac inquisitione facienda repererit multas epistolas Livii pluribus ante annis ad eamdem mulierem scriptas, antequam scilicet Livius Parochus esset. Eiusmodi epistolae cum continere viderentur quasdam benevolentiae relationes, Presbytero saltem inconvenientes, remissae a Magistratu fuerunt ad Episcopum.

Episcopus rei novitate perculsus, cum existimaret in criminali mulieris processu, quem non noscebat, suum Parochum implicatum esse, eumdem accersivit atque rogavit, utrum de hac re iudicari vellet ab auctoritate ecclesiastica dioecesana.

Praetulit hoc Livius atque examini se subiecit in Curia episcopali circa dictas epistolas ad eam mulierem extra paroeciam degentem conscriptas: quo confecto examine, Episcopus Livio significavit, dictam mulierem in carcerem fuisse coniectam, seque in processu implicatum iri atque scandalum gravissimum inde esse oriturum: quare ad hoc scandalum praecavendum eidem consilium suggessit paroeciae renunciandi et e dioecesi demigrandi.

Dubius haesit Livius quid hisce in adiunctis esset facturus: discessit e conspectu Episcopi ne maturum nimis caperet consilium: remque contulit cum aliis prudentibus viris, qui se procul dubio secuturos esse, eidem significaverunt, Episcopi consilium si in eisdem adiunctis se reperirent.

Hisce auditis, Livius illico actum renunciationis conscripsit conficto titulo infirmae valetudinis, eumdem per Parochum N.

Digitized by Google

a quo consilium capiendum postulaverat ad Episcopum misit, omissa tamen subsignatione diei, quam subsignare commisit sive eidem Parocho N. sive Episcopo, tardiori quo fieri posset tempore, ut interim paroeciae suae redditus percipere prosequeretur. Preces praeterea adiecit, ut Episcopus ab huiusmodi tricis ipsum solveret atque testimoniales literas sibi daret et pecuniarium subsidium ex dioecesano thesauro.

Episcopus, accepta paroeciae resignatione, Livio adpromisit se operam daturum esse ad eas supprimendas epistolas. Rebus sic compositis Livius in aliam urbem se contulit.

Verum eiusmodi repentina paroeciae desertio occasio fuit rumoris excitandi adversus bonam Parochi aestimationem.

Denique Livius, sive quia cognovisset se nihil habere commune cum processu mulieris, sive, alia quavis de causa, periculum quodvis scandali abesse, scripsit Episcopo atque conquestus est de rumoribus sibi infaustis in paroecia vulgatis, et simul impugnavit resignationis paroeciae validitatem ex duplici causa, tum quia subsignata dies non esset, tum quia illa extorta fuisset ex metu et ex titulo notorie falso. Subiunxit autem, quod si haec resignatio necessaria fortasse postea existimaretur, de hoc negotio, se cum Episcopo esse acturum; interim tamen se existimare tum ob proprium, tum ob paroeciae honorem, tum ob obligationes pro paroecia contractas et aes alienum, se in eam redire debere.

Vicarius Generalis ex mandato Episcopi respondit, eius paroeciam iam alteri Parocho esse commissam, et resignationis actum fuisse *data* munitum a Parocho N. cui ipse Livius facultatem fecerat atque Cultuum Ministro fuisse transmissum.

Hisce non acquievit Livius, nova missa epistola, Episcopo supplicavit ut propriis paroecianis restitueretur, qui praeclarissima venerationis et benevolentiae signa sibi adhuc significaverant. Re quidem vera paroeciani preces admoverant tum Ministro Cultuum, tum Apostolico Nuntio, ut sibi Parochus Livius restitueretur.

Verum cum Episcopus huic secundae epistolae non respondisset, aliam recepit, qua Livius significavit, se S. Sedem appellare, 1° adversus actum resignationis tituli paroecialis inamovibilis tamquam ex coactione ab Episcopo emissum ex falso titulo aut erroneo, et sine ulla diei data manu propria subscripta:

2°. adversus abusum calumniosae interpretationis ex privata epistolari relatione in detrimentum sui honoris.

Quae inde subsecuta fuerint ex animi agitatione referre negotii nihil est: sed quod silentio praeteriri non potest, illud est, quod Cultuum Minister cum Episcopi consensu studuit negotium componere: quaesivit enim Parochus a Ministro, tum epistolas quas supprimere Episcopus adpromiserat, tum alteram pensionis partem ex diocesano thesauro praeter eam, quam iam percipiebat ex fundis Status, ita ut integra pensio esse deberet *francorum* 1200. Minister pro ea parte, quae sibi spectabat, consensit: atque Episcopo significavit, Livium paroeciae resignationi plene consentire utroque impetrato. In facto autem est Parochum a dioecesano quoque thesauro pensionis partem petitam pariter percepisse.

Rebus huc perductis, videbatur quaevis controversia composita: at vero Parochus non quievit, sed impugnans resignationis actum ad S. Sedem appellavit. Quare, servatis de more servandis, quaestio proposita fuit coram S. C. sub dubio quod in calce prostat.

Disceptatio synoptica.

Ea quae adducebantur pro Parocho. In *Consultatione* ex officio de more conscripta, perpensum est, renunciationis effectum esse amissionem cuiusvis iuris in Beneficio resignato, ex *cap.* 3 *et* 6 *de Renunciat.*

Re integra, qui Beneficium resignaverit, posse quidem revocare consilium; non tamen posse invocare Beneficiarii titulum a se pure simpliciterque dimissum si resignatio a Superiore admissa fuerit, *cap.* 12 *de Renunciat.*

Verum, ut Renunciatio suos producat effectus, necessarium esse, ut ea fiat ex iusta causa: cum enim officium Beneficiis inhaerens ad ius publicum pertineat, in arbitrio esse non posse Beneficiarii illud ex quavis causa dimittere: ideoque nullius roboris esse renunciationem factam ex erronea causa aut ex falsa suppositione.

Pariter, ut efficax renunciatio sit, spontaneam et liberam esse debere, neque motam ex vi aut metu etiam reverentiali, ex *Cap. Ad audientiam, de iis quae vi.*

Digitized by Google

Quamobrem si ille, qui Beneficium resignaverit, postea illud quaerat, repelli quidem posse per exceptionem emissae renunciationis: at si ipsam renunciationem impugnet, officium iudicis intervenire debere, ut respondit Clemens III. *in cap. 5 de Renunc.* «*Super hoc quod sciscitaris utrum ecclesiastica Beneficia reposcentibus obiecta spontaneae abiurationis exceptio sine causae cognitione sit admittenda, et an actoris, quod sponte non renunciavit, an rei de spontanea renunciatione debeant probationes admitti? Sic tuae experientiae respondemus, quod nulla ratio hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium, multis forte expensis et laboribus acquisitum quo substentari debet, facile sine magna causa sua sponte resignet: ideoque supervacuum esse non credimus, causam resignationis diligenter inquiri: quam si forte probabilem, idest non vi nec metu nec oppressione nec interventu pecuniae nec promissione extortam iudex invenerit, maxime si non intervenerit iuramentum, quod vix fieri de voluntate propria creditur, quod fere semper a malo est (nisi replicatio canonica fuerit apposita) admittere non postponas. Porro licet negantis factum per rerum naturam nulla sit probatio, eius tamen, qui spontaneam renunciationem negat (cum implicite et quodammodo replicando inficietur super assertione sua, habito ad dignitatem et opinionem respectu) probationes credimus admittendas.*

Quare, animadversum est, totam quaestionem in praesenti themate reduci, an sponte Livius renunciaverit, et an intervenerit iusta causa.

Quod Livius sponte paroeciam non dimiserit eruebatur ex illo rerum ac repentino apparatu, quo tamquam publicus reus in processu criminali implicatus videbatur, et ad scandalum inde proventurum declinandum adactus fuerat et renunciationem emittere et exilium quodammodo pati; cum octo abhinc annis venerationem in regenda paroecia sibi promeritus fuisset.

Eiusmodi autem metum fuisse iniustum, cum postea inferior Iudex civilis fassus esset, dictas epistolas nihil minus honestum continere. Quod si illae repertae fuissent Presbytero non omnino dignae, debuisse fortasse aliqua canonica animadversione Livium puniri, non tamen paroecia privari; quae, cum magna sit poena, infligi non potest nisi ob magna delicta. Quin imo post longum undecim annorum intervallum, quo indubia resipi-

Digitized by Google

scentiae signa exhibuisset, canonicae animadversioni non fuisse amplius locum.

Defuisse praeterea iustam causam: namque, eam, quae in actu renunciationis scripta fuerat, infirma videlicet valetudo, fuisse manifeste simulatam: causam vero realem repertam fuisse imaginariam eamque in falsum suppositum resolutam, cum illae epistolae ad processum mulieris nunquam revera pertinuerint, nec mulier in carcerem fuerit coniecta: hinc nullum pertimescendum scandalum nullamque renunciationis necessitatem.

Ea quae pro validitate renunciationis sunt adducta. E converso perpensum est, omnem violentiam aut dolosam circumventionem in praesenti themate deesse. Namque epistolae ad Episcopum per superiorem civilem Magistratum illis in adiunctis delatae, repertae scilicet in inquisitione criminali de qua diximus, fuerant quoque in nonnullis partibus a Magistratu delineatae quibusdam animadversionis signis: et in universo illo rerum apparatu sive Episcopus sive quisquis alius cogitare debuisset de scandalo obventuro tum in universum Clerum tum in Livium per publicum iudicium. Cum autem constaret ex constituto in Curia episcopali examine, eas epistolas esse a Livio conscriptas, nullus supererat modus opportunior, quo honori sive Cleri sive Livii consuleretur nisi per renunciationem spontaneam paroeciae et temporaneam saltem eiusdem absentiam.

Haec quidem in facto contigisse: observabatur tamen nullimode dici posse Episcopum coegisse Livium ad renunciandum, cui tantum hisce in adiunctis simplex suggesserat consilium. Id autem maxime ex eo dignosci, quod Livius haud acquiescens consilio Episcopi ad alios consulendos viros accesserit, idest ad Parochum N. a quo, rerum serie a se ipso exposita, consilium postulaverit: eumque Parochum ob rei gravitatem neque ausum esse directe dare consilium, ne cogere quodammodo Livium videretur, sed quid ipse incunctanter fecisset, si in illis versarentur adiunctis, significasse. Quare Livium paroeciae renunciasse rebus suis consideratis atque perpensis.

Porro, ex habitis relationibus, satis erui Livium in hoc suo agendo negotio turbati animi signum non dedisse, sed animum suum praecipue intendisse ad pensionem habendam et literas testimoniales, quibus ministerium in alia dioecesi posset exercere.

Digitized by Google

Quare quamvis externam violentiam abfuisse. Ad causam renunciationis realem quod attinet, animadversum est, Livium certissime pati nullimode debuisse, ut illae epistolae publicarentur, neque eas sine aliquo saltem scandalo publicari potuisse. Neque subsignationem diei posse obesse, cum dies subsignata fuerit per alium ad id a se deputatum.

Quod si iudicanda putaretur renunciatio invalida in ipso suo initio, cum tamen post reclamationes tractatum quemdam Livius instituerit conciliationis, illumque in acceptis in facto saltem habuerit, in renunciationem eo ipso iterum consensisse, eamdemque facto suo confirmasse: eo vel magis quod obtinuerit suas epistolas, et annuam pensionem, quae fructibus paroeciae dimissae responderet: unde novus Parochus illi paroeciae fuerat canonice suffectus.

His aliisque consideratis propositum est resolvendum

Dubium

« An et quomodo sustineatur emissa paroeciae renunciatio » in casu. »

Resolutio. S. Congregatio Episc. et Reg., causa cognita in comitiis habitis die 30 Aprilis 1869, respondere censuit: *Affirmative in omnibus, et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Ecclesiastica officia publico iure in Ecclesia constituta, non posse pro arbitrio dimitti ab illis, qui ea canonice possideant: sed, praeter dimittentis voluntatem, requiri iustam causam a legitimo Superiore admittendam.

II. Quare renunciationem Beneficii vi metuque coactam, iusta causa non interveniente, in iudicio non sustineri etsi acceptata sit a legitimo Superiore.

III. Coactam tamen ad hunc effectum dici non posse renunciationem, quae facta fuerit ex metu quem *ab intrinseco* appellant: maxime si eiusmodi metus habuerit causam ab ipso dimittente, quae iniusta saltem non reperiatur.

IV. In praesenti themate utrumque intervenisse: imo talem compensationem Parochum dimittentem postea acceptasse, ut

Digitized by Google

potius quaedam rerum permutatio intervenisse videretur, quam pura renunciatio.

V. Beneficium rite dimissum iure repeti ex primo titulo amplius non posse (1).

ORDINIS CARMELITANI.

Die 23 Martii 1869.

DE EXTENSIONE PRIVILEGIORUM ET GRATIARUM SPIRITUALIUM AD OMNIA GALLICA MONASTERIA SORORUM CARMELITARUM VOTORUM SIMPLICIUM.

Decretum. « Postremis hisce temporibus ad respectivorum Ordinariorum supplicationem SSmus Dñus noster Pius Papa IX. dignatus est aliquibus monasteriis Sororum Carmelitarum in Galliis concedere communicationem privilegiorum et gratiarum spiritualium, quibus fruuntur Moniales eiusdem ordinis, quae, alibi existentes, vota solemnia nuncupant, etiamsi ab illis simplicia tantum vota emittantur. Nuperrime vero nonnulli Episcopi Galliarum, in quibus quamplurima Sororum Carmelitarum monasteria extant, ad spirituale earumdem Sororum emolumentum et solamen, expediens esse existimarunt, et penes hanc Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium adprecati sunt, ut a Sancta Sede praefatus Apostolicus favor ad omnia Sororum

(1) Praesens causa similitudinem quamdam habet cum eo quod legimus in *cap.* 3 *de Renunc.* in quo continetur responsum Alexandri III. quod sic se habet: *Ex transmissa relatione Abbatis Sancti N. de Caparano, nostris est auribus intimatum, quod Petrus Rubeus clericus dum infirmitate laboraret apud monasterium Sancti Salvatoris sibi petiit habitum monasticum indulgeri: qui recuperata postmodum sanitate, ad monasterium illud gratia complendi votum accessit, et ibidem moram aliquantulam faciens, ea quae praedictae ecclesiae sancti N. contulerat, sibi fecit restitui: nunc autem mutato animo laborat, ut restituatur in ecclesia supradicta. Verum quoniam iam dicta ecclesia ab eo soluta dignoscitur ex quo ea, quae sibi contulerat, ad petitionem suam resignavit eidem: mandamus quatenus (si res ita se habet) praedictum Abbatem et socios eius ad receptionem P. nulla ratione compellas invitos: nec a populo Caparano compelli permittas: hortari tamen eos poteris, ut illum non tamquam unum de ecclesia, sed quasi de novo recipiant in socium et in fratrem.* Confer quoque causam, quam adduxi in *Vol. I. pag.* 231.

Digitized by Google

Carmelitarum Monasteria Galliarum extendatur. Facta autem de praemissis relatione SSmo Dño Nostro in audientia habita ab infrascripto Dño Secretario huius S. Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 5 Martii 1869, Sanctitas Sua dignata est demandare, ut omnibus et singulis Monasteriis Sororum Carmelitarum, quae in Galliis reperiuntur, tribuatur, prout praesentis Decreti tenore tribuitur, communicatio omnium privilegiorum et spiritualium gratiarum quibus gaudent Sanctimoniales Carmelitae votorum solemnium, ita tamen ut ab illis etiam imposterum vota simplicia emittantur, nullamque habeant exemptionem ab Ordinariorum iurisdictione (1).

» Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 23 Martii 1869.»

A. Card. Quaglia Praef.

Locus Sigilli

S. Svegliati Secretarius.

(1) Cum, ob politicas praesentis saeculi vicissitudines legesque civiles, in pluribus catholici Ordis regionibus moniales, quae antea vota solemnia in iisdem regionibus Deo nuncupare poterant, vota tantum simplicia emittere nunc permittantur, contigit, ut huiusmodi moniales ea magna facultate privatae, quaererent, ut sibi indulgerentur caetera privilegia spiritualia, quibus suus Ordo frueretur in aliis regionibus, in quibus consorores moniales emittere atque implere vota solemnia possunt.

Eiusmodi indulta, seu potius extensiones declarativae spiritualium favorum, passim conceduntur ex generalibus iam emissis declarationibus. De qua re satis est recolere, quod S. Poenitentiaria rescripsit ad Episcopum Cenomanensem die 23 Decembris 1835, qui postquam novisse vota, quae in praesenti rerum statu a monialibus in regno Galliarum emitterentur, uti simplicia a Sancta Sede aestimari, quaesivit: « An spiritualia pri» vilegia regularibus concessa, v. g. in» dulgentiae, nihilominus permaneant. » Cui S. Poenitentiaria respondit: *Sorores Monasteriorum Galliae lucrari posse Indulgentias. omnes, quae Religioni seu Instituto aliarum monialium solemnia vota emittentium secundum institutum, seu regulam respectivam concessae fuerunt: idque ex indulto Pii VII. a SSmo Domino Gregorio PP. XVI. confirmato.* Confer etiam Decretum S. C. Indulg., quod attuli in *Vol. I. pag. 742,* et alterum si placet in *pag. 688 eiusdem Vol.* quod refertur ad easdem Carmeliticas Sorores.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

NEAPOLITANA SEU ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI FR. IOANNIS BAPTISTAE A BURGUNDIA.

Decretum introductionis praesentis causae retuli pag. 544, vi cuius nomen *Venerabilis* Servo Dei competit.

Causa praesens repraesentat Ioannem a Burgundia sub eo peculiari sanctimoniae conceptu, quem habemus de Sancto Aloisio Gonzaga eiusdemque asseclarum S. Stanislai Kostka, atque Beati Berchmans.

Delineamenta vitae. — Ioannes Baptista a Burgundia, gallica provincia, ex piis honestisque parentibus Antonio Drù Truncheth et Claudia Stephanetta de Alippis natus est initio saeculi XVIII. die 30 Iulii in valle Myegensi Salinensis ditionis Archiepiscopo Visentino subiecta et praecise in humili eiusdem vallis pago Bellichut. In sacri fontis lavacro nomen eidem fuit impositum Claudii et Francisci, quae nomina in religiosa sua professione in illud commutavit, quo nunc eum appellamus.

Spatio novem mensium puer hic noster utroque orbatus est parente. Eius fratres maiores natu familiam iam deseruerant, atque Romam profecti argentariae negotiationi erant addicti. Ioannes ergo in domo avi paterni exceptus sub eius tutela fuit educatus.

Iam ab infantia futurae sanctimoniae indicia dederat. Namque is, ut fertur, infantili aetate, in cunis signari aspergique a nutrice lustrali aqua vespere et mane avebat, adeo ut si aliqua vice aqua benedicta deesset, neque proinde cum ea signari potuisset, vehementer fleverit.

Grandiusculus factus nihil acceptius habuit, quam fidei nostrae rudimenta addiscere: atque singulare ostendit desiderium addiscendi quamdam precationem, cuius prima verba sunt: *Obsecro te Domina Sancta Maria,* id enim postulabat ab avo: doce me quaeso: *Obsecro te Domina.* Et si quid promptius alacriusque opta-

Digitized by Google

rent domestici a puero Ioanne, illico obtinebant, si adpromisissent recitationem eiusdem precationis, ut eam addiscere posset.

At, si de eius virtutibus atque angelico candore agere deberemus, limites praestitutos scripta nostra excederent, quae ad vitae tantum delineamenta referuntur. Exacto primo septennio penes avum puerulus Ioannes ad eius patruum mittitur literis gallicis erudiendus. Syncroni testes de eo narrarunt, ea aetate aufugisse pueriles ludos: ab appetendis cibis inter caeteros pueros solum constanter abstinuisse: tempus, quod supererat impendisse in templi frequentationem atque lectionem librorum christianae pietatis.

Cum valde proficeret Ioannes in illis puerilibus rudimentis gallicae lectionis, ex suasione ludimagistri, latinam linguam addiscendam alacriter assumpsit, donec eius fratres, qui Romae degebant, eumdem Romae habere optarunt. Cuius rei nuncio a patruo Ioannes accepto ita laetitia fuit affectus, ut, etsi morbo pedum laboraret, attamen ex cogitatione eundi in Urbem sanctam veluti convalescere visus fuerit, et in ea iuvenili aetate longissimum ac difficile iter inter glacies et nives pedester cum suis comitibus suscepit, atque non sine singulari quoque providentia incolumis confecit.

Romam perveniens aetatis erat tresdecim annorum et penes unum ex duobus suis fratribus convixit, atque scholas frequentavit Gregoriani gymnasii quatuor annos, usque ad religionis ingressum. In eo studiorum curriculo prosequendo eam vivendi rationem est secutus quam provecti in christiana perfectione ostendunt. Duo enim dumtaxat animum Ioannis praeoccupabant, literarum studium et perfectio christianae vitae, ita ut nec ageret nec loqueretur, nisi de eo quod utrumque foveret: non alia agnoscebat loca praeter domum, gymnasium et templum, in quibus expressa in picturis vel supplicia Martyrum, vel praecipua Sanctorum gesta eestatice quodammodo meditabatur. In via semper solus peculiares condiscipulorum amicitias devitans, neminem, sive masculum, sive foeminam, aspiciebat: omnia obstacula, quae nemini desunt in christianae vitae perfectione prosequenda mirabili aequanimitate superabat.

Hac animi constantia et virtutis profectu se paravit adolescens ad illud vitae religiosae genus, quod in seraphico ordine est postea aggressus.

Digitized by Google

Appropinquante anno eius aetatis decimoseptimo, quod iam corde vehementer concupiverat, resolvit; atque admissionem petiit in Ordinem Minorum S. Francisci strictioris observantiae apud sacrum recessum S. Bonaventurae de Urbe, quem recessum valde praedilexerat. Ita autem resolvit ex deliberato eius prudentis Confessarii consilio.

Denique, post Superiorum tentamina, in Ordine receptus pro consueto tyrocinio in coenobium Ponticellianum inter Sabinos missus est, in quo octo menses, quibus ibi vitam transegit, angelicis dotibus et virtutibus praeditus caeteris erat religiosae perfectionis exemplum.

Verum cum iam coelo dignus videretur, contigit, ut in coltura ei commissa cuiusdam viridarioli, hydriam aquae asportans, pectus inopinato percusserit, in cuius praecordiis laesus mansit: id aneurisma produxit, a quo vere perfecteque nunquam convaluit.

Ex mandato itaque Superiorum Romam rediit, ut, consilio medicorum audito, morbus curari posset. At vero, examine instituto cognitaque morbi gravitate, Ioannes dimitti ex Ordine debuisset: sed non sine aliqua singulari providentia contigit, ut inducias hac in re Superiores ponerent, eum medicorum curae subiicientes, cuius quidem exitus talis fuit, ut Ioannes plane convaluisse videretur. Quamobrem missus rursus fuit domum Novitiatus a quo discesserat, ut duobus tantum aliis mensibus ibi transactis ad solemnem professionem admitteretur.

Anno denique 1720 die 19 Novembris vota solemnia professus est; sex post mensibus in alterum coenobium Vici Varronis missus philosophiae studium incepit. Sed rursus morbo afflictatus a Superioribus monitus est, ut studii labores remitteret atque sese ad mortem praepararet. Imminuta studiorum cura, anno 1722 Romam rediit, atque de uno in alterum coenobium valetudinis causa transivit, et Romam inde regressus est.

Interea Ioannes virtutibus provectus quartum et vicesimum annum expleverat, eiusque Superiores mandarunt, ut ad Presbyteratus ordinem ascenderet. Anno Iubilaei 1725, die 26 Maii S. Philippo Nerio sacra, in patriarchali Lateranensi Basilica a Benedicto XIII. Pontifice Maximo Presbyteratus ordinem suscepit.

Ex medicorum consilio Neapolim postea mense Iunio eius-

Digitized by Google

dem anni profectus est, ubi mirum in modum eius sanctimonia exterius refulsit. At ingravescente morbo die 22 Martii in Domini osculo sanctissime obiit.

Humi mandatum Ioannis cadaver insequenti die ab humatione fuit effossum repertumque est *oculis apertis eo modo, quo fuit sepultum, iique clari atque lucidi tamquam hominis vivi.* Cum testis V. in ore eius posuerit roseum florem, eadem rosa virens ac vegeta reperta est eodemque odore ut fuerat posita. Sed quod maius est, post triduum *eius corpus intactum et flexibile in omnibus suis articulis repertum est ita, ut vivum videretur, gratumque esset oculis*, parva vasa sanguinea vividi ac limpidi cruoris copiam ediderunt, adeo ut plures ex circumstantibus linteola in eo intingerent. Sexta a morte die rursus cadaver revisum eamdem integritatem flexibilitatemque ostendit, oculosque apertos vividos, ut hominis vivi, atque ita, ut vultus eius laetitia aspicientes afficeret; flos eius ore ingestus iam ante primam humationem illaesus ac virens visus fuisse dicitur. Imo septimo a morte die praecepto obedientiae sanguinem effudit et eiusmodi copia, ut centum et amplius adstantes linteola in eo sanguine tincta habere potuerint. Tumulo compositum eadem septima die, submotum iterum fuit, ut in singulari sepulchro collocaretur, quindecim iam a morte diebus, ac testes incorruptum iisdem prodigiosis signis absque ulla mutatione, absque ullo malo odore testantur, etsi antea a chirurgicae artis peritis sectum multipliciter fuisset, qui haec omnia cum praeclaris suis adiunctis prodigiosa fuisse absque dubio fassi sunt.

Disceptatio synoptica.

Animadversiones Promotoris fidei. — Cum causae orator vitae commentarium Servi Dei fecisset atque singillatim exposuisset heroicas eiusdem virtutes sive theologales sive cardinales: item pretiosum obitum, famam sanctitatis tum ante tum post obitum, eiusdem miraculorum famam, animadversiones suas, ut moris est, proposuit Fidei Promotor. Institit praesertim Promotor in defectu famae sanctitatis aut eiusdem continuationis: quae quidem animadversio in limine harum causarum gravissima esset, si contraria demonstratione non dilueretur: sed brevitatis causa unam vel alteram animadversionem referam.

Digitized by Google

Postquam circa obedientiam obiter Promotor haec animadvertisset his verbis: *Alias vero cum remedia* (Servus Dei) *sibi a medicis praescriberentur, quin sese istis subiiceret, diu latebat, frustra eum requirentibus valetudinarii administris*, idque testimonio unius testis ostenderet, qui locutus est de unctionibus tactu faciendis aliisque remediis externis corporis partibus applicandis, quique testis ea de causa id deposuerat, ut ostenderet summam Servi Dei pudicitiam: subiunxit Promotor animadvertendo famam sanctitatis ortam fuisse non quidem ex perspectis heroicis Servi Dei virtutibus, sed ex signis, quae post obitum evenisse narrarentur: ad hoc autem ostendendum nonnulla testium dicta referebat.

Atque eiusmodi signa et prodigia reduci, animadvertit, ad aliqualem cadaveris incorruptionem, et ad sanguinis fluxum: haec autem non sufficere, ut causa apud S. Congregationem promoveri possit. Et quidem merito; etenim scribit Reies: « Memoratam naturalem temperationem, per quam diu cadavera » persistere possunt, acquiri posse etiam vi morbi, ut in hectica » marasmoque affectis (ut Dei Servo accidit) in quibus tota pene » corporis humiditas, caloris et siccitatis morbosae vi, depasta, » efficit, ut quod residuum carnis relinquitur, tamquam fumo » induratum diu putredine non infestetur. » Subscribit Zachias *apud Bened, XIV*. «Facit quoque, ut diximus, ad citam corporis » corruptionem genus morbi quo cadavera fuerint extincta: si » enim siccum fuerit, ut marasmus, tabes hectica, ardentissima » febris et huiusmodi, difficilius: si humidum et a magna putre» dine ortum ducens, absque mora corrumpuntur. » Bened. XIV. *in oper de canoniz. l.* 4 *p.* 1 *c.* 30 *n.* 6, quoad sanguinis fluxum haec habet: « Sanguis a cadavere manans, non multo post obi» tum inter miracula recenseri non potest. Ut enim infra vide» bitur, cum agetur de imaginatione et eius viribus, sanguis » saepe manat ex corporibus mortuorum post horas aliquas et » aliquando etiam post triduum. »

Ea quae regereret causae Orator. — Ad primam dictam animadversionem Orator inter caetera respondit, mirum non esse, si Ioannes, qui tamquam Angelus in carne iuxta testes iugiter se gesserit, erubuerit ob praescripta a medicis remedia, vel his obstiterit: saepissime enim legi in ss. Virginum fastis acerbissimos etiam eas substinuisse dolores, ne videretur a longe etiam obum-

Digitized by Google

brari illa virtus, quae iuxta S. Augustinum angelica portio est: in relatione causae S. Philippi Neri haec adnotari: « Ob can» dorem suae puritatis, etiam cum aeger esset, nullam sui cor» poris partem passus est a quoquam videri; » quin tamen nemo unquam ausus sit eum de inobedientia reprehendere.

Sed orationem suam Orator ample adhibuit ad ostendendam tum sanctitatis famam ex heroicis virtutibus Servi Dei dimanasse, tum corporis incorruptionem et sanguinis fluxum naturalem dici non posse.

Ad originem famae sanctitatis breviter recolebat quae iam ample adduxerat; ideo scilicet sanctum habitum fuisse, quia in vita praestantissimo titulo *Angeli in carne* decorari meritus fuerat ob eius singularem puritatem, ob sanctas operationes, praesertim ob perfectissimam divinae voluntati conformationem heroicamque patientiam in perferendis cruciatibus aegritudinis: alias nuncupatum fuisse *non minus Sanctum, quam Angelus in carne* ratione regularis observantiae humilitatisque: eius conversationem opinionem ingessisse, *eum verum servum Dei esse:* alios ex eo deprehendisse *sanctos mores et perfectionem religiosam: et in ratione se gerendi in suis actionibus erga omnes et ubivis sese ostendisse ac retentum fuisse tamquam Religiosum in vita sancta... qui vere videretur S. Franciscus.*

Post alia testimonia huius generis adducta, quae ostenderent, sanctitatis famam tum ante tum post mortem originem repetere ex Servi Dei virtutibus, ita ut optime heic locum haberet, quod docuit Ceparius *Direct. Canoniz. l.* 2 *c.* 2 his verbis: « Illi dicuntur » mori cum fama, et celebri apud multos opinione sanctitatis, » de quibus communis opinio est, et constans fama, ipsos, dum » viverent, sanctos habitos fuisse et in sanctitate perseverasse » usque ad mortem: » in examen revocavit Orator nonnulla dicta testium quae in alium sensum a Promotore intelligebantur.

Verum, gradum faciens Orator ad ea, quibus Promotor affirmaverat, naturalem habendam esse et corporis incorruptionem et sanguinis fluxum, inter caetera respondit: contingere forte quandoque posse ex morborum genere, cadaver permanere integrum, quatenus videlicet exsiccatum, humanam servet figuram: sed eiusmodi exsiccationem, quae paulatim accidat, veram esse corruptionem, ut est putrefactio, qua corpora in tabem

Digitized by Google

abeunt: eamdemque proinde improprie vulgo dici incorruptionem. Verum coram S. C. SS. Rituum cum de incorruptione agitur, ostendere necessarium esse, cadaver nullam passum fuisse alterationem neque in colore, neque in carne, neque in ossibus, neque quoad odorem. Quare Zacchiam *ap. Bened. XIV. l. 4 p. 1 c. 30 n. 10*, corpora incorrupta esse existimare, cum «haec incor-» ruptibilitas perfecta sit, ita ut cadaver ne exsiccationem qui-» dem patiatur, sed secundum corruptibiliores etiam partes in-» tegrum ac vividum non secus, quam si in vita homo degeret, » conservetur. »

Atqui, subiungebat Orator, haec omnia cernimus comprobata in pretioso Ioannis corpore. Cum enim effossum fuerit e terra, ubi ob suam naturam caetera corpora ante spatium unius diei consumi assolent, repertum est vividum, flexile, iucundo aspectu, oculisque apertis, ac rubentibus auribus, adeo ut potius existimaretur homo vivens, quam mortuus, qui late fragrantem dispergeret odorem. Haec signa etiam post triduum, immo post sextum ac octavum diem a morte fuerunt visa, ac observata quoque post quindecim et post undeviginti dierum lapsum, quin sacri eius artus aliquod immutationis specimen exhibuerint.

Immo exta explorata incorrupta sunt inventa gratum quoque perfundentia odorem, et ita ût aspicientes spiritali quoque laetitia afficerent: cum autem haec signa omnes admirarentur, omnes pariter superno adscripserunt prodigio.

Porro docente Scaccho, *de Notis et signis sanct. sect.* 9 *c.* 3. « Inter privilegia Christi atque notas divinae eius filiationis a » Prophetis decantatas haec quoque incorruptibilitas recensetur... » Ergo ab incorruptione cadaveris non leve aut perfunctorium » sanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis et Canoni-» zationis educi poterit. »

Cum praeterea Promotor et fluxum sanguinis naturalem esse significaverit, illumque ab exaggeratione non immunem, Orator respondit: centum atque centum ora decantasse mirum sanguinis fluxum: namque tertia ab obitu die, facta a peritis corporis autopsia, mirabilem, uberem, vividumque cruorem decurrisse, qui ab adstantibus certatim devotionis causa linteis abstergeretur. Testis X. salutaris artis peritus cum chirurgicam sectionem in pectore Ioannis inspexisset, ubi vasa sanguinea extant, admira-

Digitized by Google

tione commotus declarat, miram edidisse cruoris copiam *rubicundi, perlucidi, purgati et segregati* non solum a male olentibus rebus, verum etiam ab iis, quae sero abundant; quod mirabile habendum esse denunciat, cum in illis, qui thisi correpti fuerint, ob fere nullam interiorum partium motionem facile sanguis lymphis et sero commiscetur, quapropter sanctitatem Ioannis palam confessus est. Testis XI. qui chirurgicam sectionem confecit in percipiendis tot cadaveris phoenomenis de prodigiosa causa iudicavit, cum praesertim in corpore ad extremum ob thisim redacto, illa locum habere non potuissent, idest sanguinem post tres dies vividum, virentem et segregatum a partibus flaccidis et male olentibus.

Verum maiora quoque admiranda. Quinque post dies mirabilis cruor abunde diffunditur obedientiae praecepto: mirabilis sanguinis emissio etiam quarta post sectionem die, idest septima a pretioso obitu, ad obedientiae praeceptum, atque ita ut centum et amplius adstantes sanguinem secumferre potuerint Servi Dei.

Legimus quidem sanguinem e corpore mortuorum manasse post horas nonnullas atque etiam post triduum; ex naribus videlicet, ex ore, ex oculis, ex auribus, in iis, qui apoplexia, lethargo aut soffocante aliquo morbo oppressi fuerint: sed nunquam accepimus, septima et duodecima elapsa die gelidum corpus, vividum cruorem emisisse. Sanguis enim in homine mortuo in venis conclusus, elapso aliquo tempore aut riget aut putrescit et in saniem convertitur, aut absumitur.

Accedunt alia adiuncta a testibus varie enarrata, ob quae locum habet quae Benedictus XIV. *l.* 4 *p.* 1 *c.* 31 *n.* 18, scriptum reliquit, si ex corpore post animae discessum « odor effluat, qui non sit momentaneus, qui sit suavis, qui nemini » noxam inferat, sed omnibus undequaque gratus sit, id ad » causam supernaturalem est referendum et ita miraculo adscri» bendum. » Nec potest in contrarium adduci argumentum quod testes varie varia dixerint, docente Chrysostomo: « Si vero in » mirabilibus eligendis non omnes eadem cuncta dixerunt, sed » hic quidem illa, alter vero alia narravit, nihil te omnino con» turbet; si enim unus quilibet universa dixisset, superfluus » iam fuisset numerus caeterorum, sive varia omnes inter se

Digitized by Google

» scripsissent ac nova omnia, nullum potuisset convenientiae » apparere documentum. » *Apud Bened. XIV. l.* 3 *c.* 7 *n.* 10.

His aliisque expositis, Sacra Congregatio, causa disceptata pro eiusdem causae introductione, responsum dedit quod legitur in Decreto quod attuli pag. 544.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Corporum mortuorum incorruptionem seu exsiccationem non posse statim haberi tamquam supernaturale signum, nisi caetera concurrant adiuncta, quae causis naturalibus adscribi non possint.

II. Eiusmodi adiuncta esse posse temporis diuturnitatem, vividum et hilarantem adspectum; puri sanguinis copiosum fluxum, suavem constantemque odorem etc.

III. Haec quidem locum habuisse in cadavere Venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae a Burgundia; praesertim vero mirabilem ac diuturnum sanguinis fluxum, qui ne umbram quidem dubii in facto ingerere posset.

IV. Existente eiusmodi posthumo signo cum fama sanctae vitae coniuncto, paullo minus videri necessariam ad causam introducedam continuationem famae Sanctitatis, quae non est aliud nisi umbra, quae praesumere facit sanctitatis fundamentum.

CALARITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

FR. IGNATII A LACONI

LAICI PROFESSI ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, Charitate tum in Deum tum in Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu, et ad effectum, de quo agitur?

Digitized by Google

Decretum. « In simplicitate et innocentia cordis ambulavit coram Deo Venerabilis Ignatius a Laconi omnibus diebus vitae suae. Hic humili genere ortus in pago Insulae Sardiniae, a quo cognomentum sumpsit, ab infantia timere Deum coepit, nihilque puerile gessit in opere. Cumque iunior effectus esset, agrorum culturae operam dedit, ut sibi ac patri victum compararet; in Dei tamen timore continuo permansit. Dein vicesimum aetatis annum agens, et consortia hominum fugiens nomen dedit Fratribus Franciscalibus Capulatis, et inter laicos adscitus est. Post tyrocinium, in quo Sodalibus omnibus ob monasticae disciplinae observantiam illuxit, solemnia vota nuncupavit; et deinceps de virtute in virtutem quotidie proficiens praeclarissimum usque ad mortem extitit sanctimoniae exemplar. Paupertatem uti Seraphici Instituti praerogativam summopere adamavit. Morum innocentia ac vitae castimonia cunctis spectatissimus fuit. Charitatis igne exaestuans Dei mandata inviolate servavit; et adeo intensius orabat, ut in ecstasim frequentissime raperetur. De aeterna proximorum salute sollicitus, enixe errantibus opitulabatur, ut possent in viam redire iustitiae: pauperibus, aegrotis, moerentibus solamen ipse praebuit et auxilium, salutisque causa saepe fuit, et ea erat animi demissione, ut quamvis eum Deus summis charismatibus et prodigiis condecorare voluerit, tamen se uti maximum inter omnes homines peccatorem existimaret. Senio tandem ac morbis absumptus ad vitae terminum pervenit, ac Sacramentis refectus ad Dominum migravit Quinto Idus Maii anni MDCCLXXXI. Quae de eo dum viveret obtinuerat sanctitatis opinio post obitum late diffusa est. Processuales tamen tabulae ab Antistite Calaritano pluribus elapsis annis apertae sunt, ut iuridica de eius Sanctitatis fama ac Virtutibus inquisitio institueretur. Quibus ab Sac. Rituum Congregatione recognitis, Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus Commissionem introductionis Causae propria manu signavit Sexto Idus Aprilis anni MDCCCLIV. Deinde Processibus auctoritate Apostolica confectis riteque approbatis de Virtutibus Venerabilis Ignatii experimenta iuxta Apostolicas sanctiones instituta sunt. Horum primum habitum est in antepraeparatorio Conventu apud Reverendissimum Cardinalem Nicolaum Clarelli-Paracciani Episcopum Tusculanum Causae Relatorem Quarto Idus Iunii anni MDCCCLXVIII. Alterum successit eodem

Digitized by Google

anno experimentum in Praeparatorio Coetu ad aedes Vaticanas Decimoctavo Kalendas Ianuarii. Tertium denique in generalibus Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro in eodem Palatio Vaticano collectis Quinto Kalendas Maias anni vertentis, in quibus idem Reverendissimus Cardinalis Nicolaus Clarelli-Paracciani proposuit Dubium « *An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, Charitate, tum in Deum, tum in Proximum; nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, et ad effectum, de quo agitur?* et omnes tum Consultores, tum Reverendissimi Patres Cardinales singulatim suam protulere sententiam.

» Cunctis auditis Sanctissimus Dominus suum noluit illico proferre iudicium, ut interim precibus adhibitis lumen et auxilium a Domino impetraret.

» Demum ad huiusmodi proferendum iudicium Sanctissimus Dominus Noster hanc selegit diem S. Philippi Neri Almae Urbis nostrae Apostoli et Patroni minus principalis cultu celebrem; et prius Ecclesiastico Sacrificio in suo privato Sacello oblato, ad Ecclesiam Sanctae Mariae Vallicellianae se contulit; ibique, postquam nobilissimo circumdatus Patrum Cardinalium Collegio Sacro Solemni adstitit, in proximo eiusdem Ecclesiae sacrario ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et S. Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, simulque Reverendissimum Cardinalem Nicolaum Clarelli-Paracciani Episcopum Tusculanum, Causaeque Relatorem, una cum R. P. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario; quibus adstantibus rite declaravit « *Ita constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate in Deum et Proximum, ac de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque adnexis Venerabilis Ignatii a Laconi in gradu heroico, in casu, et ad effectum de quo agitur, ut procedi possit ad discussionem quatuor Miraculorum.* »

» Decretum hoc in vulgus edi, et in Acta Sacrorum Rituum Congr. referri mandavit Septimo Kal. Iunii anni MDCCCLXIX. »

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Loco ✠ Signi

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

Decretum

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 1 Iunii 1869, damnavit et damnat, proscripsit, proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera quae sequuntur:*

Die Theologiae des Leibniz, mit besonderer Rücksicht auf die kirchlichen Zustände der Gegenwart etc. Erster Theil. *Latine vero:*

Theologia Leibnizii, quam ex omnibus editis et multis nondum editis fontibus, ratione habita praesentis Ecclesiae conditionis, nunc primum plene exposuit Dr. A. Pichler. Pars Prior. Monachii 1869.

Pietro Pompazzi. Discorso letto nel Teatro Scientifico di Mantova il 17 Marzo 1869 dal Professore di Filosofia Roberto Ardigò. Mantova. Giustino Soave Editore-Librajo 1869.

Riflessioni sopra la caduta del temporale Principato del Romano Pontifice, e della Corte ecclesiastica di Roma. Opera inedita di Gio. Battista Guadagnini, Arciprete di Cividate in Valcamonica. Breno 1862.

La Religion par E. Vacherot de l'Institut. Paris Librairie Chamerot et Lauwereyns, 1869.

Elementos de Direito Ecclesiastico Publico e Particular em relação à disciplina geral da Igreja etc. - *Seu,* Elementa Juris Ecclesiastici publici et peculiaris juxta generalem Ecclesiae disciplinam, ratione habita ad mores Ecclesiae Brasiliensis, auctore Episcopo Fluminis Januarii (Rio Janeiro) Emmanuele Do Monte Rodrigues D'Araujo. Rio de Janeiro anno 1857. *Donec corrigatur.*

Digitized by Google

Compendio de Theologia Moral por D. Manoel Do Monte Rodrigues de Araujo Bispo do Rio de Janeiro, etc. Segunda ediçaò Portugueza, feita sobre a segunda do Rio Janeiro, correcta e annotada com approvaçaò do Revm. Sr. Bispo deste Diocese. *Seu*, Compendium Theologiae Moralis, auctore Emmanuele Do Monte Rodrigues de Araujo, Episcopo Fluminis Januarii (Rio Janeiro). -- Secunda editio Lusitana, habita iuxta secundam Brasiliensem, additis emendationibus et adnotationibus, approbata ab Episcopo Portucalensi. Porto 1858 *Donec corrigatur*.

As Biblias falsificadas, ou duas respostas ao Sr. Conego Joaquim Pinto de Campo, pelo Christâo Velho etc. *Latine vero:* – Biblia falsata, seu duo responsa data ad Dominum Canonicum Joachimum Pinto de Campo a Christiano Seniore. – Recife, 1867 (Decr. S. O. feria IV, 9 Iunii 1869).

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocunque loco, et quocunque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere, vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX. *per infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis,* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 12 Iunii 1869.

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus

FR. ANGELUS VINCENTIUS MODENA ORD. PRAED.
S. IND. CONGR. A SECRETIS

Loco ✝ Sigilli.

Die 14 Iunii 1869 supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloisium Serafini apost. Curs.

Philippus Ossani Mag. Curs.

Digitized by Google

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Occasione Iubilaei indicti die 11 Aprilis 1869, dubia, quae sequuntur S. Poenitentiariae fuerunt proposita.

« Se nelle facoltà del Giubileo sia anche quella di assolvere i Penitenti dall' eresia (1)?

» R. Affirmative, abiuratis prius, et retractatis erroribus prout de iure.

» Se, durante il Giubileo, chi fosse già stato in forza di esso assoluto da censure e casi riservati, cadendo di nuovo in casi e censure riservate, possa essere assoluto per la seconda volta ripetendo le opere ingiunte (2)?

» R. Negative.

» Se chi ha conseguito già una volta l' Indulgenza del Giubileo possa conseguirla di nuovo, purchè ripeta le opere ingiunte (3)?

» R. Affirmative.

» Se i Confessori possano usare delle facoltà straordinarie con chi dimandasse bensì di essere assoluto, e dispensato; ma non avesse volontà di fare le opere ingiunte, e lucrare il Giubileo (4)?

» R. Negative.

» Datum Romae in s. Poenitentiaria die 1ª. Iunii 1869. »

ANTONIUS MARIA CARD. PANEBIANCO
Poenitentiarius Maior.

L. Can. Peirano S. P. Secretarius.

(1) *Latina versio.* An inter facultates pro Iubilaeo concessas contineatur facultas absolvendi poenitentes ab haeresi.

(2) An tempore Iubilaei ille, qui vi Iubilaei eiusdem fuerit a censuris et a casibus riservatis absolutus, si iterum incidat in casus et censuras reservatas, possit secunda vice absolvi peragens iterum opera iniuncta.

(3) An ille, qui lucratus iam fuerit prima vice Indulgentiam Iubilaei, possit eam iterum lucrari si repetat opera iniuncta.

Confer si placet ea quae adduximus in Vol. I. pag. 116 et seqq.

(4) An Confessarii uti possint facultatibus extraordinariis erga eum, qui petat quidem absolvi et dispensari; quique tamen voluntatem non habeat peragendi opera iniuncta et lucrandi Iubilaeum.

Digitized by Google

APPENDIX XVI.

DE INFALLIBILITATIS EXTENSIONE THESES QUASDAM ET QUAESTIONES THEOLOGORUM IUDICIO SUBIICIT GULIELMUS GEORGIUS WARD D. PH.

Sub hoc titulo praeclarum opusculum, non mediocri sane studio confectum, Londini editum vulgatumque est, auctore clarissimo Gulielmo Ward Philosophiae doctore. Nomen auctoris, viri quidem laici, qui in sinum catholicae Ecclesiae multis abhinc annis, non modo ut filius, sed etiam ut doctrinae catholicae propugnator rediisse videtur, celebre est praesertim apud eos omnes eruditos viros, qui anglicam loquuntur linguam. Ipse enim scriptor et director est illius per quam utilis operis, quod quater singulis annis in lucem prodit sub titulo: *The Dublin Review*. In eius eruditis scriptis et in quaestionibus pertractandis, quod nobis praecellere singulari ratione videtur, est logicus idearum nexus accuratissimus; quod quidem aetate nostra apud eruditos quoque saepe desideratur; quamquam nihil forte frequentius et audiatur et scribatur, quam logices vox, quasi vero enunciatio nominis daret esse rei.

Scimus praeterea, dictum opusculum Auctorem SSmo Patri humillime obtulisse atque epistolam ab Eo recepisse, qua et Apostolicam Benedictionem impertire et animum alacritatemque in huiusmodi nobilibus laboribus prosequendis Auctori caeterisque Recensionis Dublinensis scriptoribus addere est dignatus.

Cum autem hoc in opusculo, Theologorum iudicio subiecto, quaestiones aetate nostra ferventes contineantur, de iuribus scilicet Romano Pontifici et Apostolicae Sedi divinitus collatis, nos, modestiae Auctoris obsecundantes, eas integras proponimus iudicio Lectorum nostrorum, praesertim cum argumentum, circa quod versantur, optime cohaereat cum argumentis nostrae ephemeridis.

Videtur autem incredibile, ut admittatur quidem sive Ecclesiae sive Romani Pontificis infallibilitas in veritatibus revelatis, quae stricto sensu pertineant ad fidei depositum; negetur autem eiusdem extensio ad placita philosophica, socialia etc. quae aliqua relatione cum deposito fidei consociantur. Quasi vero ille Divinus Spiritus, qui per suam assistentiam efficit, ut et Ecclesia et Romanus Pontifex sit infallibilis in declarandis veritatibus stricto sensu revelatis, ipse, inquam, non adsit sive Ecclesiae sive Romano Pontifici ex cathedra loquenti in iudicio ferendo de eiusdem infallibilitatis extensione. Profecto praerogativa infallibilitatis Ecclesiae est veritas, quae stricto sensu in deposito fidei continetur: illi igitur de extensione huius praerogativae infallibiliter iudicabunt, qui infallibiliter iudicant de sensu veritatum stricto sensu revelatarum.

Laudatum itaque opusculum prout iacet ita se habet.

Digitized by Google

PRAEFATIO

Hac nostra aetate Catholici illi, qui errores a Pontifice proscriptos nolunt deserere, non tam de *subiecto* quam de *obiecto* infallibilitatis verba faciunt. Obiectiones quippe suas non ex eo sumunt, quod Pontifex sine Episcoporum assensu infallibiliter docere nequeat; sed ex eo quod ipsum corpus Episcoporum, cum Capite coniunctum, infallibiliter (ut oblaterant) non doceat, nisi in materia strictissime theologica et dogmatica.

Huius autem rei causae satis obviae facile memorari possunt. Primo etenim Episcopi hodie tam unanimiter Pontificis infallibilitatem agnoscunt loquentis ex cathedra, ut omnibus eius definitionibus paratissimo animo obsequantur. Quod cum ita sit, doctrinae, quae appellantur Gallicanae, nullam omnino secum afferunt libertatem a quavis definitione Pontificia recedendi: quidquid enim doceat Pontifex, id ipsum sine mora docent Episcopi.

Deinde vero hoc tempore Catholicorum male sentientium haec plerumque culpa est, quod, indifferentismi labe plus minusve aspersi ad quaestiones philosophicas, politicas, historicas, libere mentem convertant, nulla omnino ratione habita veritatum illarum revelatarum, quibuscum saepenumero hae quaestiones tam arcte connectuntur. Hinc fit ut quicquid intra sphaeram strictissime dogmaticam Ecclesia decernat, satis libenter accipiant, quum de rebus theologicis nihil omnino curent, nihil omnino cogitent; decisionem tamen aliquam iidem aegerrimo animo ferant, quae de doctrinis politicis, socialibus, philosophicis, promulgetur. Nec mirum igitur, si praetextum qualemcunque avide arripiant, cuius ope, sine Catholici nominis aperta et omnimoda iactura, ab huiusmodi decisionibus declinare possint. Itaque palam praedicant, declarationibus illis Pontificiis, quae non stricte sint dogmaticae, exterius quidem obsequium, minime vero interiorem assensum deberi.

Quid autem ex hac sententia sequatur, non parvi est momenti ut perpendamus. Omnes fere Acatholici, et ex Catholicis ipsis plures quam esset optandum, in quaestionibus (ut iam diximus) philosophicis, historicis, politicis, libere evagantur, nulla omnino ratione habita veritatum illarum revelatarum, quibuscum hae quaestiones saepenumero tam arcte connectuntur. Hi viri igitur, ut patet, in varios errores graves incident, qui primario quidem et in proxima sua materia philosophici sint, politici, historici; secundario autem et reductive ad materiam fidei et morum omnino pertineant. Per errores autem huiusmodi Depositum Fidei non minus oppugnatur et in animo fidelium periculis obiicitur, quam per errores directe et proxime theologicos. Im-

Digitized by Google

mo longe gravioribus periculis per illos quam per hos errores Depositum saepenumero obiicitur, utpote subtilioribus et occultioribus.

« Libri enim qui doctrinam con-
» tinent aperte falsam et malam
» nonnisi volentes decipiunt aut forte
» omnino ignaros; at vero qui ve-
» nenum occultum gerunt etiam
» prudentiores fallunt. Unde non
» raro contingit, ut perniciosiores
» sint ac virus longius profundant,
» quam ii, quorum aperta corruptio
» fideles, salutis suae non imme-
» mores, a lectione dehortatur (1). »
Fidei igitur periculosissima est illa sententia, quae Ecclesiae infallibilitatem in rebus huiusmodi diiudicandis negat.

Porro hoc praesertim tempore, ut iam diximus, ii qui mundano vel indocili spiritu aguntur, pleramque de rebus stricte dogmaticis nihil omnino curant, nihil omnino cogitant. Et ita ad conclusionem quandam devenimus, quae, ut mihi quidem videtur, a theologis hodiernis prae oculis vel maxime haberi debet. Spiritus erroris, mundanae cupiditatis, rebellionis intellectualis,- spiritus ille a quo saeculis prioribus tot haereses, tot errores dogmatici pullulaverunt-hac nostra aetate aliter se prodet. Pravus ille spiritus, inquam, hac nostra aetate longe rarius se prodet in rebus directe theologicis, quam in rebus primario philosophicis, politicis, historicis, quae tamen cum Deposito Fidei arctissime connectuntur.

Ad eandem vero conclusionem per aliam prorsus viam deducimur.

Syllabus ille celeberrimus, Pii IX. iussu editus, complectitur *praecipuos nostrae aetatis errores* (2). Ex his autem erroribus, ut cuivis legenti statim patebit, pauci admodum sunt stricte theologici. Ipsa illa de Matrimonio Christiano placita, quae in capite octavo reprobantur, ab eorum fautoribus maxima ex parte propugnata sunt, utpote cum pravis principiis, non tam theologicis, quam politicis, connexa; scilicet utpote quae ad consectaria quaedam *politica* ducant Ecclesiasticae potestatis subversiva. Et idem (mutatis mutandis) de aliis quibusdam erroribus theologicis in Syllabo reprobatis dici potest.

Haec autem cum ita se habeant, exitiosa est quidem, et hoc potissimum tempore vel maxime exitiosa sententia, quae Ecclesiae infallibilitatem et auctoritatem in docendo ad materiam stricte et primario theologicam restringere velit. Ea enim sententia Ecclesiam inermem et imbellem relinqueret contra ipsos illos errores, qui hodie omnium sunt longe frequentissimi, et longe De-

(1) Haec verba, ab alio auctore scripta, citat Dr. Murray, De Ecclesia, d. 17, n. 58.

(2) *Syllabus complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in Allocutionibus Consistorialibus, in Encyclicis, aliisque Apostolicis Litteris Sanctissimi Domini nostri Pii Papae IX.* Iam vero in Encyclica *Quanta cura*, idem Pontifex declarat errores, a se in Allocutionibus et Litteris Apostolicis damnatos, simpliciter esse *praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores*.

Digitized by Google

posito periculosissimi: « vana prorsus » et inefficax esset auctoritas illa (ad » Depositum custodiendum Ecclesiae » data) si ea omnia damnanda non » complecteretur, quibus fides et » mores quovis modo vere pericli- » tarentur. Tunc enim auctorita- » tem haberet Ecclesia, immo man- » datum Dei gravissimum, finem » quendam exequendi, sine aucto- » ritate media adhibendi, quae ab- » solute necessaria sunt ad finem » illum assequendum (1). » Non parvi igitur est momenti, ut contra hanc tam exitiosam sententiam ex principiis theologicis argumentum aliquod deducatur.

Quod si res de qua agitur plene elucidanda sit, alteram quandam oportebit aggredi quaestionem. Ut de ceteris Pontificibus taceam, Pius IX. saltem (ipso teste) errores de quibus locuti sumus non per Bullas Dogmaticas damnavit, sed per *plures in vulgus editas Encyclicas et Allocutiones in Consistorio habitas aliasque Apostolicas Litteras*. Non omnes autem Allocutiones, non omnes Literae Apostolicae, non omnes etiam Encyclicae, definitiones aliquas continent ex cathedra promulgatas. Circa has igitur Allocutiones et Literas Apostolicas allaborandum est, ut satis dignoscatur in quibusnam illarum Pontifex ex cathedra loqui, et quidnam ex cathedra docere, iure censeatur.

Iam vero, quo magis quae dixi lectori benevolo arridere possint, eo magis contra me ipsum locutus esse quibusdam forsan videbor. Quomodo enim — interrogabit aliquis — ferri potest, ut ego merus laicus de rebus theologicis tam gravibus ausus sim disserere?

Pauca igitur de me ipso loqui liceat. Cura « *Revisionis* » quam dicunt *Dublinensis* (the Dublin Review) a superioribus ecclesiasticis iam a sex annis mihi commissa est. In hunc autem finem omnium potissimum incubui, ut de Pontificis principatu civili—de libertate conscientiae, cultuum, librorum—de rebus omnibus philosophicis—quae ab Ecclesia probata sunt sequerer, et contradicentes pro viribus redarguerem. Aliqui vero sunt in Anglia Catholici, qui Ecclesiae infallibilitatem et auctoritatem in docendo ad solas definitiones fidei restringunt: alii longe plures qui, saltem in rebus philosophicis, Ecclesiae iudicium parvi faciunt: alii plurimi—et ii quidem aliquando pietate insignes—qui non modo infallibilitatem v. g. Encyclicae *Mirari vos* palam denegant, verum etiam doctrinae in ea traditae scienter contradicunt; ex eo praesertim, quod circa politicas potius quam theologicas doctrinas versetur. Quum autem theologorum opera adibam, quo ex thesauris eorum arma depromerem ad errores hos profligandos, vidi theologos etiam gravissimos (quatenus invenire potuerim) quaestiones huiusmodi non tam explicite, aut saltem non tam

(1) Murray, de Ecclesia, d. 27, n, 58.

Digitized by Google

plene tractasse, ut obiectionibus hodiernis ex illorum scriptis omnino satisfacere possimus (1). Nihil igitur restabat, quam ut principia antiqua ad nova rerum adiuncta applicare conarer, et de re tam gravi pro viribus meis theologice scriberem. Et hoc quidem eo minus aggredi recusavi, quia, quamvis sim laicus, in theologia tamen non plane sum hospes; presbyter enim olim fui in secta Anglicana, et rebus theologicis iam a pluribus annis non omnino perfunctorie incubui. Insuper autem quod praecipuum est—tres sacerdotes ab ordinario meo (Archiepiscopo Westmonasteriensi) censores theologici constituti sunt omnium, quaecumque in *Revisione Dublinensi* proferuntur.

Hinc autem controversia quaedam theologica exorta est. Quidam etenim existimarunt me extra iustos limites tum Pontificis infallibilitatem extendisse, tum etiam obligationem qua Catholici omnes obstringuntur, decisionibus quibusdam quae non stricte sint infallibiles (decisionibus v. g. doctrinalibus Congregationum Romanarum) intellectum firmiter subiiciendi. Placitis quidem meis non immobilis adhaereo; sed contra nihil magis desidero, quam ut per theologorum iudicium ea corrigantur. Idcirco quae a me Anglice subinde scripta sunt, ea in breve quoddam compendium Latinum (quantum fieri posset) redegi, ut a theologis facilius legantur et recenseantur (2). Enixe autem eos flagito, ut erroribus meis, qualescunque esse possint, rite reprehensis, Ecclesiae perfectam et sinceram de materia quam tractavi doctrinam sub plena luce exhibere velint.

PRAENOTANDA

Ut tota res magis perspicua evadat, principia aliqua hic memorabimus, quae in sequentibus tamquam certa supponentur.

1. Quacumque infallibilitate gaudeat Ecclesia Docens, eadem gaudet Pontifex. Ita longe plures et graviores theologi.

2. Voces autem illae *infallibilis, infallibiliter,* vel aliae praecise aequivalentes, vix et ne vix quidem in determinationibus Pontificiis reperiuntur. Non ipsi Canones Tridentini—non ipsa Immaculatae Conceptionis definitio—totidem verbis infallibiles ab Ecclesia appellantur.

3. Ad Pontificis infallibilitatem spectat, ut nullam ampliorem infallibilitatem in actu exercito sibi vindicet, quam revera possideat. «Hoc ipso (ait Bouix, *de Papa,* » *tom. 2 p. 236*) quod aliquid definiat » et credendum praecipiat, hoc ipso » simul definit et credendam praecipit

(1) Eo tempore de quo loquor, nondum prodierat Doctoris Murray de Ecclesia tomus iii.

(2) Unam quandam sententiam, quam saepe protuli, iam, melius instructus, revoco: videatur nota ad p. 682. Videantur etiam quaestiones prima et secunda.

Digitized by Google

» *competentiam* suam quoad rem defini-» tam. » Si scire igitur velimus quanta sit infallibilitatis Pontificiae extensio, nihil ulterius quaerendum est, quam ut sciamus quanta sit extensio quam in actu exercito Pontifex sibi vindicet. ...

4. In quibuscumque decretis Pontifex fideles ad assensum interiorem et omnino absolutum praestandum obliget, decretorum illorum infallibilitatem in actu exercito docet et proponit.

5. In omnibus igitur illis definitionibus Pontifex infallibilis est, ad quas interiori absolutoque prorsus assensu tenendas fideles omnes obligari velit.

6. Pontifex nunquam stricte infallibiliter loquitur, nisi quum loquitur, ut aiunt, ex cathedra; scilicet quum loquitur utpote Doctor Universalis ex Apostolica auctoritate docendi. Si constat illum fideles omnes ad assensum omnino absolutum velle obligare, eo ipso constat, ut iam diximus, illum loqui infallibiliter, ideoque ex cathedra. Contra, si constat illum loqui ex cathedra, eo ipso constat illum fideles ad assensum omnino absolutum obligare.

Principia haec ab omnibus facile accipientur quibuscum controversia esse potest, si pauca excipias quae ad Gallicanismum referuntur. Ipsi autem Gallicani, ut spero, thesibus sequentibus ut plurimum assentientur, si in quovis casu Pontificis voci Episcoporum concentum accessisse velint supponere.

In hoc loco definitionem etiam quamdam utile erit praemittere.

Depositum, ut aiunt, Fidei, illas omnes et solas veritates complectitur, quae a Deo immediate revelatae sunt et ab Apostolis immediate Ecclesiae traditae.

THESIS PRIMA.

Ecclesia infallibilis est, non solum quum propositiones aliquas anathematizat tanquam haereticas, sed etiam quum eas censura quadam minore perstringit: quum eas v. g. proscribit, utpote erroneas, haeresi proximas, falsas, scandalosas, temerarias, etc. etc.

Non desunt auctores graves et gravissimi, qui quum quamdam prorsus diversam quaestionem directe prae oculis habent, infallibilitatem videntur ad ea restringere quae in Deposito Fidei actualiter continentur. Sed hi ipsi auctores, quum mentem suam magis diserte explicant, se nil tale sentire manifestissime ostendunt. Murray quidem affirmare non dubitat (De Ecclesia, d. 17, n. 63) sententiam, cui thesis nostra opponitur « etiam ad hodiernum diem ne unum » quidem pro se habere gravem et do-» ctrinae probatae theologum. »

Huiusce autem thesis prima et directa probatio ex eo conficitur, quod Ecclesia infallibilis sit in toto suo magisterio.

« Ecclesia, ait Perrone, officium » exequitur ...... magistrae .... in » ministerio quotidiano quo viva voce » et praxi fideles iis omnibus instruit, » quae ipsis intemerata doctrina et mori-» bus informandis conferunt, eosque » veluti manu ducit ad aeternae salutis » iter capessendum. Ad ... haec prae-» standa Christum Ecclesiam suam in-» fallibilitate instruxisse contendunt Ca-» tholici. » *De Locis, n. 347.*

Quandocunque autem propositiones Ecclesia damnat tamquam erroneas, vel haeresi proximas, vel alia censura dignas, nihil aliud facit quam, ut Patris Perrone verbis utamur, « fideles iis instruit quae » ipsis intemerata doctrina et moribus » informandis conferunt. » Hae igitur censurae, tamquam in ipso Ecclesiae magisterio inclusae, proculdubio sunt infallibiles.

Alterum et invictissimum huius thesis argumentum eruitur ex Bullis illis ce-

Digitized by Google

leberrimis *Unigenitus* et *Auctorem Fidei*. In Bullis illis plurimae notae doctrinales propositionibus variis inuruntur: et in utraque *perpetuo valitura* Constitutione Pontifex praeceptum strictum Catholicis cunctis explicite et totidem verbis imponit, ne de propositionibus proscriptis aliter *sentiant* quam in Bulla declaretur. « In omnibus autem, illis definitionibus » Pontifex infallibilis est, ad quas inte- » riori absolutoque prorsus assensu te- » nendas fideles omnes obligari velit. » Videatur principium 5^m (p. 623). Pontifex igitur proculdubio has censuras minores infallibiliter proferre potest.

THESIS SECUNDA.

Ecclesiae infallibilitas non ad ea restringitur quae actualiter aut virtualiter in Deposito continentur, sed latius patet. Ad omnes scilicet veritates extenditur, quas ita cum Deposito connecti Ecclesia iudicare possit, ut nisi Catholici eas firmiter teneant, Depositum ipsum vel non possit, vel minus bene possit, in tota sua plenitudine servari et custodiri.

Veritatum *virtualiter revelatarum* non unum est genus. Est veritas quaedam virtualiter revelata, quae ex duobus principiis revelatis logice deducitur. Est alia, quae ab altero principio revelato et altero naturaliter cognito iure infertur. Est alia denique forsan, quae ex quavis duarum priorum per *ulteriorem* logicum processum deducitur.

Non desunt Catholici, qui Ecclesiae infallibilitatem ad has *virtualiter revelatas* veritates extendunt quidem, sed et restringunt. A quovis autem Catholico certissimum censeri debet, Ecclesiam veritates etiam illas infallibiliter determinare posse, quae (ante Ecclesiae determinationem) nec actualiter nec virtualiter revelatae sunt; sed quae ad Depositum *protegendum* necessariae vel utiles ab Ecclesia iudicantur. Veritates huiusmodi *protectivas* appellare possumus; et de his sermo est in hac thesi.

Veritatum harum *protectivarum* exempla aliqua iam pergimus subiicere; per quae satis apparebit, thesim hanc secundam a nemine Catholico iure posse in dubium revocari.

1. Exemplum primum sit tale factum dogmaticum, quale v. g. sensus Iansenii in libro *Augustinus* obiective manifestatus. Ecce propositio certissime infallibilis: « Quinque quaedam assertiones in Ian- » senii libro continentur, iuxta sensum » eius libri legitimum et obiectivum. » Dici non potest propositionem hanc (priusquam ab Ecclesia determinaretur) a principio aliquo revelato logice deduci potuisse. Ad hanc propositionem demonstrandam nulla syllogismorum catena effingi potest, quae dogma aliquod revelatum contineat, tamquam vel unam unius syllogismi praemissam. Propositio est igitur *protectiva* non *virtualiter revelata*. Ecclesiam tamen infallibilem fuisse in ea declaranda, nemo Catholicus hac nostra aetate inficiari audebit.

2. Deinde potestatem perpende, ab Ecclesia in omnibus saeculis sibi vindicatam, iudicandi infallibiliter non de *doctrinis* tantum sed et de *personis* haereticorum. Anathematizati sunt non Arianismus modo, Nestorianismus, Eutychianismus, sed et Arius, Nestorius, Eutyches. Ecclesia quidem non iudicat de internis: attamen fideles saepenumero obligavit ad tenendum, non tantum quod *placita* quaedam sint haeretica, sed etiam quod *vir* quidam fuerit obiective, ut ita dicam, haereticus; quod vir quidam in manifestationibus suis externis sese haereticum ostenderit. Propositionem hanc sequentem—cum multis similibus—infal-

Digitized by Google

libiliter docuit Ecclesia: «Arius doctri- » nam illam quae Ariana nuncupatur re- » vera docuit. » Haec autem propositio mere est *protectiva;* nec, priusquam Arius damnaretur, a principio aliquo revelato per logicum aliquem processum deduci potuit.

3. Exemplum tertium sumatur a vocibus, ut ita dicam, Ecclesiasticis. « Ec- » clesiam ius habere verba quaedam » statuendi et quasi consecrandi, tan- » quam definite et etiam, inter ea quae » circumferuntur, sola apta et aptissima » ad dogma aliquod significandum, ex » eius praxi patet. Eam vero in eiusmodi » terminis statuendis infallibilem esse » ex eo patet, quod alioquin errare pos- » set in fide docenda et conservanda: in » illis enim statuendis intendit et docere » fidem et eam aptiori modo puram et » securam conservare. » Murray, *de Ecclesia, d. 17, n. 102.* Sequentem igitur considera propositionem: « Vox illa *ho- » moousios* id ipsum dogma de Dei Filii » natura, quod Catholici omnes agno- » scunt, aptissime exprimit. » Haec propositio (priusquam vocem illam Ecclesia usurpasset) a principiis revelatis minime profluxit. In propositione tamen huiusmodi *protectiva* Ecclesia infallibilis censenda est.

4. Conclusio eadem eruitur e propositionibus variis quas Pontifices identidem infallibiliter reprobaverunt. Pius VI. v. g. docet, in Constitutione *Auctorem Fidei,* Clementem IX. pacem Ecclesiae non reddidisse per approbationem distinctionis iuris et facti (prop. 13); neenon sanctissimos viros et doctores magno Catholicae religionis bono scholasticam excoluisse (prop. 76). Et multae eiusmodi declarationes Pontificiae facile adduci possent.

Porro thesim hanc secundam mirifice stabiliunt verba illa Pii IX. ex Constitutione *Gravissimas inter* deprompta, quae apposite citat Murray (de Ecclesia d. 17, n. 42) *Ecclesia,* ita Pontifex loquitur, *ex potestate sibi a Divino suo Auctore commissa, non solum ius sed officium praesertim habet .... proscribendi et damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint.* Contrariam vero sententiam damnat ut *erroneam, fidei et auctoritati Ecclesiae iniuriosam.* Omnes igitur errores ab Ecclesia infallibiliter damnari possunt, quorum damnationem *fidei integritas et animarum salus postulaverint.* Ecce illa ipsa thesis quam defendimus.

Denique iuxta definitionem illam censurae theologicae quae, testante P. Perrone, « vulgo dari consuevit » (de Virt. Theol., pars 1, n. 500) propositio aliqua censura notari potest quae est « fidei *aliquo modo* nociva. » Iuxta communem igitur theologorum sententiam, non eae tantummodo propositiones damnari possunt quae Fidei sunt quocumque modo *contrariae,* sed eae quae Fidei sunt *nocivae.*

Hic autem, maioris perspicacitatis gratia duas annotationes subiicere liceat. Harum altera non est nisi de modo loquendi. Veritates enim has *protectivas,* etiam priusquam ab Ecclesia declarentur, aliqui forsan *virtualiter revelatas* appellabunt. Quicquid sit de hoc, saltem constat veritates huiusmodi, ante Ecclesiae declarationem, a nullo principio revelato logice deduci potuisse.

Posita tamen Ecclesiae declaratione, hae veritates procul omni dubio *virtualiter revelatae* iure appellantur. Exemplum unum stabit pro omnibus. « Ec- » clesia infallibilis est in omnibus illis » propositionibus declarandis, quas ad » omnino absolute tenendum fideles o- » mnes obligari velit: » ecce principium revelatum. « Quinque illas assertiones in » Iansenii libro vere contineri, propositio » est ad quam omnino absolute tenen- » dam Ecclesia fideles omnes vult obli- » gari: » ecce principium naturaliter cognitum. Ex his autem praemissis simul

Digitized by Google

sumptis proxime sequitur, quinque illas assertiones in Iansenii libro revera contineri. Haec veritas igitur—ex quo tempore Ecclesia illam declaravit—virtualiter revelata est.

THESIS TERTIA.

Veritates multae, quae primario et in materia proxima non theologicae sunt sed philosophicae, politicae, historicae, physicae, ita tamen cum revelatis connectuntur, ut earum declaratio ad Depositum rite custodiendum utilissima sit et aliquando etiam necessaria. Veritates has Ecclesia infallibiliter declarare potest.

Thesis haec nulla ulteriore probatione indigere videtur, nisi quae in praecedentibus contineatur.

Attamen ut res bene intelligatur, tum Scyllam tum Charybdim evitare necesse est. Et primo quidem nihil docet Ecclesia nisi propter Depositum. De rebus theologicis curat propter se ipsas; de caeteris non curat nisi quatenus cum theologicis connectantur. Concipi potest v. g. systema aliquod philosophicum nec rationi nec experientiae esse consentaneum; et tamen Deposito Fidei non nocere. Systema ejusmodi Ecclesia damnare non posset. Seu, ut rem eamdem aliter dicamus, si placita quaedam philosophica politica, physica damnet Ecclesia, hoc ipso constat placita illa Fidei esse nociva.

Nihilominus quod theologice est falsum non potest esse philosophice verum. Idcirco si opinio quaedam philosophica censura aliqua theologica percellatur quae illius falsitatem declaret, in ipsa philosophia tractanda opinionis illius falsitas pro certo habenda est. Ideoque quamvis Ecclesia scientias humanes non doceat ex propriis earum principiis, eas tamen mirifice promovere et adiuvare potest.

THESIS QUARTA.

Quum Ecclesia declarat veritates aliquas ita cum Deposito connecti, eo ipso illas in materia fidei et morum contineri pronuntiat.

Martinus V. decreta illa, quae adversus Wickleffum promulgata sunt, *totidem determinationes, conclusiones et decreta in materia fidei* appellat: quin et Concilium ipsum Constantiense de illis loquitur tanquam *determinationibus in materia fidei*. Iam vero inter Wickleffi propositiones damnatas hae reperiuntur. *Universitates, studia, collegia, ... et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt Ecclesiae quantum diabolus* (prop. 29). *Decretales epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi: et clerici sunt stulti qui student eis* (prop. 38). Harum autem propositionum contradictoriae neque immediate revelatae sunt, neque ab immediate revelatis logice deduci potuerunt: et tamen, ex Pontificis et Concilii testimonio, in materia fidei continentur. Veritates igitur, quas propter Depositi protectionem Ecclesia declarat, eo ipso in materia fidei et morum contineri censentur.

Hinc eruitur consectarium, quod alicuius est momenti. Quum hic vel ille theologus infallibilitatem ad « materiam fidei et morum » restringit, non inde inferre possumus theologi illius vel in mentem venisse, ut de Ecclesiae infallibilitate dubitaret in veritatibus *protectivis* declarandis.

Hic obiter de alio quodam modo loquendi verba faciemus. Mos est quo-

rundam theologorum (forsan et ipsi Pontifices aliquando ita locuti sunt) ut veritates illas solas *dogmata* appellent, quae a Deo revelatae sunt; illas autem omnes veritates *doctrinas* nuncupent, quae cum Deposito Fidei aliqualiter connectuntur. Ita et nos loquemur. Propositiones omnis generis — philosophiae, historiae, politices, physices — *doctrinales* vocabuntur, quatenus ad Depositum Fidei referantur aut sint referibiles.

THESIS QUINTA.

Ecclesia non raro infallibiliter docet non modo quum definitam aliquam propositionem vel confirmat vel reprobat; sed etiam quum (prolixe etiam quandoque et rhetorice) expositionem promulgat doctrinae Catholicae.

Ex multis quae exstant huiusmodi expositionibus, paucas proferam.

1. S. Leonis Epistolam, ad Flavianum inscriptam, infallibilem esse fidei regulam, ne unus quidem theologus unquam dubitavit; quamvis Gallicani, iuxta sua principia, infallibilem eam fuisse negant, donec Episcoporum assensus accessisset. Post illum autem assensum, ut Bossuetii verbis utar, Epistola haec « proposita est tanquam regula fidei » perfectissima et certissima et non am» plius retractanda. » Iam vero in Epistola illa *definitas propositiones* S. Pontifex neque confirmat nec reprobat: totus est in *expositione* quadam dogmatis Catholici plene et accurate elaboranda.

2. Concilia aliqua Oecumenica definitiones suas ediderunt, non per modum *propositionum*, quales v. g. fuerunt S. Cyrilli anathematismi; sed per modum expositionis amplae et diffusae. Ita Sextum v. g. et Septimum.

3. Deinde Concilium Tridentinum non per canones tantum docet, sed etiam per capitula quae totidem sunt *expositiones* doctrinae Catholicae. Haec autem capitula non minus infallibilia esse quam ipsos Canones, ex verbis Concilii manifestissime evincitur. In Sessione sexta v. g. ita Patres pronuntiaverunt: *Sacrosancta. . . . . Tridentina Synodus. . . . . exponere intendit omnibus fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis . . . . districte inhibentes, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere quam praesenti decreto statuitur ac declaratur.* » Proxime sequitur primum capitulum: *Primum* declarat *Sancta Synodus etc. etc.*» Sexdecim sunt haec capitula; et post ea absoluta sic pergunt Patres Tridentini: *Post hanc Catholicam de Iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit iustificari non poterit, placuit Sanctae Synodo hos canones subiungere; ut omnes sciant non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.* Capitula igitur docent quid vir Catholicus debeat *tenere et sequi*, canones vero quid debeat *vitare et fugere*: Capitula autem, non minus quam canones, *fideliter firmiterque recipere* omnes Catholici iubentur(1). In omnibus autem illis determinationibus, ut tam saepe diximus, Ecclesia infallibilis est, ad quas interiori et absoluto prorsus assensu tenendas fideles omnes obligari velit.

Hinc tamen minime sequitur (ut id obiter adnotemus) *haereticum* illum fore qui a doctrina in Capitulis Tridentinis exposita scienter dissentiret, sed tantummodo eum mortaliter contra fidei virtutem esse peccaturum.

4. Bullam illam celeberrimam *Unam Sanctam* Suarezius appellat « definitio» nem Pontificis communi consensu Ec-

(1) Videatur Murray, de Ecclesia, d. 17 nn. 277—8.

» clesiae receptam et approbatam. » (De Fide, d. 20, s. 3, n. 22.) Haec autem Bulla non est nisi doctrinae Catholicae, de mutuis sacerdotii, et imperii relationibus, prolixa quaedam *expositio*.

Pauca quaedam alia exempla in sequentibus proferentur; sed quae diximus abunde ad propositum sufficiunt.

Bene igitur fieri potest, et non raro fit, ut doctrinae Catholicae *expositio* quaedam Pontificia ex cathedra prodeat. Contra indubitatum est, Pontifices varias expositiones doctrinales identidem edere, quae non prodeant ex cathedra nec sint stricte infallibiles. Alicuius igitur momenti est, ut sciamus quaenam ex his expositionibus tanquam infallibiles habendae sint, et in qua parte infallibiles. Hanc quaestionem, ut nobis quidem videtur, non satis elucidaverunt theologi; vel de ea expendenda non satis cogitaverunt; vel etiam opportunum non iudicarunt penitus inquirere. In hac re quaedam certa, quaedam minus certa, nobis videntur: a certis autem incipiemus.

THESIS SEXTA.

Non omnes Pontificis expositiones doctrinales ex cathedra prodeunt. Interdum loquitur, non ut Ecclesiam doceat, sed ut privatum aliquem vel particularem aliquam Ecclesiam doctrinaliter admoneat. Expositiones autem huiusmodi, quamvis quam maxima gaudeant auctoritate, non pro omnino infallibilibus habendae sunt.

Officium etenim Pontifici committitur, non docendi tantummodo sed etiam regendi et gubernandi Ecclesiam. Porro ad *Gubernatorem* Ecclesiae apprime spectat, ut privatos Catholicos et Ecclesias particulares de erroribus doctrinalibus moneat et ad veritatem plenam reducat. Eodem fungitur *Gubernatoris*, ut ita dicam, *Doctrinalis* officio, quum homines v. g. recenter ad fidem conversos quasi catechetice in doctrina Catholica instituit: quod officium Eugenius IV. praestitit in instructione sua ad Armenos data. *Gubernatoris Doctrinalis* pariter munus obit, quum Episcopis aut etiam Catholicis privatis rescribit, qui sententiam illius doctrinalem expetiverunt. « Respondent enim saepe » Pontifices ad privatas huius aut illius » Episcopi quaestiones, suam opinionem » de rebus propositis explicando, non » sententiam ferendo qua fideles obliga» tos esse velint ad credendum (1). » Eiusmodi probabilius fuit Nicolai I. ad Bulgaros responsio. Acta huiusmodi *Pontificia* sunt, sed non *ex cathedra;* a Pontifice prodeunt tanquam Pontifice, sed non tanquam Doctore Universali. « Haec » omnia, ait P. Perrone, pro summa » auctoritate ex qua dimanant magno » semper in pretio habenda sunt ac hu» mili mentis obsequio ac veneratione » accipienda; nihilo tamen minus non » constituunt definitionem ex cathedra (2).

In controversia Monotheletica Honorius Epistolas suas ad Sergium scripsit, tanquam Ecclesiae Gubernator Doctrinalis. In officio hoc ita infauste se gessit, ut iure post mortem a S. Leone II. anathematizatus sit, — non tanquam haereticus: absit! — sed tanquam haereticorum fautor, confirmator et particeps criminis. Nullum omnino decretum promulgavit ex cathedra; immo Honorium ipsum ab haeresi Monotheletica penitus fuisse alienum, ex Epistolis eius abunde constat. Attamen quaestionis insurgentis significationem et gravitatem minime perspexit; et Patriarchas Orientales monuit ut a vocabulo illo *geminae opera-*

(1) Canus de locis l. 6 c. 8 ad 7. — (2) De Locis, n. 725 in nota 2.

Digitized by Google

tionis abstinerent, quod tamen solum aptum fuit ad veritatem Catholicam et declarandam et custodiendam. Certissimum autem est eum nihil de illius vocabuli ineptitudine ex cathedrá docuisse.

THESIS SEPTIMA.

In expositionibus doctrinae quae ex cathedra prodeunt, non omnia sunt infallibilia, sed ea tantum quae sunt pars integralis ipsius definitionis.

Praeambula Acti Pontificii v. g. vel argumenta ad probationem allata, plerumque non intendit Pontifex tanquam infallibiliter vera proponere. Et alia aliqua, obiter dicta, saepenumero in Acto quovis eiusmodi reperienda sunt, quae a Pontifice proferuntur in ordine ad hortationes, consilia, etc. etc., sed non utpote partem integram exprimentia veritatis eius quae ab eo definitur.

In ipsis Conciliis Œcumenicis, definitio est quae sola definitur. Caetera in Actis contenta maxima plerumque gaudent auctoritate, sed non pro iis promissa est Spiritus Sancti assistentia ut infallibiliter sint vera. Idem vero principium, ut patet, de Pontificis locutionibus ex cathedra omnino tenendum est.

Consectarium practicum quod ex hac thesi profluit, optime more suo evolvit Tanner: « Si in materia fidei Pontifex » aliquod decretum edat ut Pastor Ec- » clesiae, diligenter ex circumstantiis (oc- » casione videlicet scribendi, ex quae- » stione proposita, ex verbis decreti) iudi- » candum erit quidnam directe docere » aut determinare intendat Pontifex. Illa » enim quae in eius rei dumtaxat *pro-* » *bationem* et *confirmationem*, aut alias » *obiter* solum et *incidenter* dicta sunt, » non cadunt sub definitionem; nec Pa- » pa ad ea credenda censetur velle obli- » gare Ecclesiam. »—*De Fide, n. 261.*

THESIS OCTAVA.

Gregorius XVI. Encyclicam, Mirari vos, *ex cathedra procul omni dubio promulgavit.*

In Encyclica enim, *Singulari nos*, quam ad omnes Ecclesiae Episcopos Pontifex ille postea misit (die 23 Iunii, 1834), hoc expresse testatus est. «*In Encyclicis nostris Literis*—scilicet *Mirari vos—datis die 15 Augusti 1832, sanam et quam unice sequi fas sit doctrinam de propositis ibidem capitibus pro nostri officii munere Catholico gregi universo denunciavimus.* »

Mox de doctrina illa loquitur Gregorius XVI. *quam memoratis nostris Literis tum de debita erga potestates subiectione, tum de arcenda a populis exitiosa indifferentismi contagione, deque frenis iniiciendis evaganti opinionum sermonumque licentiae, tum demum de damnanda omnimoda conscientiae libertate teterrimaque societatum vel ex cuiuscumque falsae religionis cultoribus in sacrae et publicae rei perniciem conflatarum conspiratione, pro auctoritate humilitati nostrae tradita, definivimus.* » Testante igitur Pontifice ipso, in Encyclica, *Mirari vos, pro officii sui munere, pro auctoritate sibi tradita, Catholicam doctrinam definivit, quam sequi unice fas sit.* Prorsus impossibile est obligationem interioris assensus omnino absoluti, qua Catholici omnes astringantur, disertius exprimi. In omnibus autem illis determinationibus, ut toties argumentati sumus, Summus Pontifex infallibilis est, ad quas interiori et absoluto pror-

Digitized by Google

sus assensu tenendas fideles omnes obligari velit.

Tota autem huius Encyclicae promulgationis historia manifestissime evincit, Pontificem eam tamquam infallibilem fidei regulam edidisse.

1. Die 3. Februarii, 1832, Lamenneius et socii eius libellum quemdam supplicem ad Gregorium XVI. obtulerunt. Ita autem in hoc libello loquuntur (1): « Eia Pater respicere dignare » quosdam qui inter humillimos sunt » servorum tuorum, et qui de rebellione insimulantur adversus auctoritatem » tuam *infallibilem* simul et suavem. Si » vel una ex illorum cogitationibus a » tuis aliena sit, illam reiiciunt et ab» iurant (2).» Porro Emus Card. Pacca die 16 Augusti ad Lamenneium epistolam dedit, ipsius Papae iussu conscriptam. In hac epistola expresse profitetur, Pontificem iam tandem id ipsum perfecisse quod Lamenneius diu postulaverat. Deinde his verbis prosequitur: *Sanctitas sua tanto minus, a iudicio promulgando declinare potuit quod Episcopatus ab omni parte Cathedram hanc Apostolicam obsecraverit, ut a Petri successoris ore infallibili decisionem solemnem de doctrinis* (tuis) *oblinerent* (3). Pontifex igitur, per Card. Pacca loquens, aperte profitetur se, in iudicio ferendo votis tum Episcopatus tum Lamenneii ipsius assensisse. Quaenam autem fuerant haec vota? Scilicet ut Pontifex *infallibile* proferret iudicium.

2. Die autem octava Maii 1833, hanc ad Archiepiscopum Tolosanum Gregorius XVI. rescripsit. *Litterae tuae,* ait, *traditae fuerunt nobis in eam curam cogitationemque iamdiu incumbentibus, ut ex more institutoque sanctae huius Sedis ....omnes Ecclesiae filios opportune edoceremus quidnam de tristissimo illo argumento....sit praedicandum. Memores etiam ex praedecessoris nostri Leonis Magni monitu', tenuitatem nostram Ecclesiae praesidere sub illius nomine cuius fides errores quoslibet impugnat, probe intelligimus id nobis speciatim commissum esse, ut omnes conatus nostros causis impendamus, in quibus universae Ecclesiae salus possit infestari....Id nos, Deo bene iuvante atque auspice in primis Virgine sanctissima, fidenter peregimus, datis solemni Assumptionis ipsius die ad Catholici orbis Antistites Encyclicis Litteris, quibus sanam et quam unice sequi fas sit doctrinam pro nostri officii munere protulimus* (p. 360). Testatur itaque Pontifex se, in Encyclica illa, *Mirari vos*, locutum esse tamquam Petri infallibilitatis haeredem; se illam ad *omnes Catholicos sanam doctrinam edocendos* edidisse; denique illam doctrinam esse *quam unice sequi fas sit.*

3. Similia omnino ad Episcopum Rhedonensem rescripsit Gregorius XVI. die 5 Octobris eodem anno (pp. 366—372). Conqueritur, Lamenneium nondum orbi Catholico *manifestum* fecisse *ipsum firme et graviter tenere ac profiteri sanam illam doctrinam* in Encyclica propositam. Conqueritur virum illum *supremam quidem* Papae *auctoritatem revereri, iudicio autem* ipsius *doctrinisque traditis nondum obsecutum fuisse.* Exponit denique quid a Lamenneio requirat: scilicet *ut doctrinam* in *Encyclica traditam.... se unice et absolute sequi confirmet, nihilque ab ea alienum se aut scripturum esse aut probaturum.*

4. Postremo Card. Pacca, iussu Pontificis, aliam ad Lamenneium scripsit epistolam die 28 Novembris eodem anno: in qua « *Petri oris effatis infallibilibus* » Lamenneium non sese *subiecisse* valde dolet (pp. 154-6).

(1) Testimonia haec omnia a Lamenneii opere sumuntur, cui nomen « Affaires de Rome. Cailleux et Cie. Paris, 1866-7. »

(2) P. 88. Verba Gallica Latine reddidimus.

(3) P. 130. Hic etiam verba Gallica Latine reddidimus.

Digitized by Google

Mirum est revera quot et quam variis modis Encyclicae huius infallibilitatem testetur ipse eius scriptor Gregorius XVI. In tota Ecclesiae historia ne unum quidem, ut existimo, Actum Pontificium reperietur, de quo indicia indubitatiora suppetunt, quod illud Pontifex ediderit cum intentione fideles omnes ad assensum omnino absolutum obligandi.

Ex thesi hac varia profluunt consectaria, quae in sequentibus memorabuntur. Unum tantummodo hic notare libet; scilicet nusquam modo loquendi vehementiori et magis rhetorico Pontificem aliquem usum esse, quam in hac Encyclica. Propositio quae ait, *Asserendam esse ac vindicandam cuique libertatem conscientiae,* damnatur utpote *error pestilentissimus,* et *deliramentum* potius quam mere *erronea sententia. Libertas* nunc existens *artis librariae, teterrima* declaratur, *ac nunquam satis execranda et detestabilis.* Constat igitur determinationem aliquam infallibilem ex Petri Cathedra prodire posse, etiamsi per verba vel maxime vehementia et rhetorica exprimatur.

Ex verbis his rhetoricis et vehementibus occasio a quibusdam sumpta est Encyclicae infallibilitatem denegandi. Effata eiusmodi fore nimis crudelia aliqui clamaverunt, si Encyclica censeatur esse ex cathedra; neque quidem in illa verborum nube et caligine, Catholicum quemquam scire posse cuinam praecisae determinationi interior assensus debeatur. Sed facile obiectioni huic, ut existimo, occurri potest. *Libris sacris* Catholici omnes infallibilitatem tribuunt longe magis *pervasivam* (ut ita dicam) quam alicui expositioni doctrinali ab Ecclesia promulgatae: in Scriptura etenim Sacra nulla sunt *obiter dicta;* et argumenta ipsa sunt infallibiliter vera. Verba autem SS. Petri et Iudae (vid. 2 Pet. II. 19, Iud. v. 10—16) non minus vehementia aliquando sunt quam verba Gregorii XVI. S. Paulus etiam locis rhetoricis abundat. Interrogamus igitur adversarios nostros, quomodo satis scire possimus quidnam praecise in locis illis rhetoricis S. Spiritus doceat.

THESIS NONA.

In pluribus Encyclicis Epistolis, et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris, Pius IX. locutus est ex cathedra.

Semel quidem in Pontificatu suo Pium IX. locutum esse ex cathedra Catholici omnes agnoscunt; neque enim qui aliter dicat Catholicus esse potest. Locutio autem illa fuit per Bullam dogmaticam *Ineffabilis.*

Vocabulum quidem hoc *ex cathedra* non omnino univoce usurpatur, quum de *definitionibus fidei* agitur et de aliis definitionibus. In sensu tamen satis proprio Pontifex *ex cathedra* loqui dici potest, (etiamsi nullum dogma de fide credendum proponat,) quandocumque doctrinam Catholicam infallibiliter edoceat ut Doctor Universalis. Porro Pium IX. doctrinam Catholicam ita in pluribus Litteris Apostolicis et Allocutionibus revera edocuisse, iam declarandnm est.

Et hoc quidem in Encyclica, *Quanta cura*, aequivalenter testatur. In primo Encyclicae illius paragrapho declarat, Romanos Pontifices praedecessores eius nunquam intermisisse universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere: immo eos *nihil potius unquam habuisse, quam sapientissimis Litteris et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores qui, Divinae Fidei nostrae....adversi, graves frequenter excitarunt tempestates etc.* Hae autem Constitutiones, ut constat, definitiones illae

Digitized by Google

doctrinales fuerunt, per quas, omnibus prioribus saeculis, Ecclesia ab haeresibus et erroribus grassantibus immunis servabatur. Certissimum est igitur illas editas fuisse a Pii IX. praedecessoribus, tanquam a Pastoribus Ecclesiae et Doctoribus Universalibus.

Iam vero, (ita in paragrapho secundo pergit Pontifex) *illustria proedecessorum nostrorum vestigia sectantes, nostram extulimus vocem ac pluribus in vulgus editis Encyclicis Epistolis, et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris, praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus.* Praedecessores eius haereses et errores damnaverant per *Litteras et Constitutiones* ex cathedra editas: et Pius IX. profitetur se *eorum vestigia sectatum esse* in damnandis *praecipuis nostrae aetatis erroribus.* Hae damnationes igitur editae sunt *ex cathedra.* Continebantur autem, ut ipse ait, in pluribus Encyclicis, Allocutionibus, Litteris Apostolicis: Encyclicae igitur illae, Allocutiones, Litterae Apostolicae, editae sunt ex cathedra.

Ac praesertim (ait Pius IX.) *nostra prima Encyclica Epistola die 9 Novembris 1846, vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 Dec. 1854, altera vero9 Iunii 1862, in Consistorio a nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, etc.* Quum autem Pontifex opinionum quaedam portenta, quadam aetate dominantia, solemniter damnat, procul omni dubio loquitur ex cathedra: in illa igitur Encyclica et binis illis Allocutionibus Pius IX. locutus est ex cathedra (1).

THESIS DECIMA.

Deus Pontificem minime obligavit, ad formam aliquam determinatam loquendi ex cathedra. Tantummodo requiritur, quod vel in ipso illo Acto Pontificio, vel alio quocumque modo, intentionem Ecclesiae totius edocendae Papa satis manifestet.

Ne unus quidem, ut existimo, reperiri potest theologus, qui explicite sentiat Pontificem a Deo ad formam aliquam determinatam loquendi ex cathedra esse obligatum. Attamen non raro per incuriam, ut mihi quidem videtur, ita hic vel ille theologus argumentatur, quasi *implicite* existimet hanc obligationem existere. Si sermo sit de Bullis Dogmaticis, hoc unum notare sufficiet; scilicet illas non nisi medio fere aevo in usum venisse. Omnes locutiones, quae ex Petri Cathedra per multa saecula prodierunt, formam aliam induerunt, non autem formam Bullae Dogmaticae.

Aliqui sunt forsitan, qui thesim hanc quidem non negant, sed qui per aliam viam vim eius legitimam eludunt. Progressu temporis evenit (ita forsan argumentabuntur), ut Pontifices Bullas Dogmaticas eligerent, tanquam media exclusiva ad Universam Ecclesiam edocendam. Ex quo tempore usus hic praevaluit, quandocunque Pontifex per aliam formam loquitur, satis ostendit se non velle ex cathedra docere, nec fidelium assensum obligare.

Primo autem responderi potest, nulla unquam aetate usum illum praevaluisse non docendi ex cathedra nisi per Bullas.

(1) Sponte confiteor me, dum thesim hanc in scriptis meis quibusdam exponerem, illam ulterius quam par sit extendisse. Existimavi enim omnia illa Pii IX. Acta edita fuisse ex cathedra, in quibus notantur propositiones postea in Syllabo reprobatae. Hanc autem sententiam nunc revoco. Graves enim theologi me monuerunt, ex hoc solum quod Acta illa in Syllabo citentur, *generatim* probari non satis posse ea ex cathedra prodiisse; sed singula esse seorsim perpendenda.

Digitized by Google

Si unquam mos ille viguit, certe saeculo decimo septimo vigebat: et tamen hoc ipso saeculo Fenelonium damnavit Innocens XII. non per Bullam sed per Breve. Damnationem autem hanc fuisse ex cathedra, nemo unquam dubitavit.

Sed demus, si placeat, Pontifices per aliqua saecula non nisi per Bullas locutos esse ex cathedra: nullum argumentum pro adversariorum nostrorum conclusione inde aliquatenus confici posset. Nemo asserere audebit, Pontifices qui in iis saeculis regnaverunt successores suos ad eundem modum loquendi obligare voluisse; aut potuisse, etiamsi voluissent. Pius IX. vero, ut iam vidimus, testatur se pluries ex cathedra locutum esse per Encyclicas, Allocutiones, aliasque Apostolicas Litteras: Gregorius XVI. declarationem non absimilem promulgavit (videatur Denzinger, n. 1486); immo et Encyclicam, *Mirari vos,* certissime ex cathedra edidit. Etiamsi igitur mos aliquando apud Pontifices viguisset non loquendi ex cathedra nisi per Bullas, Gregorius XVI. et Pius IX. diserte pronuntiaverunt se morem illum non amplius servare.

THESIS UNDECIMA.

Locutio quaedam potest esse ex cathedra, etiamsi obligatio assensum praestandi non diserte exprimatur, sive per vocem anathema *seu alio quocunque modo.*

Ut alia omnia exempla praeteream, veritas huiusce thesis evincitur ex Encyclica, *Mirari vos*. Quamvis enim, ut vidimus, extrinsece manifestissimum fecerit Gregorius XVI. Catholicos omnes ad assensum doctrinae inibi expositae praestandum teneri, in ipsa tamen Encyclica hoc non explicite affirmavit. Idem prorsus de S. Leonis ad S. Flavianum Epistola dicendum est, et de pluribus aliis.

THESIS DUODECIMA.

Locutio quaedam potest esse ex cathedra, quae, quoad ipsam eius formam, ad Ecclesiam Universam non dirigatur: quae v. g. ad Episcopum aliquem vel etiam laicum inscribatur.

Locutio ex cathedra nihil aliud est, quam locutio in qua ex auctoritate Apostolica totam Ecclesiam edocere Pontifex intendit, et intentionem illam satis manifestat. Theologos autem qui hanc veritatem exponere voluerunt aliqui sinistre interpretati sunt, quasi necesse esset omnes locutiones ex cathedra, *quoad ipsam formam,* ad Universam Ecclesiam dirigi. Sed haec est merissima hallucinatio. Quoad ipsam formam, Actum aliquod Pontificium ad totam dirigitur Ecclesiam, si ad omnes Episcopos inscribatur; aut multo magis si (sicut Bullae, *Unigenitus* et, *Auctorem Fidei*) ad omnes fideles. Ipsa autem Bulla, *Ineffabilis,* quoad *formam,* non ita ad Ecclesiam Universam directa est. Et, ut quam plurima praetereamus exempla, S. Leonis celeberrima ad Flavianum Epistola veritatem thesis huius invectissime demonstrat.

Quin et Benedictus XIV. quum ad Archiepiscopum Sancti Dominici rescriberet die 5 Dec. 1744, *Scribimus,* inquit, *non ex auctoritate Apostolicae Sedis . . . sed meram sustinentes personam Doctoris privati:.... neque enim visa nobis est ea quaestio Pontificiae decisionis oraculo indigere.* Oraculum igitur Pontificiae decisionis edere potuisset, in rescribendo ad quaestionem unius Episcopi.

Digitized by Google

THESIS DECIMA TERTIA.

Si in Epistola aliqua Pontificia declaretur aliquam propositionem esse haereticam, erroneam, temerariam, etc., vel esse revelatam, certam, Catholicam, etc., Epistola ea ex cathedra prodiisse plerumque censenda est.

Ita fere Murray, *de Ecclesia, d. 20, n. 115* qui hanc rationem subiungit: « ut » enim fides pura teneatur, res est quae » ad Universam Ecclesiam, ad omnes et » singulas, ad omnes et singulos fide- » les, ex aequo pertinet. » Porro Pontifex, eo ipso quod vocabulis huiusmodi utatur, satis innuit sé obligationem velle exprimere, qua Catholici omnes obstringuntur, ad declarationem eius absoluto prorsus assensu amplectendam.

Nihilominus temperatione quadam et explanatione thesis haec indigere nobis quidem videtur. Fieri enim potest ut Catholicus quidam—v. g. rex aliquis aut imperator—ex ignorantia propositionem aliquam teneat, quae per universam Ecclesiam utpote censura digna agnoscatur; vel propositionem reiiciat, quae per universam Ecclesiam nota sit ut Catholica et certa. Pontifex igitur virum talem monere potest, non tanquam Doctor Universalis, sed tanquam Ecclesiae Gubernator Doctrinalis.

Exceptio tamen haec parvi admodum est momenti. Pontificis enim testimonium, quod doctrina quaedam per universam Ecclesiam cognoscatur ut certa, in praxi vix minorem sortietur effectum quam si doctrinam illam declaret ex cathedra. Pius IX. v. g. monuit Victorem Emmanuelem, *doctrinam esse Ecclesiae Catholicae,* quod unio coniugalis non possit esse inter Christianos nisi in Matrimonii Sacramento. Si Pontifex testificari voluit Catholicos moraliter omnes per orbem terrarum ita sentire, testimonium eiusmodi aequivalet fere locutioni ex cathedra. Si autem satis sciret aliquos esse non stricte Acatholicos qui de veritate illa dubitent, et tamen pronunciaret doctrinam illam Catholicam esse et certissimam, tum proculdubio tanquam Doctor Universalis rem determinavit.

THESIS DECIMA QUARTA.

Omnes errores, qui in Syllabo recensentur, octava die Dec. 1864 promulgato a Pio IX., ex cathedra reprobati sunt.

Huiusce thesis veritas—ex quo tempore Syllabus edebatur—magis magisque in dies manifestam se fecit, ex modo loquendi et agendi tum Pii IX. tum Episcoporum.

1. Card. Antonelli ex Pii IX. iussu Syllabum hunc ad omnes Episcopos perferendum curavit, utpote in quo recensebantur *errores et perniciosae doctrinae quae a Pontifice reprobatae ac proscriptae sunt*. Eo ipso autem (ut iam diximus) quod Pontifex errores hos *reprobatos et proscriptos* appellet, satis innuit obligationem se velle exprimere, qua omnes Catholici obstringuntur, errores hos prorsus reiiciendi.

2. Si scire velimus quomodo Syllabum hunc a fidelibus accipi Pius IX. voluerit videamus quomodo in ipsa Urbe, annuente Pontifice, is fidelibus proponeretur. Emus Card. Patrizi, Pii IX. in Urbe Vicarius quum, anno 1865, invitationem suam sacram emitteret ad Quadragesimae dies observandos, de Encyclica, *Quanta cura,* et simul de Syllabo verba fecit. Pronuntiavit autem duo haec Acta *tanquam ipsum Dei verbum* a fidelibus accipi debere.

Digitized by Google

3. Similiter locuti sunt Episcopi, quibus per orbem terrarum, cum Petri sede coniunctis, munus Ecclesiam docendi a Deo commissum est. Exemplo sint Episcopi Galliae. Syllabum hunc una cum Encyclica, *Quanta cura,* cui annexus est, *regulam fidei* vocant *infallibilem—obligatoriam in Christianorum conscientiam — Symbolum* quoddam fidei quasi *Credo— veritatis oraculum infallibile*—cui *docilitatem mentis et cordis debent Episcopi* —quod ab omnibus Catholicis *plenam et perfectam adhaesionem spiritus et cordis* postulet—Bullae *Unigenitus in auctoritate par, etc.* (1). Ne unus quidem per orbem terrarum Episcopus palam declarationibus his contradixit.

4. Postremo, quod omnium est maximum, Pius IX. vivo oraculo mentem suam disertissime aperuit. Die enim 17 Iun. 1867, ita ad Episcopos locutus est: *Encyclicam* « Quanta cura » *necnon et* «Syllabum» *coram vobis,* (ait) *nunc confirmo et vobis iterum tamquam regulam docendi propono.* Quae autem Episcopis regula est docendi, procul omni dubio fidelibus regula est credendi.

QUAESTIO PRIMA.

An quoties Pontifex in expositione quadam doctrinali fideles omnes quid ab eis pro certo tenendum sit edoceat, eo ipso ex cathedra loqui censendus sit.

Quaestioni huic affirmative esse respondendum, in argumentis meis Anglice scriptis pro concesso semper assumpsi. Tritissimum sane effatum est apud omnes theologos, Pontificem loqui *ex cathedra* quotiescunque loquatur ut *Doctor Universalis.* Quandocunque autem in expositione quadam doctrinali fideles omnes quid ab eis pro certo tenendum sit edoceat, existimavi eo ipso (ex vi termini) eum loqui ut Doctorem Universalem. Hanc sententiam tanquam indubitatam exprimit Bouix in loco mox citando: et Murray etiam ait (de Ecclesia, d. 20, n. 114): « Vix fieri potest ut doctrinam » aliquam universae Ecclesiae proponat » Pontifex nisi *coactive;* etsi id fieri pos- » sit in Epistola ad aliquem Episcopum.»

Graves tamen et gravissimi quidam hodierni theologi, ut mihi iam compertum est, aliter censent. Censent videlicet Pontificem—etiam quum fideles omnes quid ab eis tenendum sit edoceat—non semper loqui tanquam Doctorem Universalem. Censent eum in declarationibus huiusmodi aliquando loqui, ex auctoritate quidem pascendi sibi divinitus commissa, non tamen *ex tota eius extensione;* eum aliquando universam quidem Ecclesiam edocere, sed non infallibiliter; seu (ut rem forsitan eandem paullo aliter exprimamus) eum doctrinam quandam aliquando universae Ecclesiae tenendam proponere, non tam utpote Doctorem Universalem, quam utpote Universalem Gubernatorem Doctrinalem. Addunt tamen hi theologi, et urgentissime quidem inculcant, neminem Catholicum a doctrinis ita declaratis posse interius dissentire, absque violatione debitae submissionis erga magisterium divinitus constitutum.

Nodo huic solvendo me imparem profiteor. Si autem distincte intelligatur quod hi theologi indubitatissimum existimant—scilicet declarationibus huiusmodi Pontificiis a quovis Catholico firmum deberi assensum interiorem, — res tota in praxi parvi erit momenti. Equidem ad responsionem affirmativam adhuc valde propendeo.

(1) Ipsa Episcoporum verba citata reperies in opere meo Anglice scripto, « On Doctrinal Decisions which are not Definitions of Faith,» pp. 86—91.

Digitized by Google

QUAESTIO SECUNDA.

An Congregationum Romanarum ea omnia decreta doctrinalia, quae Pontificis confirmationem expresse et verbis conceptis prae se ferunt, pro Pontificis decisionibus infallibilibus habenda sint.

Affirmative huic quaestioni respondet Bouix in opere percelebri, *de Curia Romana.* Ita enim loquitur (p. 480):

« Infallibilia sunt (Congregationum » Romanarum decreta doctrinalia) quan» do eduntur quidem nomine Sacrae Con» gregationis, sed de *speciali mandato* » Papae, aut accedente ipsius *confir*» *matione.*

» 1. In casu accedentis Pontificiae » *confirmationis,* patet decretum ipsimet » Pontifici esse attribuendum; siquidem » illud confirmando suum facit. Et cum » aliunde sit dogmaticum et publicetur, » per illud Summus Pontifex universalem » Ecclesiam docere censendus est; ac » proinde, infallibile sit eiusmodi decre» tum necesse est.

» 2. Infallibile etiam est decretum » dogmaticum, Sacrae Congregationis » nomine editum, si publicetur *de spe*» *ciali mandato* Pontificis. Hoc ipso enim » quod Summus Pontifex, habita notitia » de aliquo eiusmodi decreto dogmatico » vult et iubet illud publicari, ipsum » approbat ac suum facit. Proinde ipse» met iudicat ac definit id ipsum quod » in decreto definitur. Ergo non minus » valebit istud decretum, quam si a » Pontifice ipso immediate et ipsius no» mine ederetur et publicaretur. Ergo » et per ipsum censendus est Pontifex » tanquam Universalis Doctor, ac proinde » infallibiliter, de dogmate pronuntiare.»

Eandem sententiam in iis quae Anglice scripsi amplexus sum; permotus non tantum auctoritate gravissimi theologi iam citati, sed testimoniis etiam quibusdam quae ad rem facere videbantur. Pius IX. enim, in Epistola ad Archiepiscopum Coloniensem die 15 Iunii 1857 data, de decreto quodam locutus est quod de Guntheri libris Congregatio Indicis promulgaverat. *Quod quidem decretum* (ait Pius IX.) *nostra auctoritate sancitum, nostroque iussu vulgatum, sufficere debebat ut quaestio omnis penitus dirempta censeretur; et omnes qui Catholico nomine gloriantur, clare aperteque intelligerent sibi esse omnino obtemperandum, et sinceram haberi non posse doctrinam in Guntherianis libris contentam.*

Eiusdem rei exemplum praebere videbantur controversiae Lovanienses de Traditionalismo. Etenim die 30 Augusti 1866 Emus Card. Patrizi, iussu Pii IX. ad Belgii Episcopos scribens, de *decretis* quibusdam *Sanctae Sedis* loquitur quibus *viri Catholici id muneris habent ut plene, perfecte, absoluteque se subiiciant; ex medio sublatis contentionibus quae sinceritati assensus officerent.* Quaenam autem fuerunt haec decreta Sanctae Sedis? In eadem epistola quaestioni huic Card. Patrizi respondet. Decreta haec Sanctae Sedis non alia sunt nisi *responsiones Sacrarum Congregationum S. Officii et Indicis, Summi Pontificis auctoritate sancitae,* et sanctionem illam prae se ferentes.

Die autem 1. Augusti Belgii Episcopi Pontificem certiorem fecerant, quod aliqui ex professoribus illis, quorum placita in decisione Apostolica reprobata sunt, interiorem assensum decisioni illi denegarent. *Disciplinaris est,* aiebant, *non doctrinalis: docere non possumus ea quae sunt reprobata, sed corde servare licet, ea quae publice docebamus,* Obiectioni huic Emus Card. Patrizi ea rescribit, *quae nomine SSmi Patris* Belgii Episcopis fuerunt *significanda.* Iussu igitur Pii IX. aperte declarat, professores illos *id mu-*

Digitized by Google

neris habere ut decretis illis *plene, perfecte absoluteque se subiiciant.* Exigere autem ut Catholici plene, perfecte absoluteque se quibusdam decretis subiiciant, nihil aliud esse videtur quam declarare decreta illa promulgata esse ex cathedra.

De hac quaestione tamen idem fere mihi accidit quod et de priori. Postquam enim ita scripseram, inveni graves quosdam theologos hodiernos sententiam hanc non confirmare. Theologi hi minime inficiantur Pontificem *aliquando* ex cathedra loqui per decreta huiusmodi doctrinalia; sed rem *semper* se ita habere non censent.

Anceps igitur haereo; nec quidquam de hac controversia asserere audeo. In hoc autem casu, sicut et in priori, res tota in praxi parvi erit momenti. Pro certissimo enim hi theologi habent, omnibus huiusmodi decretis firmum a quovis Catholico deberi assensum interiorem. De hac re videatur Thesis Decima Septima.

THESIS DECIMA QUINTA.

Omnibus definitionibus Pontificiis ex cathedra editis, (quibus Episcopatus consensus accesserit) debetur, obiective saltem, *sub mortali assensus interior firmus et absolutus, tanquam infallibiliter veris.*

Addidimus parenthesim illam « quibus Episcopatus consensus accesserit » ne de Gallicanismo verba faceremus. Addidimus verba « obiective saltem » quia obligationis huius (quoad totam eius extensionem) facile dari potest ignorantia invincibilis.

Huiusce autem thesis veritas ex ipsis fere terminis innotescit. Quum Pontifex loquitur ex cathedra, omnes fideles obligari vult ad assensum interiorem et absolutum determinationi suae, tanquam infallibiliter verae, praestandum; loqui enim ex cathedra *nihil aliud est* nisi hoc velle. Obligationem autem huiusmodi sub mortali esse, et non tantummodo sub veniali, omnes concedent.

Thesim hanc ad praxim alius aliter reducet, prout ratio postulaverit systematis illius moralis quod amplectatur. Probabilismum nos quidem sequimur; et quid iuxta probabilistarum placita de hac re dicendum sit, considerabimus. Pontifici autem ex cathedra loquenti Episcopos vocem suam addidisse, ubique supponemus.

1. Acta quaedam Pontificia eiusmodi sunt, ut nemo certo scire possit, an ex cathedra prodeant. Quod ad doctrinam attinet in his Actis traditam, nemo ad assensum absolutum doctrinae illi praestandum formaliter obligatur tanquam infallibiliter verae, nisi obligatio aliqua ex alia quacumque causa proveniat.

2. Acta quaedam Pontificia eiusmodi sunt, ut hic vel ille doctus theologus satis sibi persuadere possit ea ex cathedra prodire; quamvis graves alii et satis multi auctores aliter sentiant. Doctus ille theologus ad assensum absolutum iis praestandum formaliter obligatur, tanquam infallibiter veris: obligationem autem illam aliis non potest imponere, sive in Sacramento Poenitentiae sive alia quacunque occasione.

3. Acta alia denique sunt, de quibus nulla existit solida probabilitas, intrinsica seu extrinseca, quod non sint locutiones ex cathedra. Hoc verum est, ut mihi quidem videtur,—ne de Bullis Dogmaticis loquar et aliis similibus—de Encyclicis, *Mirari vos,* et *Quanta cura* necnon et de Syllabo; et de aliis quidem Encyclicis et Allocutionibus et Epistolis Apostolicis non admodum paucis. Certa est igitur obligatio doctrinae in his Actis traditae, tanquam infallibiliter verae, assentiendi. Non semper tamen Confessarius poenitentem de obligatione etiam certissima admonere tenetur, quae

Digitized by Google

a poenitente illo invincibiliter nesciri potest. In quocunque igitur casu occurrente, varia rerum adiuncta sacerdos perpendet, et Dei gloriae pro viribus consulet.

THESIS DECIMA SEXTA.

Quum omnes Pontifices, qui quacunque occasione de materia eadem agunt, uno ore ac sensu conveniunt et collimant ad aliquid idem ad doctrinam Catholicam pertinens asseveranter absoluteque pronuntiandum—etiamsi id non explicite docuerint ex cathedra—illorum tamen consensus habendus est tanquam indicium certum doctrinae in Sancta Sede permanentis, quae igitur infallibiliter sit vera.

Ita his fere verbis Pater Martin e Societate Iesu in opere egregio, *de Matrimonio et potestate ipsum dirimendi, tom. II. p. 521.*

Thesis haec, ut existimo, vim habet magnam ad difficultates aliquas solvendas, quae ex supra dictis excogitari possunt. Quamvis enim demus non admodum pauca esse Acta illa Apostolica, de quibus certe constare non possit an ex cathedra prodeant; tamen vix et ne vix quidem Actum aliquod Pontificium reperiendum est, doctrinam aliquam alicuius momenti ut certam inculcans, quae non aliunde dignoscatur ut Sanctae Sedis doctrina constans adeoque infallibilis.

Cuiusmodi autem effata sunt illa, de quibus in hac thesi sermo est? Hoc optime explicat idem P. Martin. «Testimonia sunt quae diversis temporibus protulerunt SS. Pontifices, non quidem ut solemniter et ex cathedra docentes, neque ut doctrinam definientes omnibusque fidelibus credendam indicentes, sed tamen ut SS. Pontifices munus supremum, sive fideles sive ipsos pastores docendi ac confirmandi, veram doctrinam defendendi atque tuendi erroresque corrigendi, exercentes. Unde ea sunt haec testimonia, quibus exprimitur mens sensus doctrinaque SS. Pontificum, non ut doctorum privatorum sed ut SS. Pontificum; scilicet hos aut illos....docendo, aliquam veritatem ut iam vel anteriore definitione vel sua doctrina constanter tradita fixam ratamque declarantium» *p. 482*. Seu, ut rem eandem aliter dicamus, effata sunt Pontificum Pontificie loquentium sed non ex cathedra; effata quae Pontifices proferunt, non utpote Doctores Universales, sed utpote Ecclesiae Gubernatores Doctrinales.

Quaenam autem probatio huiusce thesis offerri potest? Patrem Martin iterum audiamus. «Quamvis, ait, in aliquo unius S. Pontificis testimonio singulari cerni aliquando possit mera illius ut doctoris privati opinio, attamen cum multi SS. Pontifices in unum consenserint certum est ipsos non exponere meram opinionem. Alioquin occurreret ea *loquendi et sentiendi diversitas* quae semper occurrit inter doctores privatos de re dubia opinantes; quum doctor privatus, ex eo quod creetur in S. Pontificem, non illico quasi induat meras praedecessoris sui opiniones. Sed illorum consensus habendus est ut speciale argumentum doctrinae, vel iam definitae, vel saltem fixae, constantis, ac *in Sancta Sede permanenti et firmatae:* quia reipsa non aliam potest habere causam consensus iste eorum unanimis et constans» *p. 521.*

Iam vero doctrina aliqua *in Sancta Sede permanens et firmata* proculdubio infallibiliter est vera. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles; in*

Digitized by Google

qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae ab Apostolis est traditio. Nec minus luculente hoc saeculo decimo nono docet Pius IX. quam tertio docuerit S. Irenaeus. *Haec Romana Beatissimi Petri Cathedra fidem a Christo traditam integram inviolatamque semper servavit eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam et incorruptae veritatis doctrinam,* (*Qui pluribus,* 9 die Nov. 1846). *In qua* (Romana Ecclesia) *extat eiusdem fidei irreformabile magisterium a Divino Redemptore fundatum,* (*Noscitis et nobiscum*, 8 die Dec. 1848). Ecclesia Romana *est Catholicae veritatis et unitatis centrum in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes ecclesiae mutuentur oportet,* (*Ineffabilis,* die 8 Dec. 1854).

Porro nec pauca sunt ea, nec parvi momenti, de quibus a satis longa Pontificum serie fixa quaedam doctrina semper tradita est. De quaestionibus variis philosophicis, de Ecclesiae potestate temporali, de mutuis sacerdotii et imperii relationibus, de Pontificis principatu civili, de libertate conscientiae et artis librariae, de iuventutis institutione quam vocant mixta, Pontifices indole prorsus diversi, in diversis prorsus rerum adiunctis nunquam diverse locuti sunt. Unanimitas autem haec, ut P. Martin argumentatur, ad nullam aliam causam referri potest, nisi ad constantem et permanentem in Sancta Sede traditionem.

THESIS DECIMA SEPTIMA.

Decreta doctrinalia a Congregationibus Romanis promulgata maximae sunt auctoritatis. Illis interior quidam et firmus assensus a quovis Catholico debetur, licet non omnino (si ita loqui liceat) irreformabilis. Idem a fortiori dicendum est de Pontificis declarationibus doctrinalibus (si quae sint) doctrinam aliquam tanquam a quovis Catholico pro certa tenendam docentibus, quae non stricte sint infallibiles.

Thesis haec si admittatur, nullus fere in praxi difficultati aut obscuritati locus in hac materia relinquetur. Namque si omnibus his declarationibus firmus assensus a quovis Catholico debeatur, ad speculationem magis quam ad praxim spectabit, quaerere quaenam ex illis sint stricte infallibiles; et quibusnam idcirco praecipiatur assensus, non firmus solummodo sed et omnino absolutus et irreformabilis.

Pro hac autem thesi ineluctabile argumentum ab Ecclesiae auctoritate sumitur. Ecclesia falli non potest in iis quae ad fidem moresque spectant. Ecclesia autem illos semper impense laudat qui Congregationum Romanarum decretis intellectum subiiciunt, es vero reprobat qui id facere recusant. Hoc autem fieri non potuit, nisi decretis illis subiectio intellectus vere deberetur.

Non raro quidem contra hanc thesim obiicitur quod propositioni nulli firmus assensus deberi possit, nisi quae vel per argumenta evidentia demonstretur, vel infallibiliter declaretur. Rem autem revera non ita se habere, ex multis patet exemplis. 1. Titius v. g. in non paucis actionibus, iisque solis mihi cognoscibilibus, se exhibet virum bonum, quamvis sit pessimus. Firme existimare teneor eum revera esse bonum; et ita quidem teneor, ut graviter peccarem si eum pro viro pravo haberem. 2. Religiosum intellectum suum Superioris iudicio firmiter subiicere, res est—testante S. Ignatio—non culpa sed summa laude digna. 3. Rusticus, quem parochus res fidei et morum edocet, omnibus iis, quae parochus tanquam certa proponit, firmiter assentire tenetur. Et mille alia similia suppetunt exempla.

Digitized by Google

Iam vero in nullo ex his exemplis tam gravis datur ratio assentiendi quam in casu proposito. In Ecclesia Romana uti Pii IX. verba iterum citemus—*extat fidei irreformabile magisterium a Divino Redemptore fundatum:* in ea *solum inviolabiliter fuit custodita religio:* ex ea *traducem fidei reliquae omnes ecclesiae mutuentur oportet.* Congregationes autem, de quibus sermo est, in plena traditionis. Romanae luce versantur. In rebus igitur quae ad Depositum custodiendum pertinent, etiamsi Ecclesia de ea re nullum vel praeceptum vel consilium edidisset, Catholicus aliquis insanire fere videretur, qui Congregationum harum iudicium iudicio suo non fidentissime anteponeret.

Hae autem Congregationes non tantummodo iudicium suum utpote suum promulgant. Auctoritatem illis commisit Pontifex, tanquam Ecclesiae Gubernator Doctrinalis, fideles omnes in via sanae doctrinae dirigendi. Peccaret igitur contra debitam obedientiam, qui earum decisionibus non firmum praestaret assensum.

Idem autem, ut manifestissime constat, a fortiori dicendum est de Pontificis ipsius declarationibus doctrinalibus (si quae sint) doctrinam aliquam tanquam a quovis Catholico pro certa tenendam docentibus, quae non sint stricte infallibiles. An dentur eiusmodi declarationes, ut iam diximus, res est dubia.

CONCLUSIO.

Haec a me compendiose et imperfectissime dicta sint. Non opus est addere, me omnia Sanctae Sedis infallibili iudicio humillime subiicere. Quin et theologos enixe flagito—prout in Praefatione etiam flagitavi—ut errores meos dignentur corrigere et veritatem de re tota patefacere.

Hactenus clarissimus Auctor. Satis nobis fuit opportunissimum aetate nostra referre opusculum: erit autem theologorum, si quae minus certa et accurate dicta forte arbitrentur, examen instituere, ut certius et accuratius ea pro viribus definiant.

Digitized by Google

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XXV. IUNII MDCCCLXIX.

« Novam, et catholicae Ecclesiae, eiusque immunitati, libertati, et iuribus, ac vel ipsi civili societati maxime infestam legem a Subalpino Gubernio editam, ac promulgatam, cum summo animi Nostri dolore in hoc amplissimo vestro consessu deplorare cogimur, Venerabiles Fratres. Atque hic Nos loquimur de lege, qua idem Gubernium, post tot ac innumeros fere ausus, et iniurias Ecclesiae, eiusque sacris ministris, rebusque illatas, Clericos militari conquisitioni subiicere non dubitavit. Ecquis non videt quam damnosa, et quam hostilis Ecclesiae sit haec lex, quae Ecclesiae ius ab ipso Christo Domino ei tributum impedit, et coarctat eligendi idoneos, ac necessarios ministros, qui ab eodem Christo ad divinam suam religionem tuendam, propagandam, ad animarum salutem usque ad consummationem saeculi procurandam constituti fuerunt; quaeque potissimum eo unice spectare videtur, ut in hac infelicissima Italia, si fieri unquam posset, catholica Ecclesia funditus deleatur et exterminetur.

» Nobis certe verba desunt ad eiusmodi legem denuo improbandam ac detestandam. Quisque noscit, Nos pro Apostolici Nostri ministerii munere haud omisisse Nostro officio studiosissime perfungi, et omnes Venerabiles Fratres sacrorum in Italia Antistites cum summa eorum nominis laude iustissimas suas fecisse querelas, reclamationes, et expostulationes, ut huiusmodi lex nunquam locum haberet. Atque utinam hac occasione abstinere Nos possemus, Venerabiles Fratres, a lugendis gravissimis malis et damnis, quibus sanctissima nostra religio nunc in Austriaco etiam Imperio et Hungariae Regno miserandum in modum affli-

Digitized by Google

gitur ac divexatur. Notitiae autem, quae de Ecclesiae rebus ex Hispaniarum Regno ad Nos perveniunt, nullam consolationem, quin immo tristitiam et moerorem Nobis afferunt.

» Russicum vero Gubernium pergit catholicam insectari Ecclesiam, et ab omnibus fere Dioecesibus suos, vi etiam adhibita, eiicere Episcopos, eosque in exilium pellere, propterea quod Christi hic in terris Vicarii vocem, mandata, prout debent, audire et exequi volunt, nec sinit eosdem Episcopos ab illis Imperii finibus egredi, etiamsi maxima Ecclesiae utilitas id omnino postulet. Ac magis in dies omni modo impedit, quominus illi fideles cum Nobis et hac Apostolica Sede libere communicare queant.

» Sed inter gravissimas, quibus vexamur, angustias, non mediocri certe solatio Nobis est pastoralis zelus summopere laudandus, quo sacrorum Antistites rem catholicam viriliter tutantur, et sanctissimae fidei nostrae principia integra servare et Ecclesiae unitatem propugnare contendunt adversus multiplices insidias et conatus, quibus impii homines suos errores propagare connituntur. Ac futurum confidimus, ut universus catholicus Clerus illustria Episcoporum suorum exempla pro viribus imitari, et aemulari conetur.

» Interim istos omnes Christi, eiusque Sanctae Ecclesiae hostes etiam atque etiam monemus, ut tandem aliquando serio considerent quam terribilis sit Deus in suis, eiusque Ecclesiae hostibus puniendis.

» Nos autem non desistamus, Venerabiles Fratres, ferventissimis, humillimisque precibus misericordiarum Patrem orare et obsecrare, ut omnes miseros errantes de perditionis via ad rectum veritatis, iustitiae, salutisque tramitem reducat, utque catholicam Ecclesiam ubique terrarum novis ac splendidioribus triumphis quotidie magis exornet et augeat.»

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

NOMINATIONIS ET INSTITUTIONIS

Die 19 Decembris 1868. et 27 Februarii 1869.

Causae, quae in re canonica frequentissimae erant et adhuc frequenter excitantur, sunt illae quae versantur in materia iurispatronatus, adeo ut non longe a veritate aberrares si diceres, sublatis iuribus patronatus, causas ecclesiasticas pro tertia ferme parte cessaturas. Non haec eo sensu dico, quasi vero existimandum sit iurapatronatus hac de causa abroganda esse. Namque quaestiones, quae excitentur frequenter circa aliquod disciplinae ecclesiasticae caput, eo ipso ostendunt illud disciplinae caput in usu et vigore persistere: existimamus enim neglectae disciplinae indicium esse, quando ea quae in Codicibus scripta reperiuntur, nunquam vel fere nunquam in iudicium deducantur. Quod quidem ex eo quoque dignoscitur, quod si omnia disciplinae capita abrogarentur, nulla amplius excitaretur iuridica quaestio.

Attamen in nostris ephemeridibus parce admodum quaestiones has referimus; quia pleraeque omnes ex Italiae dioecesibus deveniunt, et in multis catholicis nationibus haec iurapatronatus non modo non adsunt, sed omnino ignorantur: tum quia in facto persaepe sunt adeo implexae, ut ipsa peculiaris enarratio facti magnam partem nostrae ephemeridis absumeret sine utilitate.

Compendium facti. Anno 1528 Petrus Mola Canonicatum sub invocatione S. Christophori instituit in ecclesia cathedrali N., sibi et suis iuspatronatus tam activum quam passivum reservans. Et quoad ius activum haec constituit: *Reservato tamen mihi toto tempore vitae meae, et post me filiis meis masculis legitimis et ab eis descendentibus masculis usque in infinitum, Seniori semper descendentium iurepatronatus . . . Ubi vero deficeret linea masculina legitima et ut supra eorumdem descendentium meorum, quod etiam iuspatronatus, de quo supra, transeat et perveniat in filias foeminas ipsorum descendentium legitimae procreatas. Et ubi*

Digitized by Google

nec foeminae superfuerint tunc iuspatronatus perveniat et transeat in alios de Mola proximiores masculos, et ut supra, et senior eorum habeat nominare et praesentare Canonicum ut supra et prout supra.

Denique declaravit, intentionem suam esse ut eius frater, *possit, quandocumque sibi videbitur et prout eidem placuerit, nominare sive eligere quem maluerit esse patronum dictae Praebendae canonicalis post me et filios et descendentes meos masculos, et illud ius in illum vel illos transferre prout sibi melius videbitur et placuerit etiam extra familias de Mola.*

Quoad ius passivum statuit, ut *aliquis alius non possit ad ipsam huiusmodi canonicalem Praebendam nominari, praesentari, confirmari et institui, nec admitti, si aliquis fuerit ex descendentibus praedictis, qui voluerit ipsam Praebendam acceptare, et qui ex ipsis descendentibus possit ad ipsam Praebendam nominari praesentari et institui etiamsi non fuerit Sacerdos, nec in sacris ordinibus constitutus, sed tantum simplex Clericus primae clericalis tonsurae, fructus et redditus percipere possit, dummodo ipsi Praebendae in divinis deserviri faciat donec pervenerit ad ordinem sacerdotalem, et si cessaverit deservire, seu deserviri facere per mensem continuum, tunc et eo casu sit ipso iure et facto privatus ipsa Praebenda, et tunc liceat Patrono ut supra et imo debeat alium ex descendentibus praedictis ad ipsam Praebendam nominare et praesentare. Et ubi non esset aliquis ex ipsis descendentibus vel esset et nollet ipsam Praebendam acceptare, tunc nominetur et praesentetur alius, sed qui sit Sacerdos et non aliter nec alio modo, vel saltem qui possit et debeat intra annum ad Sacerdotium promoveri, et ubi essent plures ex descendentibus praedictis, qui vellent dictam Praebendam acceptare, tunc nominetur et praesentetur et instituatur senior eorum.*

Petrus Mola huius Canonicatus institutor unicum habuit filium masculum a quo duae foeminae Camilla et Theodosia ortum habuere: ab his originem duxerunt tres familiae, quae in praesentia extant: idest familia B. a Camilla; familiae autem C. et S. a Theodosia. Harum familiarum senior usque adhuc nominavit et praesentavit.

Vacante Canonicatu hac ultima vice, harum trium familiarum senior nominavit Sacerdotem Aloisium, virum omnino extraneum ab his familiis.

Digitized by Google

Huic nominationi obstitit Comes Portapuglia adserens Clericum Antonium filium suum tresdecim annos natum ad Praebendam canonicalem vocari, cum eius mater a Petro Mola originem duceret.

Aegro animo id tulit non modo Sacerdos Aloisius nominatus a seniore, verum etiam Iacobus B. vir pertinens ad primam, quam indicavi, patronorum familiam, insistens apud Curiam episcopalem, ut, nisi admitteretur nominatio Sacerdotis Aloisii, se nominaturum filium suum Mansuetum decennem, qui dubio procul Clerico Portapuglia esset praeferendus, cum hic nonnisi per quadruplex, Mansuetus autem per simplex medium foeminarum cognatus Petro Mola existeret.

Deveniente causa ad S. Congregationem Concilii haec a partibus disputata fuerunt.

Disceptatio Synoptica.

Defensio sacerdotis Aloisii. Hic contendit, iuspatronatus agnatitiam tantum indolem praeseferre, ita ut lex fundationis, quousque adesset masculorum linea, praescriberet nominandum esse aliquem ex familia; cessante vero linea masculina, Patroni quem vellent nominare et praesentare possent.

Ut hoc ostenderet, consideravit primo legem fundationis quoad iuspatronatus activum, et deinde quoad ius passivum.

Quoad ius activum, animadvertit, Institutorem Petrum primo loco invitasse agnatos ex linea recta, secundo loco invitasse agnatos ex linea collaterali ordine successivo, servata praerogativa gradus et aetatis, id patere ex exposita lege fundationis, in qua ab Institutore vocata est ad exercendum iuspatronatus quaedam masculorum catena, ideoque praeseferre agnatitiam qualitatem ut saepe docuit S. Rota.

Neque obesse, subiungebat, foeminas pariter vocatas fuisse ad exercendum illud ius: nam ad solas foeminas illud coarctasse Fundatorem, quae in iure pro agnatis reputantur et cunctis agnationis iuribus gaudent: eas namque solas vocatas fuisse, quae essent filiae postremi descendentis masculi: *ubi vero deficeret linea masculina legitima, et ut supra, eorumdem descendentium meorum, iuspatronatus transeat et perveniat in filias foeminas ipsorum descendentium:* exploratum autem in iure esse, foeminas a

Digitized by Google

masculis immediate progenitas omnia conservare iura agnationis donec vixerint, Rodulphus *allegat.* 15 *num.* 9. Foeminam enim, usque dum in alienam familiam non transeat per nuptias, iura propriae familiae retinere: immo in aliam familiam translatam, quousque vivat, iura agnationis retinere iuxta *consilium* Ancharani, cui alii consonant Auctores. Solas autem eas foeminas vocatas ab Institutore fuisse non vero earum filios, arguebat Aloisius ex coniecturis desumptis ex pronominibus *meas, ipsorum.* Deficientibus autem his foeminis, cum Fundator constituerit ut transiret iuspatronatus in alios collaterales proximiores de Mola, idem ius agnatitium confirmari.

Maxime vero, quod fecerit facultatem fratri de iurepatronatus disponendi si cessasset linea masculina eiusdem Fundatoris: quod quidem nunquam fecisset si voluisset etiam foeminarum filios.

Considerans praeterea Aloisius legem fundationis quoad passivum iuspatronatus, animadvertit, Fundatorem voluisse, ut nemo nominari et praesentari posset, nisi qui ab eius descendentibus masculis ex masculis derivarent: hinc masculum a foemina descendentem exclusisse, cum extraneus esset a linea masculina filiorum ipsius.

Denique haec confirmabat ex facultate facta fratri, ut supra exposui, disponendi pro libito de iurepatronatus post dictos masculos, ex quo Aloisius arguit: Fundatorem vehementer dilexisse agnatos ex linea recta derivantes, parum agnatos ex linea collaterali, nihil vero curasse cognatos, eo quod nihil pro his constituerit.

Ex quibus aliisque coniecturis concludebat, masculos ex descendentibus foeminis non posse ius passivum invocare ad obtinendum Canonicatum.

Ad removendam vero difficultatem depromptam ex celebri recepta Fulgosii doctrina, qua traditur per descendentes masculos intelligi debere tam masculos ex masculis, quam masculos ex foeminis; praeterquam quod in praesenti lege fundationis locum habere non possit, animadvertit, instrumentum fundationis conscriptum fuisse anno 1528, antequam scilicet haec doctrina Fulgosii in foro reciperetur; quando videlicet sub nomine masculorum communiter intelligebantur masculi ex masculis tan-

Digitized by Google

tum, proindeque tenendum fundatorem ita sensiisse. Ad rem S. Rotae tribunal in *Perusina Fideicommissi* 8 *Martii* 1776 *coram Riminaldo,* quae, inter eius Decisiones impressas, est Decisio 547, *n.* 19 *et* 20: ibi enim legitur: « Opportuna his accedit » animadversio, quod sub tempus conditi a comite Rainerio te- » stamenti, idest sub annum 1548, is erat communis loquendi » usus, ut descendentium masculorum nomine ii non venirent » masculi qui ortum ducerent per foeminas: eiusmodi autem » usus potissime tradebatur ex lege duodecim tabularum, quae » in materia successionis descendentes ex foeminis pro descen- » dentibus non habebat; propterea quod nec sui essent neque » agnati, ut testatur Baldus . . . Quamvis autem Fulgosius prae- » citatis doctoribus multo antiquior esset, cum floruerit tem- » pore Constantiensis Concilii, quod celebratum fuit infra an- » nos 1414 et 1418; attamen eius opinio pandita in *Consilio* 85, » quod ad sui Clientis opportunitatem scripserat, consecutis tem- » poribus post acerrimas Doctorum contentiones invaluit, ut te- » statur idem *loco cit. cap.* 28 *n.* 2. Sed sacrum nostrum tribunal » in Fulgosii opinionem concessisse non antea scimus, quam sub » annum 1573 in causa *Cavallicen. Baroniae de Thors* 28 *Ianua-* » *rii* 1573 *coram Oradino impress. in part.* 1. *diversarum decis* 6. » Quum itaque res sit in facti specie de interpretanda voluntate » testatoris, conveniens magis est, ut inspiciatur tempus con- » diti testamenti ad cognoscendum quid testator senserit, quam » ut admittatur opinio, quae hac nostra aetate receptior videtur. » Porro anno 1548, quo comes Rainerius testamentum scripsit, » ius illud obtinebat, ut appellatione descendentium masculorum » venirent masculi per virilem sexum. Oportet ergo eum tri- » buere praedictis verbis intellectum, qui versari potuit in ani- » mo testatoris, tum cum testamentum obsignavit, ut optime » Soccin. Sen. *cons.* 6. *n.* 2. *v.* 1, *Menoch.* etc. »

Post hanc ingeniosam ratiocinationem supererat Aloisio removere gravem difficultatem proficiscentem ex consuetudine opposita; ad quam removendam animadvertit, triplicem esse consuetudinem, quam observantiam quoque appellamus, aliam *praesumptivam* aliam *interpretativam* et *praescriptivam* aliam: excludebat in praesenti themate primam, quia observantia praesumptiva locum habet, cum non extant tabulae fundationis: ex-

Digitized by Google

cludebat interpretativam; quia haec locum habere potest, quando dubium aliquod occurrat in tabulis fundationis; quod si ex aequitate haec interpretatio induci velit, clara existente lege fundationis, non interpretatio, sed destructio voluntatis testatoris appellari deberet, ceu ponderat Pitonius *Alleg.* 47 *n.* 61.

Excludebat denique Aloisius observantiam praescriptivam dicens cum Card. de Luca *de Iurep. disc.* 6 *n.* 11, ad eam necessarium essé « longum et longissimum tempus, aliaque requisita, illud » praesertim, quod observantia sit clara et univoca non autem » desumatur ex actibus aequivocis. » Cum autem ex adverso adducerentur tres actus ab anno 1754, quibus Canonicatus collatus erat illis, qui in eisdem patronorum familiis extabant, inquit Aloisius, eiusmodi observantiam non esse nec claram nec univocam, sed aequivocam, cum illi praesentati fuerint de familiis, non ut passive vocati, sed quia sponte a Patronis fuerunt praesentati.

Post haec nonnulla in facto adducebat contra Clericum Antonium contendens Canonicatum iuxta legem fundationis exigere qualitatem sacerdotalem, qua Antonius carebat.

Defensio clerici Antonii. Antonius in sua defensione evertebat initio aedificium ab Aloisio constructum: animadvertens enim naturalem dilectionem in omnes sive masculos sive foeminas descendentes ferri, inquiebat, nisi meridiana luce clariora afferantur argumenta, quae oppositum ostendant, pro agnatione aeque ac cognatione hisce in quaestionibus mentem Fundatorum intelligendam esse, quod docet Richer *in L.* 2 *tit.* 32 § 9583 et 9590 ac passim tradidit S. Rota.

Porro in praesenti themate eiusmodi argumenta penitus deesse, imo contrarium posse ostendi; cum foeminae explicite ad iuspatronatus fuissent vocatae.

Quod si Fundator subiunxit: *Et ubi nec foeminae superfuerint tunc iuspatronatus perveniat et transeat in alios de Mola,* et iterum *etiam extra familias de Mola,* id ostendere potius, voluisse Fundatorem comprehensos tum agnatos tum cognatos, cum sub appellatione *domus* et *familiae,* illi omnes comprehendantur, ut passim hisce in quaestionibus legitur tum in foliis S. C. C. tum in Decisionibus S. Rotae, nominatim in *Reatina Cappellaniae* 19. *Ianuarii* 1756 *coram Bussio,* ubi *n.* 3 ita S. Rota ad

Digitized by Google

rem edisserit: « Laurentius, quamvis per medium foeminarum » descendens, est in illa inclusus et contemplatus, cum in hac » indifferenti materia, sive attenta canonica aequitate, sive no» vissimo authenticarum iure perspecto, appellatione familiae » tam agnati, quam cognati indiscriminatim comprehendantur.» Cui consonat quae docet Pitonius *de controv. patron. alleg.* 75 *n.* 6, contendens verba illa, *de domo, de agnatione,* esse intelligenda demonstrative non taxative « quatenus stant demonstra» tive ad sanguinem praedilectum, idest agnatos, incipiendo ab » illis, volendo eos praeferri omnibus aliis; non autem stant » taxative, ita ut illis extinctis voluerit (Fundator) posse prae» sentari extraneos ad exclusionem cognatorum, cum praesum» pta voluntas adsistat ad favorem continuationis sanguinis, qui » idem est in agnato et in cognato, neque ratio agnationis mi» litat in iurepatronatus passivo, et si etiam militaret, operare» tur donec extant agnati, non autem per posterius in eorum » defectu, quod esset odium suorum consanguineorum neutiquam » praesumendum. »

Ex quo celebrem Fulgosii doctrinam in foro receptam, quae ita se habet: « Sub vocabulo descendentium masculorum com» prehenduntur etiam masculi ex foeminis, cum ipsi etiam de» scendentes sint masculi; ideoque militet ad eorum favorem ipsa» met vocabuli significatio ac proprietas. Quamobrem ad exclu» dendos masculos ex foeminis requiruntur demonstrationes cla» rae atque perspicuae, quaeque in alium sensum detorqueri » minime possint. »

Confirmabat autem Antonius expositam doctrinam in praesenti themate per observantiam, aperte ostendens, ita intellectam esse legem fundationis usque in praesens, enarrans nonnullas praesentationes ad eum Canonicatum factas et iudiciali sententia in contentione partium confirmatas, ob eam rationem, quia praesentati de dictis familiis iudicati fuerant *passive* vocati.

Haec quidem adversus Sacerdotem Aloisium disputavit Antonius: pauca vero adversus Mansuetum adhuc decennem. Satis enim sibi fuit animadvertere, Fundatorem vocasse descendentes quin adderet *agnatos* seu *semiagnatos:* atque id unum enixe voluisse, ut in concursu plurium descendentium praelatio daretur seniori: ipsum autem Mansuetum aetate minimum esse.

Digitized by Google

Hisce aliisque deductis, proposita quaestio fuit coram S. C.C. in comitiis habitis die 19 Decembris 1868, atque responsum prodiit: *Dilata, ad mentem.*

Mens S. Congregationis fuerat, ut de qualitatibus nominandorum et instituendorum a fundatore requisitis, tam in facto, quam in iure dissereretur.

Relata itaque integre particula illa legis fundationis, quam superius integre iam retuli, quae respicit qualitates nominandorum, nonnulla quoque adiecta sunt ex officio circa conditiones requisitas ad obtinendum Canonicatum Cathedralis ecclesiae. Namque in antiquo iure controversum erat, quaenam aetas requireretur ad Canonicatus, Praebendas et Portiones ecclesiarum cathedralium, aliqui docentes satis esse septennium; alii contra requiri aetatem quatuordecim annorum saltem inchoatorum, ut tradit cum aliis Schmalzgrueber, *Ius Eccl. univ. p.* 3 *tit.* 14 *n.* 5.

Verum ad Canonicatum assequendum in ecclesia cathedrali hac ratione disposuit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *c.* 12 *de Ref.* « *Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, Canonicatum aut Portionem recipiant, nisi, qui eo ordine sacro aut sit initiatus quem illa Dignitas, Praebenda, aut Portio requirit; aut in tali aetate, ut infra tempus a iure et ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat.*

Animadversum tamen est, Canonicatum, de quo agimus, fundatum fuisse ante Tridentinam legem: ideoque huic dispositioni Tridentinae non videri subiectum, ex eo principio, quod legitur in *Cap. ult. de Constit.* his conceptum verbis: *Leges et Constitutiones futuris dare formam negotiis, non ad praeterea facta trahi, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.* Hinc legi apud Gallemart *in Trid. cap.* 12 *sess.* 24 de *Ref.*, S. Congregationem haec declarasse: « *S. C. C. censuit, hoc Decreto non comprehendi Canonicatum iurispatronatus laicorum ante Concilium fundatum, in cuius fundationis limine fuerit cautum, ut descendentes a Fundatore possent ipsum obtinere etiamsi non sint in sacris ordinibus constituti, sed simplices tantum Clerici, donec ad Sacerdotium promoveantur.* »

Quod si S. C. iudicaret, non obstare minoritatem aetatis quominus assequerentur sive Mansuetus decennis, sive Clericus Antonius Portapuglia Praebendam canonicalem, disquirendum

Digitized by Google

superesse, uter utri esset praeferendus. Porro consideratum est, utrumque in praesentia sacra tonsura esse initiatum, ita tamen ut Mansuetus vacata Praebenda insigniri Tonsura postulaverit obtinueritque: utrumque per foeminas descendisse a Petro Mola, ita tamen, ut Mansuetus esset Fundatori proximior et Antonius remotior; qui tamen esset natu maior. Quod si Fundator voluerit, ut in plurium descendentium concursu senior praeferretur, tamen perpendendum esse, utrum seniorem inter aequales gradu, vel potius seniorem, nulla gradus habita ratione, praeferre voluerit.

Dubia

I. « An constet de legitima nominatione favore Sacerdotis » *(Aloisii)* in casu. »

» Et quatenus Negative.

II. » An, cui, et quomodo adiudicanda sit canonicalis Prae» benda S. Christophori in casu. »

Resolutio. S. Congregatio Concilii causa discussa in comitiis habitis die 27 Februarii 1869 respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative favore Clerici Portapuglia cum conditionibus expressis in tabulis fundationis.*

Ex quibus colliges:

I. In materia iurispatronatus laicalis (quae in foro dicitur *indifferens* in comparatione ad civilia fideicommissa) sub appellatione descendentium masculorum intelligendos esse tum masculos ex masculis, tum masculos ex foeminis nisi apodicticis argumentis hi secundi exclusi demonstrentur (1).

II. Idque locum habere sive agatur de iure activo nominandi, sive de iure passivo nominandorum, cum haec duo iura soleant esse correlativa.

(1) In praesenti themate defensio Sacerdotis Aloisii erat quidem ingeniosa, sed non aperte excludebat masculos ex foeminis. Facta praeterea hypothesi, masculos ex foeminis a iurepatronatus fuisse exclusos, ut ipse contendebat, eo ipso iure nominandi et praesentandi exclusus censendus quoque fuisset ipse Senior, qui Aloisium nominaverat; et ideo Aloisius si non sibi, ratione quasi possessionis, damnum certe aliquod intulisset patronis nominantibus, quorum ius nominandi in alia iudicii sede potuisset impugnari.

Digitized by Google

III. Eos, qui fruantur iure passivo, si negligantur a patrono nominante, posse iure proprio cuivis nominationi obsistere, cum nominati censeantur ab ipso Fundatore.

IV. Colliges praeterea, Concilium Tridentinum praescribens, ut nemo ad Canonicatum ecclesiae cathedralis recipiatur nisi ordine sacro fuerit insignitus aut infra annum insigniri valeat, coercuisse Fundatorum facultatem, qua ante fruebantur, constituendi Canonicum, qui simplex esset Clericus et in minima aetate constitutus.

V. Facultatem nominandi simplicem Clericum, etiam aetate minimum, ad Canonicatum ecclesiae cathedralis, non fuisse per Tridentinum Decretum directe abrogatam, sed quoad electum impeditam manere, cum Decretum prohibeat ne in Canonicum recipiatur ecclesiae cathedralis.

VI. In praxi, hisce in casibus, hanc regulam servari, ut Clericis minoribus legitime aliunde praesentatis facile indulgeatur a S. Sede fructuum perceptio, adimpletis per alium oneribus, donec ad canonicam pervenerint aetatem, qua et sacro ordine insigniri et divinis officiis tamquam Canonici inservire valeant (1).

VII. Fundationes veteres, quae hac ratione iam prospexerint, nullam invenire difficultatem; ideoque nulla indulgentia S. Sedis Clericum Antonium in praesenti themate indiguisse.

(1) Confer causam, quam adduxi in *Vol. III. pag. 393 et seqq.* in qua hoc principium demonstratur.

Digitized by Google

IURISPATRONATUS

Die 21 Martii, 29 Augusti 1868 et 26 Iunii 1869.

Compendium facti. Anno 1501 Bernardinus Cola Urbis N. suo testamento haeredes instituit duas filias quas habebat Franciscam et Catharinam. Sed si filiae sine filiis mortuae fuissent haec constituit: *Si praedictae filiae et haeredes mori contigerit sine legitimis filiis, voluit fieri aedificari unam Cappellam in ecclesia S. Petri urbis N. et eam dotari de omnibus suis bonis et ipsam in dictis suis bonis haeredem institui et eidem Cappellae vocabulum et titulum imponi ad voluntatem Executorum et Tutorum. In qua Cappella voluit ipse testator, quod eligatur et praesentetur unus Cappellanus Sacerdos urbis N. quam praesentationem Cappellani fieri semper voluit per Tutores et Executores* (Franciscum nempe Ventura aliosque) *nisi inveniri contigerit proximiores et de linea paterna ipsius. Item deficientibus dictis Tutoribus et Executoribus et proximioribus, ut supra, voluit... praesentationem Cappellani ut supra fieri per proximiores de linea materna ipsius Testatoris. Deficientibus autem omnibus dictis Tutoribus et Executoribus et proximioribus ut supra in dictis gradibus, tunc et eo casu... voluit et reliquit dictam praesentationem Cappellani eodem modo ut supra fieri per Rectorem et Clericos dictae ecclesiae S. Petri, seu per maiorem partem ipsorum.*

Triennio nondum elapso a Testatoris funere, eius filiae mortuae sunt sine filiis. Tutores cognomento Ventura erexerunt Cappellam sub titulo S. Bernardini et praesentarunt primum Cappellanum. Eodem iure praesentandi usus est Romulus filius eorum anno 1550, qui filiis masculis carens, haeredes ab intestato habuit duas filias nomine Dianam et Sextiliam. Hae duae sorores anno 1626 novum Cappellanum praesentarunt; sed cum controversia orta esset super iure nominandi (Episcopus enim putabat sibi pertinere liberam collationem) dirempta fuit, ex partium consensu, arbitrio Vicarii Generalis, qui adiudicavit iuspatronatus Dianae et Sextiliae *utpote filiabus atque haeredibus universalibus Romuli Ventura.*

Mortua Diana, Sextilia Cappellae dotem adauxit et testamento diei 37 Februarii 1645 sibi haeredem instituit Dianae

Digitized by Google

filiam Antoniam. Hinc iuspatronatus transiit in Antoniam et tandem in domum et familiam de Prosperiis uti *haeredem quondam Antoniae de Panotis haeredis de Venturis,* ut declaratum fuit a Vicario Generali anno 1760.

Pacifice suo iure usi sunt Prosperii usque ad annum 1819. Cum autem dicto anno duo tantum superstites essent ex familia Prosperia, Ioannes scilicet et Ioseph Prosperii Lucatelli, primus ille titulo donationis vel legati, alter vero postea actu donationis inter vivos de iurepatronatus disposuerunt, illud conferentes Clerico Sebastiano Cella, qui, vacante Cappellania, possessionem bonorum cepit et institutionem canonicam postulavit a Curia tanquam Cessionarius vi legati et donationis Prosperiorum Lucatelli: et Decretum a Curia obtinuit consueta addita clausula *Si et in quantum etc*.

Publicatis actis, obstitit apud Curiam Rector Regularis ecclesiae S. Petri ius nominandi sibi vindicans ex testamento Bernardino Cola; attamen controversia suspensa mansit usque ad annum 1826, quo dictus Cella cessit iuspatronatus Rectori et ecclesiae S. Petri.

Mortuo dicto Cella, praesentatio alterius Cappellani a Clero illo Regulari facta non est, quanquam satisfecisset oneribus Cappellaniae.

Cum autem idem Clerus sanationem nunc peteret omissionis, et facultatem quemdam fundum alienandi, insurrexerunt Philippus et Eugenius fratres e gente Prosperia Gagliardi iuspatronatus sibi vindicantes, atque ideo interdictum apud acta Curiae posuerunt, quod audit *nihil transeat*. Controversia itaque orta est.

Vicarius Generalis, agitata causa, denique sententiam tulit adversus Clericorum collegium, et iuspatronatus admisit favore fratrum Prosperiorum-Gagliardi.

Clerus appellavit ab hac sententia ad S. C. C.

Disceptatio synoptica.

Per summa capita delibamus ea quae utrinque per Causidicos copiose sunt adducta.

Defensio Cleri. Cleri Defensor praemittens principium illud, meliorem esse conditionem possidentis, quasdam initio umbras diffundebat super descendentiam fratrum Prosperiorum a Diana

Digitized by Google

Ventura. Sed descendentia per hypothesim admissa contendebat, agi in praesenti themate non quidem de iurepatronatus gentilitio, sed de iurepatronatus haereditario quod potest in alios quoscumque libere transferri: cum enim voluisset simpliciter Testator, ut praesentatio Cappellani fieret *semper per tutores et executores infrascriptos,* non aliud Testatorem voluisse inquit, nisi ut nominati Tutores iuspatronatus haberent, et eos qui ipsos perpetuo repraesentarent, quod idem est ac dicere haereditarium esse iuspatronatus.

Gentilitium quidem fuisset iuspatronatus si proximiores de linea paterna ipsius Testatoris extitissent: sed cum hi non existerent, non esse arguendum de una linea in aliam: nihil enim impedire quominus iuspatronatus in diversa linea diversam habeat naturam iuxta Ancharani doctrinam *cons.* 81, cum *non implicet, iuspatronatus pro parte esse gentilitium et pro parte haereditarium,* Card. De Luca *dis.* 35 *n.* 20. *de Iurepatr.*

Neque opponi posse, subiunxit Defensor, Testatorem Tutoribus substituisse tum proximiores de linea sua materna tum Rectorem et Clerum Ecclesiae S. Petri, quasi vero hoc ipso indicare voluisset Tutores gentilitio iurepatronatus frui debere, cum secus nunquam dictae substitutiones locum habuissent: respondebat enim Orator, verum quidem esse neminem sine haerede decedere qui, si desit, Fiscus ut haeres succedit; attamen iuxta veriorem sententiam Fiscum incapacem esse successionis in iurepatronatus, *Rota in Decis.* 4, *n.* 20 *coram Rezzonico;* ideoque substitutiones a Testatore statutas hoc in casu potuisse habere locum.

Quod si adhuc dubia hac super re censeri vellet lex fundationis, succurrere Clero receptissimam regulam, qua, in dubio, iuspatronatus haereditarium potius, quam gentilitium praesumitur: succurrere ultimum statum iurispatronatus, quo leges fundationis declarantur, Pitonius *discept. eccl.* 53 *n. q.* Porro vacante Cappellania anno 1821, institutionem canonicam obtinuisse Sebastianum Cella vi cessionis iurispatronatus eidem factae a fratribus Prosperiis; quam quidem cessionem locum habere non potuisse nisi de iurepatronatus haereditario ageretur: succurrere demum Clero duorum saeculorum observantiam, cum anno 1626, mortuo Romulo Ventura, qui ut patronus habitus fuerat, iuspatronatus

Digitized by Google

exercuissent eius filiae et haeredes Diana et Sextilia quin admitteretur ad praesentandum filia Dianae, quae sane una cum matre nominare potuissset si iuspatronatus esset gentilitium, Ferraris *Bibtioth. Can. verbo Iuspatronatus n.* 7. 8.

Haec confirmari quoque contendit per arbitrium de consensu partium emissum Vicarii Generalis anno 1626, qui pronunciavit, iuspatronatus spectare ad sorores Dianam et Sextiliam *utpote filias et haeredes universales* dicti Romuli Ventura, cui arbitrio consonare quae deinde consecuta essent: illis enim mortuis, Prosperios sive masculos sive foeminas centum et amplius annorum praesentasse *ut haeredes* sive *Dianae et Sextiliae Ventura* sive *Antoniae Panoti* filiae Dianae: easdemque praesentationes a Curia confirmatas fuisse: item anno 1819 et 1820 postremos superstites e familia Prosperia Lucatelli iuspatronatus, legati vel donationis titulo, alienasse, quod subinde cessionis ope in Clerum Ecclesiae S. Petri pertransiit. Haec quidem omnia ostendere, iuspatronatus haereditarium fuisse, et ut haereditarium iugiter habitum.

Neque obiici posse, in nonnullis huiusmodi actis identidem legi, iuspatronatus *ad domum Ventura* vel ad *familiam Prosperiam* pertinere: respondit enim Orator, cum iam constet de iurepatronatus haereditario, eiusmodi dicta non indicare titulum, sed personas tantum, quae actu in illius quasi iuris possessione versarentur, ut non semel perpendit hisce in adiunctis S. Rota, nominatim in *Ravennaten. Iurispatr. 4 Iulii* 1823 *coram Iosoard. num.* 11.

His autem positis infirmandam esse Orator censebat Vicarii Generalis sententiam.

Cum autem causa proponenda esset et proposita fuerit in Congregatione diei 21 Martii 1868: contra vero Fratres Prosperii Gagliardi implorarent dilationes ad sua deducenda iura, S. Congregatio distulit Resolutionem per consuetum responsum *Dilata*.

In repropositione causae nihil amplius deduxit Clerus, sed dicti Fratres Prosperii suas allegationes exhibuerunt, quarum synopsis haec est.

Defensio fratrum prosperiorum. Horum Defensor contendit iuspatronatus in praesenti themate non quidem haereditarium, sed familiare vel gentilitium esse, atque propterea ad Prosperios pertinere utpote a veteri gente Prosperia atque Ventura de-

Digitized by Google

scendentes: ideoque iuspatronatus non potuisse alienari in damnum successorum, qui iure proprio succedunt. Ostendebat autem familiare vel gentilitium esse iuspatronatus ex ipsis Testatoris verbis, cum Testator voluerit praesentationem fieri semper per proximiores de linea paterna, istis vero deficientibus, per *proximiores de linea materna* inter quos fratres Prosperios adnumerari: cum autem Testator genti et familiae suae prospexisset, procul dubio iuspatronatus gentilitium vel familiare esse renunciandum, ceu passim tradunt Auctores.

Haec confirmabat allegatâ observantiâ trium saeculorum, cum huiusmodi iuspatronatus ab anno 1504 usque ad annum 1821 semper fuerit prius penes familiam et gentem Venturam, postea vero penes familiam Prosperiam ab ea descendentem: eiusmodi autem observantiam tanti valoris esse, ut si testamenti tabulae deficerent, iam vi praesumptionis et praescriptionis iuspatronatus gentilitium et familiare sese ostenderet, Rota *dec.* 204. *p.* 12 *Recent. n.* 3 *et seqq. in Veliterna Iurisp.* 20 *Iunii* 1853 *coram De Witten* §. 7.

Quibus adiiciebat Orator publicam famam, plura Curiae episcopalis acta, quae id supponerent, sententias duas latas in contentione partium, gentilitium stemma tum familiae Ventura tum familiae Prosperiae atque insignia in sepulcri lapide ac Cappellae parietibus insculpta, et alia id genus.

Quae cum ita se haberent, cum haec in facto et in iure certissima essent, id unum in praesentia esse quaerendum subiungebat, utrum hodierni fratres Prosperii a veteri gente Ventura et Prosperia descenderent. Porro constabat Franciscum et Ioannem Ventura, qui Cappellaniam anno 1504 erexerunt, proximiores fuisse Testatori Bernardino, ut declaratum fuerat in Curiae sententia anno 1626, atque ex eis per foeminas originem denique duxisse hodiernos Prosperios Gagliardi quod ostendebatur ex accurata arbore genealogica.

Hisce ostensis, perperam inquiebat, factas fuisse extraneis donationes iurispatronatus anno 1819 et 1820: namque in iurepatronatus familiari et gentilitio, quemadmodum in fideicommissis, possessores non posse immutare institutionis leges in posterorum damnum: cum omnes posteri, qui ab institutore vocati fuerint, praesentandi ius, independenter ab haereditaria

Digitized by Google

qualitate, proprio iure habeant, et patronorum singulorum iura non ultra vitam progrediantur: proindeque quidquid amplius gestum factumque fuerit in damnum posterorum, ob potestatis defectum omnino inefficax invalidumque haberi oportere, S. Rota *in Decis.* 630 *p.* 16. *t.* 2 *recent. n.* 23, *in Firmana Nominationis* 20 *Iunii* 1853 *coram Alberghini* §. 5, *et in eius confirmatoria* 16 *Decembris* 1854 *coram eodem,* et passim alibi.

Neque posse obiici mentionem haereditariam, quae interdum in nonnullis actis occurreret: cum enim constaret de familiari et gentilitia natura iurispatronatus tum ex testamenti tabulis tum ex diuturna, imo trium saeculorum observantia, tum ex pluribus aliis indiciis et adminiculis, mentionem haereditariam non esse taxative intelligendam de haeredibus bonorum, sed de haeredibus sanguinis, cum consanguinei successores, haeredes quoque bonorum dici et esse soleant.

Neque obstare, eos, qui iuspatronatus alienarunt anno 1819 et 1820, fuisse ultimos superstites masculos ex familia Prosperia: etenim, praeterquam quod et ipsi ex foeminina linea a gente Ventura descenderant, notum esse, exarescente linea masculina, foemininam lineam vocari tum ex testamentariis tabulis tum ex dictionibus *domus* et *familiae* sub quibus masculos et foeminas, agnatos et cognatos comprehendi, Rota in *cit. Veliterna* §. 3: tum ex recepta regula, quae praecipit, semper competere foeminis ius praesentandi post masculos ad instar caeterarum successionum nisi sint expresse exclusae, Pitonius *Discept. eccl.* 4 *n.* 12 *et seqq.* Rota *in Veliterna Iurispatr.* 14 *Decembris* 1855 *coram Seraphini* §. 5 *et* 6: eo vel magis si observantia accedat a qua declinandum non est, Lotter *de re benef. l.* 21 *n.* 125, Card. De Luca *de Iurepatr. disc.* 61 *n.* 10.

Huc re perducta, perperam, Orator inquiebat, invocari ex adverso praescriptionem, cum de iurepatronatus gentilitio agatur, cui vocati a Testatore iure proprio succedant. Sed praeterea inquit, in praesenti themate omnino deficere extremos praescriptionis terminos, deesse enim aiebat iustum titulum, bonam fidem, ac legitimum tempus, quod insuper interruptum fuisse inquiebat per obitum matris praesentium Prosperiorum, tum per horum minoritatem sub patria potestate viventium; proindeque eisdem succurrere regulam qua traditur, contra eos qui

Digitized by Google

agere non valent, praescriptionem non currere: unum denique superesse Cleri collegio, administrationem videlicet bonorum iurispatronatus pluribus annis procul a bono iure retentam: at vero haec ab exercitio iurispatronatus toto caelo differre, ut traditur in *folio S. C. C. diei 22 Iunii 1850 §. Et perperam*.

His aliisque copiose disputatis propositum est resolvendum

Dubium

« An sententia Curiae Episcopalis . . . sit confirmanda vel » infirmanda in casu. »

Resolutio. S. Congregatio Concilii causa ventilata die 29 Augusti 1868 respondere censuit: *sententiam esse confirmandam*.

At novam audientiam Orator Cleri petiit obtinuitque, quibus post alia plura adducta, ad praescriptionem quod attinet, animadvertit, si mater fratrum contendentium mortua esset, superfuisse patrem cuius intererat prae caeteris familiaria iura, si quae essent, tueri: superfuisse fratrem matris eiusque sororem nuptam comiti N., eius filiam quae nupta viro G. prolem suscepit. At causa iterum coram S. C. proposita et discussa die 26 Iunii 1869, ad dubium: « An sit standum vel recedendum a decisis in casu » responsum prodiit: *In decisis et amplius*.

Ex quibus colliges:

I. Iuspatronatus quod a Testatore alicui personae relinquatur et absolute eiusdem personae descendentibus proximioribus in infinitum, eo ipso pertinere ad omnes descendentes sive masculos sive foeminas, earumdemque descendentes; quod ideo familiare vel gentilitium vocatur.

II. Quare quousque persona aliqua extiterit, quae suam successionem ex vocata familia ostenderit, quamquam successio remotissima fuerit, iuspatronatus in aliam vocatam secundo loco sedem transire non posse.

III. Neque ex alio quovis titulo posse iuspatronatus a patronis superstitibus in extraneos transferri: cum superstites patroni non quidem iuris dominium habeant, sed tantum quasi-possessionem eius iuris quod non ipsi, sed voluntas institutoris in vocatos transfert.

Digitized by Google

IV. Quare, quidquid in successorum nocumentum faciant patroni, successoribus vocatis nocere non posse.

V. Hinc difficile saltem locum habere praescriptionem; cum factum antecessorum ex sese non noceat successoribus.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

DE MISSA DE SPIRITU SANCTO TEMPORE IUBILAEI CELEBRANDA.

DECRETUM

« De Missa Spiritus Sancti, quam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. Litteris Apostolicis in forma Brevis datis die 11 Aprilis Anni 1869 omnibus ecclesiis capitularibus et conventualibus Urbis et Orbis praeter consuetam conventualem celebrandam qualibet Feria V. iniunxit, et de Collecta de eodem Spiritu Sancto in Missis quotidie addenda, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exhibita fuerunt:

I. An praedicta Missa votiva de Spiritu Sancto debeat esse cantata vel lecta?

II. An huic Missae addi debeat *Gloria* et *Credo*?

III. An haec Missa omittenda sit in octavis privilegiatis Paschatis et Epiphaniae, itemque Nativitatis et Corporis Christi, praesertim si est lecta?

IV. Qua hora haec Missa celebrari debeat?

V. An in hac Missa unica Oratio vel plures ut in Missis votivis dici debeant?

VI. An sit onus impositum Canonicis vel potius Ecclesiae?

VII. In Ecclesiis praesertim Sanctimonialium, in quibus attentis temporum circumstantiis una Missa vix potest celebrari, quid fieri debeat? quaenam omittenda?

VIII. An Collecta de Spiritu Sancto debeat omitti in diebus primae et secundae Classis (1)?

(1) Scimus moveri a nonnullis et alterum dubium: videlicet, an Oratio de Spiritu Sancto sit illa prima, idest, quae reperitur inserta in Missa de Spiritu San-

Digitized by Google

» Haec autem dubia quum subscriptus Secretarius retulisset in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato typisque evulgato, rescribendum censuerunt:

Ad I. *In omnibus Cathedralibus et in Collegiatis ubi quotidie canitur Missa conventualis, cantari debet etiam Missa de Spiritu Sancto: in aliis Ecclesiis in Brevi Apostolico designatis haec Missa debet legi vel cani prout legitur vel canitur Missa conventualis.*

Ad II. *In casu, tam in Missa cum cantu, quam in Missa sine cantu, addatur* Gloria et Credo.

Ad III. *Standum est praescriptioni Brevis, ideoque singulis Feriis V., in quibus non occurrat Duplex primae vel secundae classis, est celebranda, etiamsi celebretur lecta.*

Ad IV. *Cantetur, aut legatur post Nonam, et etiam post omnes Missas a Rubricis eadem die praescriptas.*

Ad V. *In casu dici debet una tantum Oratio tam in Missa cum cantu, quam in Missa sine cantu.*

Ad VI. *Est onus Ecclesiae, et haberi debet ut pars servitii choralis.*

Ad VII. *Moniales non comprehendi.*

Ad VIII. *Negative, et in Festis primae classis dici debet sub unica conclusione; in Festis vero secundae classis cum propria conclusione.* Atque ita rescripserunt. Die 3 Iulii 1869.

» Facta autem per me infrascriptum Secretarium de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit, confirmavit ac servari mandavit. Die 8 iisdem mense et Anno. »

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praefectus

Loco ✠ Signi

D. Bartolini Secretarius.

cto, an vero secunda, quae eidem Missae in Missali Romano adiicitur.

Testari nos possumus, Romae procul omni dubio primam recitari: eam scilicet, quae inserta est in Missa de Spiritu Sancto, non vero ea quae adiicitur.

Digitized by Google

Votum Consultoris brevi ratione concinnatum fere integrum referre possumus, illudque est sequentis tenoris.

Ex Pontificio mandato iuxta Apostolicas Litteras in forma Brevis die undecima Aprilis currentis anni 1869 in omnibus Patriarchalibus, Basilicis, et Collegiatis huius almae Urbis, nec non in cunctis totius Orbis Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis, et in singulis cuiusque religiosae familiae ecclesiis regularium, qui conventualem Missam celebrare tenentur, a die prima Iunii huius anni usque ad diem qua oecumenica synodus pro octava die Decembris indicta finem habuerit, feria quaque quinta, dummodo non occurrat festum duplex primae aut secundae classis, praeter consuetam Missam conventualem, aliud de Sancto Spiritu Divinum Sacrificium, absque applicationis obligatione, litandum erit, et in caeteris Missis hoc tempore Collecta de eodem Sancto Spiritu erit quotidie superaddenda. Huiusmodi autem mandatum quod in dictis Apostolicis Litteris continetur locum dedit dubiis nonnullis, quae aut modum, aut ritum, aut horam celebrationis, vel ipsius Missae, aut Collectae omissionis casum respiciunt, quaeque ab Episcopis plurium dioecesuum, a clero saeculari, et a religiosis familiis, sanctimonialibus non exclusis, exhibita sunt. Ex hisce vero dubiis octo praecipua selecta fuerunt, super quibus R. P. D. huius Sacrae Congregationis Secretarius meam sententiam requisivit antequam proponerentur coram Vestro Sacro Ordine solvenda. Libenter hoc munus suscipiens, quid super singulis sentiam, paucis demonstrabo, ac votum meum qualecumque sit iudicio ac sapientiae Eminentiarum Vestrarum humillime submitto.

Dubium I.

An Missa votiva de Spiritu sancto debeat esse cantata vel lecta?

Missam votivam de Spiritu Sancto nuper praescriptam ad normam Missae conventualis celebrandam esse nemo vocare potest in dubium. Siquidem in Apostolicarum Litterarum contextu, ubi mentio fit de Missa conventuali, deque iis, qui ad eam ce-

Digitized by Google

lebrandam adiguntur, praeter unicam de onere applicationis, nulla alia exhibetur exceptio, quae indicet modum servandum in Missa de Spiritu Sancto a regulis Missarum conventualium diversum. Iam vero quomodo litanda sit quotidiana Missa, quae conventualis dicitur, Sacrorum Rituum Congregationis Decreta, iuxta diversitatem ecclesiarum, eam normam tradunt, quae singulis ecclesiis vel ratione dignitatis, vel ratione inservientium apprime convenit. Etenim si agitur de ecclesiis cathedralibus utpote dignitate prae ceteris ecclesiis pollentibus, aut de collegiatis in quibus ministrorum numerus sufficiens inservit, iubent Decreta ut haec Missa quotidie cantetur, sicuti videre est in *Urbevetana* 3 *Augusti* 1737 *ad* 11, in causa *Nullius provinciae Compostellanae* 27 *Septembris* 1817 *ad* 5. *et in Bobien*. 3 *Augusti* 1839 *ad* 1. Si vero agitur de ecclesiis, quibus religiosae virorum familiae, aut etiam sanctimoniales addictae sunt, vel quia eorum ecclesiae illis cleri saecularis sunt inferiores, vel ob ministrorum deficientiam, permittunt Decreta, nisi aliunde obligatio oriatur, ut haec Missa absque cantu habeatur, uti videre licet in causa *Ordinis Minorum observantium* 19 *Iunii* 1773, *in Lusitana* 20 *Decembris* 1783 *ad* 1, et in causa *Sanctimonialium Ordinis Cappucinorum* 7 *Decembris* 1844. Itaque haec regula, quae ad tramites Decretorum diversis ecclesiis pro Missa conventuali assignatur, applicanda erit pro diversitate ecclesiarum etiam Missae votivae de Spiritu Sancto nuper per Apostolicum Breve indictae. Proindeque in omnibus ecclesiis cathedralibus, et in collegiatis, ubi ex lege canitur quotidie Missa conventualis de officio currenti, canenda pariter erit Missa de Spiritu Sancto, eaque vel adhibitis sacris ministris, vel absque eorum ministerio iuxta consuetudinem: in ecclesiis vero, quibus religiosae utriusque sexus familiae adscriptae sunt, ubi conventualis Missa dicitur generatim sine cantu, etiam Missa de Spiritu Sancto lecta haberi potest. Unde proposito dubio responderem.—*In omnibus cathedralibus et in collegiatis, ubi quotidie canitur Missa conventualis, cantari debet etiam Missa de Spiritu Sancto: in aliis ecclesiis in Brevi Apostolico designatis haec Missa debet legi vel cani prout legitur vel canitur Missa conventualis.*

Digitized by Google

Dubium II.

An huic Missae addi debeat Gloria *et* Credo.

R. Ex Rubricis generalibus Missalis duo genera Missarum votivarum enumerantur. Sunt Missae votivae, quae quocumque die officium non est duplex, exceptis tamen dominicis nonnullisque aliis diebus privilegiatis, celebrari possunt arbitrio Sacerdotum, in iisque omitti debet *Gloria* et *Credo*, excepta votiva de B. Maria in Sabbatho; quae Missae appellantur votivae privatae ex verbo *votum* large sumpto pro voluntate et desiderio Sacerdotum iuxta Gavantum. Sunt aliae Missae pariter votivae, quae celebrari possunt diebus duplicibus etiam maioribus, attamen cum cantu et aliquali solemnitate, in quibus addendus est hymnus angelicus, nisi sint cum paramentis violaceis, et symbolum Apostolorum; quae tamen non ab arbitrio Sacerdotum, sed a superioris, idest vel Episcopi dioecesani, vel Summi Pontificis iussione dependent, et indicuntur ob gravem aliquam necessitatem, vel ob universalis Ecclesiae causam; atque huiusmodi Missae appellantur votivae solemnes pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa. Clara est Rubrica Missalis, quae hoc secundum Missarum votivarum genus respicit. Etenim capite VIII. de *Gloria in excelsis, num.* 4, legitur: « *In Missis votivis non dicitur. . . . nisi Missa votiva* SOLEMNITER dicenda sit PRO RE GRAVI, VEL PRO PUBLICA ECCLESIAE CAUSA », et in capite XI. de *Symbolo, num. unico versus finem:* habetur «*Dicitur* Credo *in Missis votivis, quae* SOLEMNITER PRO RE GRAVI VEL PRO PUBLICA ECCLESIAE CAUSA *celebratur.* » Profecto Missam de Spiritu Sancto indictam a Summo Pontifice quavis feria quinta, exceptis tantum Festis primae et secundae classis, a dicto mense Iunio usque ad finem oecumenicae synodi, ad postremum Missarum votivarum genus pertinere manifestum est. Haec enim ex Pontificis mandato locum semper habebit etiam occurrente Festo duplici aut duplici maiori, quod implicite innuit huiusmodi Missam illius esse generis quod refertur ad Missas votivas pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa ordinatas. Quod autem indicta sit pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa, nemo potest in dubium vocare, qui sciat quanti momenti sit, coetum omnium Episcoporum sub regimine Christi Vicarii convocare ad fidei dogmata

Digitized by Google

definienda et confirmanda, ad disciplinam ecclesiasticam instaurandam, ad pravos mores coercendos, ad alia decernenda, quae totius catholici Orbis bono bene vertunt, pro cuius felici exitu praeter publicas preces, ieiunia, ecclesiarum visitationes, hoc Sacrum votivum de Spiritu Sancto iubetur litandum. Cum igitur divinum hoc sacrificium de Sancto Spiritu pro re gravi et publica Ecclesiae causa solemniter sit celebrandum, in eo addenda sunt *Gloria* et *Credo*. Verum quoniam in praecedenti responsione dictum est aliquibus in locis hoc Sacrum fieri posse absque cantu, deficiente in casu solemnitate, considerandum videtur veluti Missa votiva privata, adeoque *Gloria* et *Credo* omitti possunt. Quapropter dubio rescriberem: *Affirmative quando Missa erit cantata: secus negative.*

Dubium III.

An haec Missa omittenda sit in octavis privilegiatis Paschatis et Epiphaniae, itemque Nativitatis Domini, et Corporis Christi, praesertim si est lecta?

R. Iuxta Rubricas generales Missalis *tit. IV. num.* 3 Missae votivae privatae *dici possunt quocumque die officium non est duplex. Ex quo* (uti bene notat Gavantus in hunc titulum ad litteram O.) *consequenter dicendum est prohiberi votivas in iis etiam diebus, in quibus prohibetur fieri de festo duplici, argumento a fortiori sumpto, nempe infra octavas Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes* etc. Huic apprime respondent Decreta Sacrae Rituum Congregationis, ut videre licet in generali Decreto diei 28 Sept. 1714, et in altero diei 22 Decembris 1753. in *Vilnen. ad* 6. in quo includitur etiam octava Corporis Christi. Missae votivae solemnes pro re gravi infra praedictas octavas celebrari possunt, uti colligitur ex Decreto diei 27 Martii 1779 in causa *Ordinis Minorum S. Francisci ad* 20; ubi singillatim enumerantur dies, quibus excipiuntur hae Missae, scilicet Festa duplicia primae classis, dominicae primae Classis, feriae cinerum, et maioris hebdomadae, vigiliae Pentecostes et Nativitatis Domini: reliquis autem diebus permittuntur. Ubi advertere licet inter permissivos dies ex lege admitti etiam Festa duplicia secundae classis. Verum Rubricae, et Decreta adducta, quae generalem regulam servandam assi-

Digitized by Google

gnant, per Apostolicas Litteras in forma Brevis latas die 11 Aprilis iubentes Missam votivam de Spiritu Sancto celebrandam feria quaque quinta, exceptionem patiuntur. Quapropter cum in casu non generali legi, sed speciali mandato per citatas Apostolicas Litteras standum sit, consequitur ut proposito quaesitui rescribendum videatur: *Standum praescriptioni Brevis, ideoque singulis feriis quintis, in quibus non occurrat duplex primae vel secundae classis, est celebranda etiamsi celebretur lecta.*

Dubium IV.

Qua hora haec Missa celebrari debeat?

R. Generales Missalis Rubricae tit. XV. *de Hora celebrandi Missam, num.* 5. haec habent – Missae votivae, *quia non correspondent officio, si solemniter celebrentur pro re gravi vel pro publica ecclesiae causa cum populi frequentia dicantur post Nonam.* Hisce de causis etiam singillatim sumptis, et praecipue ob primam causam, quaecumque Missa votiva sive lecta, sive cantata, quia officio non respondet, post nonam litari debet. Cui legi consonat Decretum S. Rituum Congregationis diei 5 Martii 1607 in una *Senarum ad* 5, Missarum votivarum celebrationem post nonam praescribens. Eadem etiam de causa, quia scilicet Missa votiva officio currenti non concordat; proindeque appellanda est Missa addictitia; si eadem die ex Rubricis conventualis Missa post nonam cantari debet, votiva de Spiritu Sancto post ipsam est celebranda. Ideo respondendum videtur: *Cantetur, aut legatur post Nonam, et etiam post omnes Missas a Rubricis eadem die praescriptas.*

Dubium V.

An in hac Missa unica oratio vel plures ut in Missis votivis dici debeant?

R. Quemadmodum in responsione ad dubium secundum animadverti duo esse Missarum votivarum genera, et unumquodque genus quid secumferat, vel quid repellat: ita modo redit eadem distinctio causa orationum in hisce Missis recitandarum. Sane Missae votivae privatae, vel quae absque solemnitate celebrantur. idest sine cantu, tres vel etiam plures orationes requirunt: so-

Digitized by Google

lemnes vero pro re gravi vel publica ecclesiae causa unicam tantum admittunt orationem. Siquidem unitas orationis dicit et significat solemnitatem, uti optime notat Gavantus ad *titul. IX. Rubricae generalis de orationibus, num.* 14, in qua legitur, quod *in Missis votivis quando solemniter dicuntur pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa dicitur tantum una oratio: sin autem dicuntur plures ut in Festis simplicibus.* Cui Rubricae inhaeret Decretum S. Rituum Congregationis diei 29 Ianuarii 1752 in causa *Ordinis Carmelitarum excalceatorum provinciae Poloniae ad* 9, declarans, ut in Missis votivis *solemnibus pro re gravi* unica tantum oratio dicatur. Quapropter concludendum censerem respondendo: *Si celebretur cum cantu unica debet esse oratio: secus saltem tres ut in Missis votivis.*

Dubium VI.

An sit onus impositum Canonicis, vel potius ecclesiae?

R. In supradicto Apostolico Brevi praecipiente celebrationem Missae votivae de Spiritu Sancto in Patriarcalibus, Basilicis, et Collegiatis huius almae Urbis, atque in cunctis totius orbis Cathedralibus, et Collegiatis, illis verbis: *ab earum Canonicis,* indicari videtur, quod per Canonicos ea sit celebranda, veluti si ceteri cuique ecclesiae addicti quocumque nomine vocentur, sive sint Beneficiarii, sive Mansionarii ut aiunt, sive Cappellani, neque etiam ad adsistentiam huic Missae exhibendam adigantur: uno verbo praeceptum in Apostolicis Litteris expressum censendum esset onus solummodo Canonicis impositum, non vero ecclesiae, ita ut nec pars sit servitii illius diei. Verum verba illa, *ab earum Canonicis,* quae in praecitatis Litteris referuntur, tam stricte accipi nequeunt, ut taxative de Canonicis tantum intelligantur. Etenim cum certum sit quod plurimae ecclesiae, in quibus adsunt Capitula cleri saecularis, praeter Canonicos, alios habeant ordinis inferioris inservientes, qui Beneficiarii, Mansionarii, Cappellani vocantur, et choro pariter adiguntur, meliori alio modo contextus Apostolici Brevis exprimi nequiverat, quam partem cleri principalem, seu melius essentialem, quae a Canonicis constituitur, unice demonstrative nominando; et sic ostendendo universale chorale collegium adigi ad huius Missae celebrationem tam-

Digitized by Google

quam ad novum onus ecclesiae impositum, et ad adsistentiam eidem praestandam, a quocumque ipsius collegii litetur. Unde sic respondendum videtur: *Est onus ecclesiae, et haberi debet ut pars servitii choralis.*

DUBIUM VII.

In ecclesiis praesertim sanctimonialium, in quibus attentis temporum circumstantiis una Missa vix potest celebrari, quid fieri debeat? quaenam omittenda?

R. Certum est, sanctimoniales, quae intra claustrum vivunt, quaeque vi propriae regulae in choro quotidie simul omnes convenire debent ad divinum officium persolvendum, recitata hora tertia vel nona iuxta Rubricas, Missam audire debere, quae celebratur de officio currente etsi sine cantu, et absque applicatione pro benefactoribus in genere. Ergo haec Missa pro monialibus est veluti conventualis, cui interesse ipsae tenentur: id etiam colligitur ex Decreto S. C. in una *Sanctimonialium Ordinis Cappucinorum* die 7 Decem. 1844. Admissa itaque obligatione Missae conventualis etiam quoad sanctimoniales, quae in choro quotidianam psalmodiam, uti religiosae virorum familiae, recitant, aedem sanctimoniales inter illos coetus enumerantur, qui subiacent praecepto in Apostolico Brevi expresse lato celebrandi feria quaque quinta Missam votivam de Spiritu Sancto. Hoc posito, ad dubium, quod attinet, quo quaeritur: quomodo fieri debeat in ecclesiis sanctimonialium, quae eadem die ad duas Missas obligatae unum solummodo Sacerdotem habent, qui celebret: quaenam Missa in casu est dicenda, quaenam omittenda? considerandum videtur, inter duas leges servandas, quae eodem tempore occurrunt, unam necessario adimpleri non posse, eamque esse in praxi servandam, cuius praecepti vis potiori causa fulcitur. Iam vero in casu Sanctimonialium, quae nequeunt ob Sacerdotum deficientiam habere eadem die duas Missas praescriptas, unam conventualem de Festo, alteram votivam de Spiritu Sancto, secunda erit praeponenda, quia haec indicta est pro re gravi, et pro publica Ecclesiae causa, dum prima hisce rationibus non cohonestatur: conventualis Missa sub communi praecepto ordinatur, Missa de Spiritu Sancto extraordinarie iubetur: conven-

Digitized by Google

tualis in casu est improprie dicta ut nuper indicavi, nec pro benefactoribus in genere applicatur: votiva de Spiritu Sancto, quamvis et ipsa ab applicationis onere eximitur, speciali tamen lege, quae universos coetus tam saeculares, quam regulares choro adstrictos nullo excepto comprehendit, praecipitur. Proinde est, quod ad utramque dubii partem sic responderi posse opinarer: *In ecclesiis, quae versantur in expositis circumstantiis, loco Missae conventualis officii occurrentis, legatur Missa votiva de Spiritu Sancto singulis feriis V. exceptis tamen Festis duplicibus primae et secundae classis.*

Dubium VIII.

An Collecta de Spiritu Sancto debeat omitti in diebus primae et secundae classis.

R. Praeterquamquod, cum agitur de Collecta a superiore imperata pro re gravi, Sacra Rituum Congregatio suo Decreto in *Tuden.* 7 Septembris 1816 iusserit talem Collectam quotidie esse dicendam et in duplicibus primae classis sub unica, in iis vero secundae classis sub sua conclusione; adduci etiam posset in casu aliud Decretum, quod respicit Collectam ipsam de Spiritu Sancto. Requisita siquidem Sacra Congregatio, an quando ob occursum festi primae classis nequit cantari Missa votiva solemnis de Spiritu Sancto pro Capitulo generali religiosae familiae convocando, debeat addi Collecta in Missa solemni diei sub unica conclusione, affirmativam sententiam dedit in una *Ordinis Carmelitarum excalceatorum provinciae Coloniae* die 27 Martii 1774 *ad* 7. Ast si id locum habet in Missa solemni de festo primae classis pro speciali causa unius coetus particularis congregandi, multo magis ea erit dicenda, etiam in Missis privatis, et pro causa publica, quae omnium Episcoporum per totum catholicum Orbem diffusorum in alma Urbe convocationem respicit ad bonum universalis Ecclesiae indictam. Quamvis autem alias Sacra Rituum Congregatio in diversisDec retis excipere voluerit Festa primae classis a Collecta pro re gravi imperata, eam relinquendo arbitrio Sacerdotis in Festis secundae classis, sicuti videri potest in *Assisien.* 15 Maii 1819 *ad* 2; in *Namurcen.* 33 Maii 1835 *ad* 1 *q.* 3, et in una *Ordinis Minorum de observantia* 15 Aprilis 1853

Digitized by Google

ad 15; attamen quia in propositis petitionibus forsan non agebatur de Collecta in omnibus singulisque Missis imperata, sed tantum in genere de Collecta in Missis dicenda. In facto autem est, ut cum aliqua Collecta iubetur pro re gravi in Missis addenda, Sacerdotes sequi soleant allatum Decretum in *Tuden*. 7 Septembris 1816, ita ut non omittant Collectam praedictam. Caeterum in casu praesenti agitur de Collecta in omnibus Missis imperata nullo prorsus excepto die, uti habetur in Apostolicis Litteris, quod iam ex se sufficeret ut huic praecepto nulla alia regula resistere valeat: agitur de Collecta pro re gravi et publica Ecclesiae causa, pro cuius quotidiana recitatione adest Decretum 7 Septembris 1816 in *Tuden*. quod quidem satis viget in praxi (1): adest et alterum Decretum praecise latum quoad orationem de Spiritu Sancto diei 27 Martii 1773. Est ergo concludendum quod Collecta de Spiritu Sancto in casu nunquam erit omittenda: ideoque ad dubium respondendum esse censerem: *Negative*.

Quae dicta sint etc.

(1) Generalis quidem regula est, ut imperatae Collectae a Superioribus, pro aliqua gravi causa in Missa dicendae, omittantur in Festis ritus duplicis primae classis et arbitrio Sacerdotum remittantur in Festis ritus duplicis secundae classis, ut legitur in allegatis Decretis et nominatim in *Assisien*. diei 15 Maii 1819: fuerat enim dubium propositum his verbis: « An in duplicibus primae classis et » secundae classis recitanda sit Collecta a » Maioribus imperata. » Cui responsum est: *Negative in duplicibus primae classis, ut alias responsum fuit: quoad duplicia secundae classis poterit ad libitum celebrantis legi vel omitti Collecta imperata in Missis privatis tantum*; *in Conventuali et solemni omittenda*. Quod Decretum congruit cum alio antiquo edito in Resolutione *Urbis dubiorum* die 7 Augusti 1627. Propositum enim fuit: « An oratio *Deus* » *refugium nostrum etc*. quando SSmus » eam pro re gravi dicendam iubet, di» cenda sit etiam in festis primae classis. Et S. Congregatio censuit: *non esse dicendam*.

Haec tamen generalis regula, quae Romae servatur, suas admittit exceptiones, quamquam raro. Ratio est, quia causae propter quas Collectae imperantur, etsi graves, non sunt super eiusdem gravitatis generis: dantur enim causae universales et gravissimae, dantur causae publicae necessitatis, quibus vigentibus cessat regula consueta ritus. Imo ritus ipse postulat ut, durantibus huiusmodi causis, precatio imperata nunquam cesset; praesertim quando Superior, qui causarum gravitatem noscit, id singillatim imperet. Hic est sensus Decreti quod legitur in allegata *Tuden*. Propositum enim fuit Dubium: « Utrum oratio prae» cepta a Superiore necessitatis publicae » tempore locum habeat in diebus pri» mae et secundae classis: » item: « An » praedicta oratio dici debeat sub distin» cta conclusione. » Quibus S. C. respondit: *Si oratio praecepta sit pro re gravi dicenda erit in duplicibus primae classis sub unica conclusione: et in duplicibus secundae classis sub sua conclusione: si*

Digitized by Google

ROMANA seu ELNEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

FR. ANGELI A PAS

SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI STRICTIORIS OBSERVANTIAE REFORMATORUM.

Decretum. Instante Rmo P. Vincentio a Iennis Sacerdote Professo Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum et Postulatore causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Angeli a Pas praefati, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Andreas Bizzarri huius Causae Ponens sequens proposuit dubium in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis « *An sententia Iudicis ab Emo et Rmo Cardinalis Urbis Vicario subdelegati super cultu praedicto Ven. Servo Dei nunquam exhibito seu super paritione Decretis sa: me: Urbani Papae VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Pietro Minetti sanctae fidei Promotore, rescribere censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam*. Die 3 Iunii 1869.

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. per me infrascriptum secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere et confirmare dignata est. Die 8 mense et anno eodem. »

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini Secretarius.

non sit pro re gravi omittenda in duplicibus primae classis; in duplicibus vero secundae classis arbitrio Sacerdotis. In hoc Decreto apparet, sub verbis *pro re gravi* intelligi causam non gravem verbotenus, sed vere gravem, quae dici posset gravissima in comparatione eius causae quae in secunda Decreti parte dicitur *non gravis*. Namque gravis aliqua causa ad imperandas precationes in Missa concurrere solet.

SANCTIMONIALIUM ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATARUM IN GALLIA.

DECRETUM. « Quum Sanctimoniales Ordinis Carmelitarum Excalceatarum in Monasteriis Galliae degentes, etsi vota tantum simplicia emittant, per Decretum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 5 Martii anni vertentis privilegiorum omnium et gratiarum spiritualium communicationem obtinuerint, quibus gaudent Sanctimoniales eiusdem Instituti, quae solemnia vota emiserunt, hinc Rmus D. Carolus Gay Vicarius Generalis Episcopi Pictaviensis exquisivit, ut Sacerdotes omnes, qui in earumdem Ecclesiis vel Sacellis sacrum erunt facturi, privilegio gaudeant earumdem Sanctimonialium Kalendario et Proprio Missarum a Sancta Sede approbatis, sese conformandi. Sanctitas vero Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis et de speciali gratia, quae sequuntur privilegia concedere dignata est: nimirum indulsit:

» 1° Ut Confessarius et Cappellani praedictarum Sanctimonialium servitio addicti in Sacrosancto Missae sacrificio celebrando in earum Ecclesiis vel Cappellis conformare se debeant praedicto Kalendario et Proprio.

» 2° Ut caeteri Sacerdotes in dictis Ecclesiis vel Sacellis sacrum facientes enunciato Kalendario et Proprio sese conformare valeant: addita tamen conditione ut in iisdem Ecclesiis vel Cappellis praesto sit Missale Romanum in usum eorum Sacerdotum qui cum Missali Romano celebrare desiderant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 Aprilis 1869.»

C. Episcopus Portuens. et S. Rufinae
Card. PATRIZI S. R. C. Praefectus

Locus ✠ Sigilli.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

DE IEIUNIO PRAESCRIPTO AD LUCRANDAM IUBILAEI INDULGENTIAM.

Die 10 Iulii 1869.

« Editis Litteris Apostolicis in forma Brevis die 11 Aprilis 1869, quibus SSmus D. N. Pius PP. IX omnibus Christifidelibus Indulgentiam Plenariam in forma Iubilaei occasione Oecumenici Concilii concessit, huic S. Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum infrascripta proposita sunt dubia praesertim circa ieiunia, quae Christifideles servare debent, ut Indulgentiam huius Iubilaei lucrari valeant. Quibus sedulo perpensis S. Congregatio, benigne annuente Sanctissimo Domino, respondendum censuit prout respondet.

DUBIA ET RESPONSA.

I. Inconcussi iuris est, operibus alias praeceptis satisfieri non posse obligationi de operibus iniunctis ad acquirendas indulgentias, nisi aliud constet expresse de mente Concedentis; nihilominus pro hoc Iubilaeo oritur dubium, quia in Litteris Apostolicis legitur: « *praeter consueta quatuor anni tempora, tribus diebus etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria, et sabbato ieiunaverint.* » Quaeritur, an standum sit regulae generali, ita ut ad effectum lucrandi Indulgentiam omnes dies ieiunii ad quod quisque tenetur, vel dies ieiunii quatuor anni temporum dumtaxat excludantur?

R. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

II. An ieiunia quatuor anni temporum, attenta voce illa *praeter:* ultra tria ieiunia pro Iubilaeo expresse praescripta, habenda sint uti opus iniunctum ad Indulgentiam acquirendam?

R. *Negative.*

III. An iis qui aut voto, aut praecepto, uti sunt Franciscales, aut quocumque alio titulo tenentur toto anni tempore ieiunare aliquo die ex diebus praescriptis pro Iubilaeo, suffragetur tale ieiunum ad lucrandam Indulgentiam.

R. *Affirmative.*

Digitized by Google

IV. Cum Religiosi S. Francisci teneantur ieiunare a secunda die Novembris usque ad Nativitatem Domini, quaeritur, utrum, hoc decurrente tempore, ipsi possint unico ieiunio tribus praescriptis diebus facto, satisfacere duplici obligationi tum praecepti, tum Iubilaei?

R. *Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, dummodo esurialibus tantum cibis pro dictis tribus Iubilaei ieiuniis utantur, quamvis fortasse ab usu ciborum esurialium dispensationem pro dicta Quadragesima obtinuerint.*

V. An idem dicendum sit pro Quadragesima Ecclesiae etiam quoad Christifideles?

R. *Permittitur ex speciali Sanctitatis suae indulto, ut in responsione ad quartum dubium, et cum eadem conditione in ea apposita.*

VI. Utrum ieiunia pro iubilaeo praescripta debeant esse *ieiunia stricte sumpta,* etiam quoad qualitatem ciborum sicuti ea, quae ex Ecclesiae praecepto adimplenda sunt, quin tamen quis uti possit indultis, si quae pro ieiuniis Ecclesiae obtenta fuerint?

R. *Affirmative, nisi aliquod speciale indultum, in quo etiam de Iubilaei ieiunio expressa mentio fiat, obtineatur.*

VII. Si quis indultum vescendi carnibus etiam pro ieiuniis Iubilaei consequatur, teneturne lege de non permiscendis epulis, nempe carnibus cum piscibus?

R. *Affirmative.*

VIII. An ii, qui ad statutam aetatem pro ieiunii obligatione nondum pervenerint, nec non operarii, aliique, qui ob legitimam causam ad ieiunia ab Ecclesia praecepta non tenentur, debeant ieiunare, ut Indulgentiam Iubilaei lucrentur?

R. *Affirmative. Quod si iudicio Confessarii id praestare nequiverint, Confessarius ipse poterit ieiunium in alia pia opera commutare.*

IX. In Litteris Apostolicis legitur « *tribus diebus etiam non continuis.* » Quaeritur, an in hoc Iubilaeo, ob dicta verba, singuli dies ieiunii in diversas hebdomadas dividi possint.

R. *In hoc Iubilaeo affirmative.*

X. Attenta clausula « *hac vice tantum* » quaeritur, an qui in censuras et casus reservatos inciderit, una tantam vice absolvi possit, prout edixit Bened. XIV. in Constit. « *Inter graviores* »

Digitized by Google

vel potius in hoc Iubilaeo toties quoties in censuras et casus reservatos incurrerit, absolvi possit?

R. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam*.

XI. An qui privilegio Bullae Cruciatae gaudet, hoc tantum titulo, sine alia causa, in ieiuniis Iubilaei carnibus vesci possit?

XII. An saltem vesci valeat ovis et lacticiniis?

R. ad XI. et XII. *Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, ut ii, qui privilegio Bullae Cruciatae legitime fruuntur, tantum ovis et lacticiniis in ieiuniis pro hoc Iubilaeo praescriptis uti possint, servata in ceteris ieiunii ecclesiastici forma.*

» Datum Romae e Sacra Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 10 Iulii 1869.»

A. Card. Bizzarri Praefectus.

Pro R. P. D. Secretario
Dominicus Sarra Pro-Substitutus.

EX SECRETARIA BREVIUM.

INDULGENTIAE IMPERTITAE RECITANTIBUS PIAM PRECATIONEM INFRASCRIPTAM PRO GRAECIS SCHISMATICIS

PIUS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam. « Iam alias ab hac Sancta Sede indulgentias plenarias et partiales fuisse concessas exponendum Nobis curavit dilectus filius hodiernus Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati Barnabit. nuncupat. a fidelibus lucrifaciendas, qui quamdam piam orationem italico sermone exaratam in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae pro conversione Graecorum Schismaticorum recitarent. Cum vero, ut idem dilectus filius Nobis retulit, in uberius fidelium bonum maioremque animarum salutem sit cessurum, si praefatas Indulgentias confirmare, et quatenus opus sit de

Benignitate Apostolica de novo elargiri dignaremur; ideoque humiles preces quoque Nobis admoverit; Nos qui ad augendam Christi fidelium religionem et ad procurandum ad Christi gregem reditum et ad Eius in terris Vicarii obedientiam, qui adhuc in Schismatis tenebris versantur paterna charitate simus intenti; piis huiusmodi votis obsecundare, ac ut infra indulgere voluimus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui Orationem ut inferius italico sermone confectam vel in aliud quodcumque idioma versam, dummodo tamen versio sit fidelis, in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae pro conversione Graecorum Schismaticorum corde saltem contrito devote quolibet die recitaverint, quo die id egerint, tercentum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Iisdem Christi fidelibus autem qui dictam Orationem singulis cuiuslibet mensis diebus ut supra recitaverint, et vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti quamlibet Ecclesiam, seu Oratorium publicum visitaverint ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel tantum in quolibet mense per unumquemque lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus. Oratio autem, cuius exemplar in Nostrae Secretariae Brevium tabulario asservari iussimus, sic se habet.

» *O Maria Vergine Immacolata, noi vostri servi e figli della Santa Chiesa Cattolica Romana, pieni di fiducia nella vostra potente protezione, vi supplichiamo umilmente di voler implorare dal divino Spirito, per onore e gloria della sua eterna processione dal Padre e dal Figliuolo, l'abbondanza de' suoi doni in favore de' nostri fratelli fuorviati i Greci Scismatici, affinchè rischiarati dalla sua grazia vivificante, rientrino nel seno della Chiesa Cattolica sotto la condotta infallibile del suo primo Pastore e Maestro il Sommo Pontefice Romano, e così riuniti sinceramente a noi*

Digitized by Google

coi vincoli indissolubili di una stessa fede, e di una stessa carità, glorifichino insieme a noi colla pratica delle buone opere l'Augustissima Trinità, e onorino nello stesso tempo voi o Vergine Madre di Dio piena di grazia, ora e per tutti i secoli: così sia (1).

» In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae utque earumdem praesentium (quod nisi fiat, nullas eas esse volumus) exemplum ad Secretariam Congregationi Indulgentiis, sacrisque reliquiis praepositae deferatur iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die XIX. Ianuarii MDCCLVI. latum et a s. m. Benedicto PP. XIV. Praedecessore Nostro die XXVIII. dicti mensis adprobatum. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Iunii MDCCCLIX. Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio. »

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

Harum Litterarum cum inserta oratione exemplar authenticum exhibitum fuit in Secretaria S. C. Indulgentiarum in ea asservandum iuxta Decretum diei 14 Aprilis 1856.

Die 16 Iunii 1869.

Dominicus Sarra Pro-Substitutus.

(2) *Versio latina.* O Immaculata Virgo Maria, nos servi tui et filii Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae potenti tuae protectioni fidentissime innixi tibi humiliter supplicamus, ut a Divino Spiritu, in honorem et gloriam eius aeternae Processionis a Patre et Filio, affluentiam eiusdem donorum implores fratribus nostris, qui ab Ecclesiae unitate abscesserunt, Graecis schismaticis, ut gratia vivificante illuminati in sinum redeant catholicae Ecclesiae sub ductu infallibili supremi in terra Pastoris et Magistri, qui est Romanus Pontifex: atque ita nobis una perpetuaque fide, unaque charitate sincere coniuncti, Trinitatem augustissimam per bona opera nobiscum glorificent, ac insimul tibi, Virgo Deipara gratia plena, honorem tribuant nunc et per omnia saecula: amen.

Digitized by Google

INDULGENTIAE IMPERTITAE RECITANTIBUS INFRASCRIPTAM PRECATIONEM IN HONOREM S. ANNAE.

PIUS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Exponendum Nobis curavit dilecta in Christo Filia Maria Henrica, ut praefertur, Antistita Generalis Religiosarum Sororum a S. Anna Providentiae nuncupat. Civitatis Taurinen., se vel maxime cupere, ad augendam in Christifidelium animis devotionem erga S. Annam Matrem Genitricis Dei Mariae, ut iis quamdam precationem recitantibus in honorem eiusdem S. Annae italico Sermone exaratam coelestes Ecclesiae thesauros de Benignitate Apostolica reserare dignaremur. Nos piis huiusmodi desideriis facile obsecundantes, deque Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque Sexus Christifidelibus, qui praefatam precationem quae incipit» *O benedetta fra le madri gloriosa S. Anna* etc., et cuius exemplar in Nostrae Secretariae Brevium tabulario asservari praecipimus, saltem corde contrito devote in quolibet die recitaverint, quo die id egerint, quinquaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

» Praecipimus autem ut earumdem praesentium (quod nisi fiat nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die XIX. Ianua-

Digitized by Google

rii MDCCLVI. latum, et a Sa. Me. Benedicto PP. XIV. Praedecessore Nostro die XXVIII. dicti mensis adprobatum.

» Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Iunii MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri Anno Vicesimo tertio.

N. Card. Paracciani Clarelli.

Precatio indicata italice scripta ita se habet.

ORAZIONE

IN ONORE DI S. ANNA MADRE DELLA SANTISSIMA VERGINE

«O Benedetta fra le madri, gloriosa S. Anna, che aveste per figlia a voi soggetta ed obbediente la Madre di Dio, ammiro l'altezza di vostra elezione, e le grazie di cui vi adornò l'Altissimo! Mi unisco a Maria Santissima sempre Vergine nell'onorarvi, nell'amarvi, nell'affidarmi alla vostra tutela. A Gesù, a Maria ed a voi consacro tutta la mia vita come umil tributo della mia divozione; voi ottenetemi che passi per me santa e degna del Paradiso. Così sia (1) ».

DECRETUM

« Nihil obstat quominus supradicta oratio a Revmo Domino Assessore Sacrorum Rituum Congregationis revisa et correcta modo quo prostat in superiori exemplari recitari valeat etiam in ecclesiasticis functionibus, dummodo id fiat extra Officium et Missam.

Die 4 Maii 1869.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Harum Litterarum cum praeallegata precatione exemplar authenticum exhibitum fuit in Secretaria S. C. Indulgentiarum in ea asservandum iuxta Decretum diei 14 Aprilis 1856.

Die 12 Iunii 1869.

Domin. Sarra Pro-Substitutus.

(1) Ea precatio ita latine sonat: O gloriosa atque inter matres benedicta Anna sancta quae filiam, ipsam Dei Matrem, tibi obedientissimam habuisti, sublimem gradum ad quem te elegit et gratias quibus te auxit Deus admiror! Sanctissimae semper Virgini me socio ut validius te honore prosequar, te amem, tutelaeque tuae me dedam. In tributum tenuissimum devotionis meae totam Iesu, Mariae et Tibi consecro vitam meam. Tu mihi impetra, ut vita mea sancte ac Paradiso digna iugiter transeat. Amen.

Digitized by Google

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

EX PROPOSITIONIBUS CONSISTORIALIBUS.

Die 25 Iunii 1869.

SSm̃us D. N. Consistorium secretum habuit die 25 Iunii mane in Vaticanis aedibus. Habita Allocutione quam superius retulimus *pag.* 641 sequentes proposuit ecclesias.

Patriarchalem Ecclesiam Antiochen. in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Caroli Belgrado ultimi illius Patriarchae in romana curia defuncti: Ad eam Sanctissimus promovit R. P. D. Paulum Brunoni hactenus Taronensem Archiepiscopum, qui licet ad Ecclesiam sibi creditam utpote ab infidelibus detentam accedere nequiverit, tamen qua Vicarius Apostolicus Aleppi ac successive Constantinopoli etiam qua Vicarius Apostolicus Patriarchalis pro Latinis ac insimul Delegatus Apostolicus pro Orientalibus omnia pastoralia munera laudabiliter obivit.

Antiochia clara olim ac primaria Syriae urbs et Principis Apostolorum Sedes ad Orontem fluvium sita, adhuc infidelium iugo miserrime subest.

Archiepiscopalem Ecclesiam Nicen. in partibus infidelium vacantem per adsignationem Tituli Presbyteralis SS. Marcellini et Petri factam Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Iosepho S. R. E. Cardinali Berardi: ad eam Sanctissimus promovit R. D. Seraphinum Vannutelli Presbyterum Praenestinae diaeceseos, qui in almo Capranicensi collegio Urbis in ecclesiasticas disciplinas incumbens, Philosophiae, Theologiae et Iuris utriusque doctor est renunciatus: post in Vaticano Seminario sacrae Theologiae Professor adlectus atque Praebenda Beneficiaria in ea Patriarchali Basilica donatus apud Apostolicos Nuntios tum Mexici tum Bavariae Auditoris munere est perfunctus.

Nicaea illustris urbs Bityniae in Asia minori ad paludem Ascaniam, ac illustrior ob primum oecumenicum concilium contra damnatam haeresim Arianam inibi celebratum, infidelium iugo adhuc miserrime detinetur.

Cathedralem Ecclesiam Quinqueecclesien. vacantem per obitum bo. me. Georgii Girk ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: ad eam Sanctissimus promovit R. D. Sigismundum Kovács Presbyterum dioeceseos Sabariensis ad nominationem S. C. M. Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Idem Presbyter in sacra theologia doctorali laurea donatus in ecclesiasticis obeundis functionibus maxime emicuit: studiis Praefecti in Seminario Pestiensi et in ea universitate Professoris munere perfunctus, Secretarius, Notarius et Adsessor Curiae Episcopalis Weszprimiensis illiusque Cancellariae Director effectus est. Ipsa in Cathedrali Canonicus Abbas S. Petri Bodrogh-Monostor, Archidiaconus Simighiensis ac tabulae regiae Praelatus renunciatus est.

Digitized by Google

Quinquecclesiae civitas Hungariae inferioris in Comitatu Baranyensi ad pedes montis Mecseck amoeno in loco aedificata, unius circiter milliarii quadrati est ambitus, bismille et amplius continet domos, eamque duodevicies pene mille incolunt cives catholici sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia solidae elegantisque structurae S. Petri Apostolorum Principis titulo gloriatur, atque Strigoniensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum decem enumerat cum theologo ac poenitentiario Canonicos quos inter quatuor dignitates (quarum post Pontificalem prima est Praepositus maior) aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Canonicum Poenitentiarium a tribus Capellanis adiutum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc., atque inter Sanctorum Reliquias corpus S. Faustini et cranium S. Vincentii MM. decenter adservantur.

Tres aliae recensentur in urbe Quinquecclesiensi paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, tria pro viris ac duo pro mulieribus monasteria, nosocomium, atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioecesos ambitus per Comitatus Baranyensem, Tolnensem, Sümeghiensem et Verocensem extenditur, ac plura sub se complectitur oppida et loca.

Catedralem Ecclesiam Magno-Varadien. latini ritus vacantem per dimissionem a R. P. D. Francisco Szaniszlò ultro, libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam ab eademque admissam; ad eam Sanctissimus promovit R. D. Stephanum Lipovniczky Presbyterum Archidioecesos Strigoniensis ad nominationem S. C. M. Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Magno-Varadinum urbs Comitatus Bihariensis in Hungaria ad ripam dexteram fluvii Chrisii extructa, unius circiter milliarii est ambitus, termille continet domus, eamque septies mille et amplius incolunt cives fideles sub temporali dominio eiusdem Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia, solidae structurae, Beatissimae Virginis Mariae in coelum assumptae titulo gloriatur, atque Colocensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum sexdecim enumerat cum theologali ac poenitentiaria Praebenda Canonicos, quorum primi quatuor dignitarii, et Praepositus Maior pontificalem sequitur dignitatem; item viginti et amplius Presbyteros, ac plures clericos divinis inservientes.

Animarum cura non exercetur in Cathedrali, ubi tamen fons adest baptismalis atque duplex sacrarium etc. et inter sanctorum reliquias pars insignis Cranii S. Ladislai Regis Hungariae confessoris religiosissime adservatur.

Tres recensentur in urbe magno-Varadino paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, tria item pro viris ac duo pro sanctimonialibus monasteria, nosocomium et seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus per quinque fere Comitatus protenditur, sexaginta sub se complectens paroecias et plusquam sexcenta quinquaginta filialia loca.

Cathedralem Ecclesiam de Sonora in Mexicana ditione Americae Septentrionalis adhuc ut prius vacantem per translationem R. P. D. Petri Loza ad Metropolitanam Sedem de Guadalaxara: nam R. D. Gil Alaman eidem Ecclesiae praefectus in Consistorio secreto diei 22 Iunii anteacti anni ultro libenterque eamdem dimisit in manibus Sanctitatis Suae antequam munus consecrationis susciperet; ad eam Sanctissimus promovit R. D. Iosephum a Iesu Mariae Vriarte Presbyterum dioecesos de Sonora, qui Rector Seminarii de Sonora, et Vicarius Generalis, postea, accedente etiam aucto-

Digitized by Google

ritate Apostolica, Vicarius Capitularis hactenus renunciatus est.

Urbs de Sonora, cuius Episcopalis Sedes in urbe de Arispe, alias *Culiacan* constituta, in Mexicana ditione Americae Septentrionalis sita et in colle aedificata, parvi est circuitus eamque septies circiter mille incolunt cives catholici.

Cathedralis Ecclesia Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque Archiepiscopo de Guadalaxara suffragatur.

Ex Presbyterorum deficientia nondum eius Capitulum constitutum est, et Parochus tantum animarum curam exercet in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, unicus in civitate, atque sacrarium sacra supellectili sive ad divina obeunda officia, sive ad pontificalia peragenda sufficenter instructum etc.

Episcopale palatium nondum est erectum, et Antistes aedes inhabitat gubernii expensis conductas.

Fructus taxati in Libris Camerae ad Florenos 33 1/3 ascendunt ad sexies circiter mille scutata monetae romanae.

Nulla alia reperitur praeter Cathedralem in urbe de Sonora paroecialis Ecclesia, aut Collegiata, nullum monasterium, nec mons pietatis, sed aliquod pium institutum, laicorum sodalitas, nosocomium atque seminarium.

Dioeceseos ambitus latissime patet, ac ducenta et amplius sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam S. Aloisii Potosiensis. In Mexicana ditione Americae Septentrionalis vacantem per obitum bo. me. Petri Baraias ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus illi ecclesiae praefecit R. D. Emmanuelem de Conde Presbyterum S. Aloisii Potosiensis, qui in sacra theologia Licentiatus gradu donatus in ecclesiasticas functiones laudabiliter incumbens, Vicarius prius Generalis atque deinde Vicarius Capitularis, ac in ipsa Cathedrali Canonicus Lectoralis renunciatus est.

Urbs S. Aloisii Potosiensis in perampla Mexicana regione ac praecipue in Mechoacanensi provincia sita amoena in valle, salubri potitur aëre, frequenti floret commercio, eamque septuagies et quinquies mille incolunt cives catholicam religionem profitentes.

Cathedralis Ecclesia satis amplae, ac magnificae structurae, Expectationis Partus Beatissimae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque Mechoacanensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus) quinque cum theologo ac poenitentiario Canonicos nonnullosque Beneficiatos et Capellanos, qui cum clericis rei divinae operam navant.

Per Presbyterum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, unicus in civitate, atque sacrarium etc.

Undecim aliae recensentur in urbe S. Aloisii Potosiensis Ecclesiae absque parochialitate ac fonte baptismali, quaedam religiosae domus ac laicorum sodalitates, atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet undecim civitates ac centum sub se complectitur paroecias.

Cathedralem Ecclesiam Ibarren. in ditione Aequatoriali vacantem per translationem R. P. D. Iosephi Ignatii Checa ad sedem metropolitanam Quitensem: ad eam Sanctissimus promovit R. D. Antonium Thomam Yturralde Presbyterum Archidioecesos Quitensis, qui in utroque iure doctor in ecclesiasticas functiones sedulam operam impendit: Parochus urbanae ecclesiae ad S. Rochum renunciatus et in metropolitana Quitensi Primicerii dignitate vulgo *Chantre* hactenus cohonestatus est.

Ibarra urbs Columbiae in provincia de Imbabura ditionis Aequatorialis, am-

Digitized by Google

pla fertilique in valle sita, salubri potitur aëre, eamque ter vel quater mille incolunt cives catholici.

Templum Cathedrali S. Michaeli Archangelo dicatum terrae motu concidit, ac donec iterum aedificetur divina interim peraguntur altera in Ecclesia; Archiepiscopo autem Quitensi suffragatur.

Eius Capitulum duodecim enumerat, cum theologali ac poenitentiaria Praebenda, Canonicos, quos inter prima post pontificalem dignatas Decanatus ac secunda Archidiaconatus, quibus erectionis lege sex adiungi debent Beneficiarii, vel Praebendati-portionarii ac toditem Capellani divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quam Canonicus-Parochus administrat in Ecclesia baptismali fonte munita.

Domus pro Episcopi habitatione ab Aequatoriali gubernio adtribuenda adhuc desideratur, atque interea Episcopus conductas inhabitat aedes.

Una tantum paroecialis Ecclesia Ibarrensi in urbe recensetur, ac seminarium erectum; quatuor vero extabant, ante terraemotum, virorum, ac duo mulierum monasteria: mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet ac viginti sub se complectitur loca.

Episcopalem Ecclesiam Tiberiaden. sub Archiepiscopo Petrensi in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Rodulphi Thysebaert ultimi illius Episcopi: ad eam Sanctissimus promovit R. D. Alexandrum Valsecchi Presbyterum Bergomensem, qui in ecclesiasticas functiones apprime incumbens et in animarum cura diu versatus, nonnullis illius dioecesis paroeciis successive praefuit: Bergomensis collegii Rector et in cathedrali ecclesia Canonicus Pro-Vicarii Generalis munere est perfunctus.

Tiberias urbs Palestinae ad lacum cognominem in Galilea, sacris Literis nota infidelium iugo adhuc miserrime subest.

Episcopalem Ecclesiam Himerien. sub Archiepiscopo Edesseno in partibus infidelium vacantem per obitum bo: me: Ludovici Silvestri de la Chatre illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: ad eam Sanctissimus promovit R. P. D. Iosephum Michaelem Aristegui Presbyterum S. Iacobi de Chile, qui in sacras functiones apprime incumbens et matrimoniorum et religiosae professionis Defensor et fiscalis adlectus, tum Decanus metropolitanae ecclesiae de Chile tum Vicarius Generalis hactenus est renunciatus, inter Praelatos Domesticos Sanctissimi Patris adlectus.

Himeria urbs Mesopotamiae in Osrhoena infidelium iugo adhuc miserrime subest.

Post haec SSm̃us Pater notas fecit electiones iam exsecutioni mandatas per S. Congregationem de Propaganda Fide ab ultimo ad praesens Consistorium quibus contulit Ecclesiam Archiepiscopalem *Amasiensem* in partibus infidelium R. P. D. Ioanni Baptistae Pompallier resignatario ecclesiae Auckopolitanae in Nova Zelanda: ecclesiam episcopalem *Philippopolitanam* in partibus infidelium R. D. Felici Ridel ex Seminario exterarum Missionum, Vicario Apostolico in Corea: ecclesiam episcopalem *Camacensem* in part. R. P. Petro Ewjik ex Ordine Praedicat. Vicario Apost. in Curaçо: ecclesiam episcopalem *Eucarpiensem* in part. R. D. Carolo Delmonte ex Congregat. Missionis, Vic. Apost. in Abissinia.

Digitized by Google

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC QUARTO VOLUMINE CONTINENTUR.

ACTA SOLEMNIORA ROM. PONTIFICIS

ACTA CONSISTORIALIA

ECCLESIAE RESIDENTIALES, QUAE IN PRAESENTI VOLUMINE BREVI DESCRIPTIONE NOTANTUR.

EX SECRETARIA BREVIUM.

EX SACRA CONGREGATIONE S. R. U. INQUISITIONIS

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

Digitized by Google

Digitized by Google

EX SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

Digitized by Google

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

EX CONSILIO SS. RITIBUS PRAEORDINANDIS PRO OECUMENICO CONCILIO.

APPENDICES

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM, QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE RELATIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN RESPECTIVIS ACTIS AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Alienatio Bon. eccl.

Bona ecclesiastica inalienabilia sunt sine Apostolico Beneplacito. pag. 98.

Alienari possunt bona modici dumtaxat valoris ex Episcopi consensu. pag. 98.

Contractus emphiteusis comprehenditur sub generico alienationis nomine. pag. 98.

Aedificans in fundo alieno, aliis aedificat non sibi, licet, bona fide interveniente, ius habeat ad compensationem impensarum, aestimatione aedificii facta. pag. 98.

Earumque impensarum compensatio locum habere quoque potest in devolutione fundi emphiteutici ad dominum directum, quoties insignia melioramenta emphiteuta fecerit in pactum antea non deducta, dummodo sine culpa emphiteutae fundus ad dominum directum revertatur. pag. 99.

Fundi qui fuerint a testatore perpetuo obligati alicui causae piae, in quoscumque transeant, iugiter oneri causae piae manent subiecti, nisi legitime solvantur. pag. 552.

Altare quoad ornatum.

In publica expositione Sanctissimi Sacramenti amovendae sunt ab Altari tres tabellae

Digitized by Google

Canonizatio.

Cappellania laicalis.

Cathedrales unitae quoad ritum.

Chorus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Indulgentiae.

Indultum Iubilationis.

Irregularitas.

Iuspatronatus.

Legata Missarum.

Litaniae.

Litterae Collationis.

Matrimonium.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Poenitentiarius.

Possessio.

Potestas laica.

Praecedentia.

Renunciatio.

Regulares.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SOCIETATE PRINCIPUM APOSTOLORUM

Iam tertio Humanissimi Lectores nostri ad calcem voluminis habent brevem quamdam relationem de dicta pia societate. Id facimus, ut appareat, quo gradu, Deo auxiliante, procedat pium institutum, et simul aliqua memoria singulis annis maneat in his ephemeridibus, quarum proprietas tandem cedet Seminario proposito, atque in eo conscribentur.

Dedimus initio anni 1869 Appendicem II. in qua et status descriptus est piae societatis, et redditio rationum primi ferme semestris. Similem Appendicem III. atque etiam uberiorem dabimus initio anni 1870.

Seminarium incipiet privata ratione anno scholastico proxime venturo cum quatuor vel sex alumnis. Auctis deinde oblationibus numerus Alumnorum augebitur iugiter, et interea Seminarium aperietur in forma publica.

IMPRIMATUR
Fr. Marianus Spada O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Ioseph Angelini Archiep. Corinth. Vicesgerens.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google